12
1

Digitized by Google



Domus Romanæ Ministrantium Infirmis
Anno 1641.

Emptus

NON PLUS ULTRA

DE SOLENNI SAPIENTIÆ CONVIVIO

CUM SACRIS QUÆSTIONIBUS CONVIUALIBUS ET HYMNO.

LAUDA SION SALUATOREM,

CUM ANTIQUIS ORACULIS, ET NOUIS MIRACULIS EUCHARISTIÆ.

AUCTORE R.P. PETRO BIUERO Matritensi Societatis IESU Theologo, Serenissimorum Principum Belgij Concionatore.

BRUXELLÆ, TYPIS LUCÆ MEERBECII. 1639.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

CATHOLICO

REGI

HISPANIARVM

MAGNO IN VTROQVE ORBE

MONARCHÆ

PHILIPPO IV.

SAPIENTIA cæleſtis Majeſtatis eſt, Catholice Rex, cui ſupremi Orbis Monarchæ, Reges, & Principes omnes omnia ſua imperia, Regna, Sceptra, Coronaſque acceptas meritô referunt, cum de ſe ipſa teſtetur; *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Huic divinæ Sapiẽtiæ majeſtatum ſuarum ſplendorem, præclaram ſuorũ gloriam, glorioſamque apud ſubjectos populos æſtimationem tenentur adſcribere. Scripſit de hac ipſa Sapientia Rex Salomon; *Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores Iuvenis, & acutus inveniar in iudicio, & in conſpectu potentiũ admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me, tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent.* Subiungit Rex; *Præterea habebo per hanc immortalitatem, & memoriam æternã his qui poſt me futuri ſunt, relinquam: Diſponam populos, & nationes mihi erunt ſubditæ. Timebunt me audiẽtes reges horrẽdi, in multitudine videbor bonus, & in bello fortis. Intrans in*

Prov. 8. 15.

Sap. 8. 10.

domum meam conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam, & gaudium. Concludit. *Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum, sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædij mei.* Qui nunc liber V. Majest. sacratur, differit de Sapientia, & eius Solenni Convivio, quibus debet Sceptrum & Coronam, claritatem & honorem, venerationem populorum, memoriam futuram posterorum, subditorũ amorem, adversariorum terrorem. Proposuit V. Majest. adducere sibi Sapientiam ad convivendum, sciẽs quoniam secum communicabit de bonis, cum ex templo S. Ioannis tanta celebritate ac solennitate transferri in Aulam voluit venerabilem Eucharistiam, quam prævidens dixit Salomon: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis. Si quis est parvulus veniat ad me, & insipientibus locuta est; Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Invenit itaque in regio palacio arcem Sapientia, in qua suum perpetuũ construeret, & statueret Convivium, Christus scilicet in suo sancto sacrario permansurus. Hoc opus religionis ac devotionis erga venerabile Sacramentum, cui domus Austriæ Augusta & Regia debet totum, quod nunc est, & semper erit.

Prov. 9. 1.

Habebant olim Penates & Lares Principes Romani. Dionysius Halicarnassæus refert se Romæ vidisse Penates, quos secũ attulit Æneas, cum venit in Italiam, fuisse autem duos hastatos

tos iuvenes habitu ſedentium admodum antiqui operis, & addit ſimilia horum ſimulacra etiam in multis alijs conſpici. Cicero exiſtimat Penatium nomẽ a penu dictum eſſe, quod vocabulum ſignificet omne id, quo homines veſcãtur. Hæc inanis ſuperſtitio erat, ſancta & vera religio hæc eſt: ut domus Regia iam intra ſe habeat ſacros Penates Euchariſtiæ, & quidem de penu dictos, ubi ſacra Synaxis eſt, ibi & penus eſt. Novimus Nolæ in Campania diſtichon S. Paulini inſcriptum iuxta altaris ſanctuarium.

Hic locus eſt veneranda penus, qua conditur, ex qua
Promitur alma ſacri pompa miniſterij.

Quod ſi Lares dij domeſtici erant, primus eis ædem vovit, & extruxit. T. Tatius Sabinorum Rex, teſte Varrone, & poſtea, teſte Lucio, triumphans de rege Antiocho. L. Æmilius. Regillus ſacrarium erexit, appoſita tabula cum hac inſcriptione, *Duello magno, Regibus dirimendo, caput ſubigendis, patranda pacis hac pugna exeunti L. Æmilio M. F. Regillo Prætori auſpicio, imperio, felicitate, ductuque eius inter Epheſum, Samum Chiumque claſſis Regis Antiochi fuſa, contuſa, fugataque eſt, &c. rei ergo ædem Laribus permarinis vovit.* Vovisti, o Rex, Laribus divinis ædem, poſtquam victor extitiſti terra marique in illo magno duello, quod fuit ad Fonſraviam cæleſti auſpicio, imperio, & felicitate, ubi & claſſis Galliarum diſſipata, fugataque eſt ſeptima die Septembris, qua Natale glorioſæ Virginis ſacra Communione V. Majeſt. pro ſuo more prævenit, Inſignis planè victoria ſimilis Caloonæ

comparatæ beneficio Virginis & Euchariſtiæ.

Apud Philonem lib. de mundi opificio; *Victoria eſt virgo, quam ex Iovis capite exortam narrant fabulæ.* Dicta propterea Virgo eſt, quoniam una aliam non parit. Multi poſt unam victoriam, aliam ſperarunt, & ex victoribus devicti fuerunt. Non eſt una alterius victoriæ mater; poſſunt tamen eſſe virgines ſorores, quæ non ex capite Iovis, ſed ex Chriſto incarnato, & conſe-
Eph. 5. 23 crato, qui eſt *caput corporis Eccleſiæ*, ortum & originem ducant. Ex hoc capite ſacroſanctæ velut virgines ſorores natæ ſunt Fonſraviæ, & Geldriæ Victoriæ. Fonſraviam invaſit Gallus cum ingentibus ſuis copijs, Hollandus cum totis ſuis viribus Geldriam aggreſſus eſt. Geldrenſis obſidio deſerta, relictaque eſt a Principe Auriaco ad primum aſpectum Sereniſſimi Ferdinandi, qui venit, vidit, vicit, ſicut & ſub idem tempus accidit apud Fonſraviam, ubi ſtatim, cũ ſe præſentavit exercitus V. Majeſt. cum inſigni Duce Admirantio Caſtellæ, arripuerunt Galli fugam, & vix evaſerunt, ut ſic ambæ victoriæ ſibi velut ſorores reſponderent. Quamvis Sereniſſ. Infans tantam comparaſſet victoriam, ut quod ſibi reſtabat vincendum in Hollandia ad Geldriam ſuperaſſet, certus de ſucceſſu Fonſraviano, quaſi immemor ſuæ victoriæ ſumma cum celebritate tam in templis, quam in caſtris Cantabricam celebrare cæpit ad Moſam in urbe Venlonienſi triumphalibus ignibus collucẽte, ex cuius mænibus per vices voces muſicorum cantantium. *Te Deum laudamus*, & bombardarum

ma-

majorum,& minorum boatus resonabant, militibus cum civibus acclamantibus.

Triumphavit venerabile Sacramentum, de quo S. Ambrosius epist. 86. scribens de sanctis reliquijs SS. Gervasij & Protasij, *succedant victimæ triumphantes in locum, vbi Christus est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est, isti sub altari, qui illius sunt passione redempti.*

Constantine Crucem, Theodosi templa verere,
Tu sacrum panem magne Philippe cole.

Hic cultus adeo antiquus, & regius est, ut de primis Ecclesiæ Regibus dicat Chrisost. hom. 24. in epist. 1. ad Cor. *Hoc corpus in præsepi reveriti sunt Magi.* Venerunt in panis domum, panem delapsum è cælis viderunt. Sic vincitur hostis, ac proinde Ludovicus 11. Gallorum Rex, ut refert Clithou. sanxit, ut sub elevatione Corporis Domini versiculus ille in Missa caneretur.

O salutaris hostia,
Quæ cæli pandis ostia,
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.

Hinc robur, & auxilium victrices Æugustæ domus Aquilæ hactenus acceperunt, favente super Aquilis Imperij Aquila Sacramentali. Quo pertinet pium & simul ingeniosum paradoxon, quod Maria Regina Castellæ proposuit Abulens. sicut & ipse refert in fine suorum operum, *Fuit Aquila,* inquit Regina, *quæ volavit, & non volavit, venit ad locum, a quo nunquam recessit, quæ quieuit, & nunquam quievit, quæ renovabitur & nunquam renovabitur, quæ gaudebat, & non gaudebat, quæ honorabatur, & non honorabatur.* Christus mystica censetur Aquila, *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos.* Hæc Deu. 32. 11.

Aqui-

Aquila divina è cælis in terras volavit, & non avolavit, quoniã mansit apud Deum, quievit in Cruce moriens, non sic quievit in Eucharistia, ubi non moritur, renovabatur dum è sepulchro resurgeret, sed non renovabatur in Sacramento, in quo, cum non posset mori, nec poterat suscitari; gaudebat dum se offerret in cænaculo, & non gaudebat in passione, quando sic tri stabatur; honorabatur in mensa, in Cruce tamen non honorabatur, ubi sic dehonestabatur.

Hinc semper robur & auxilium capit, & habet Hispanicus Leo V. Majest. Catholicæ opitulante Eucharistico Leone, de quo est & aliud non minus curiosum, quam religiosum paradoxon ejsdem Reginæ Castellæ. *Fuit unus Leo, qui videbatur, & non videbatur, qui audiebatur, & non audiebatur, qui tenebatur, & non tenebatur, qui cognoscebatur, & erat incognitus.* Leo Christus videtur passus, non videtur consecratus, auditur in passione, non auditur in in altari, facta jam immolatione, tenetur dum apprehenditur, non tenetur dum consecratur; cognoscitur visu; dum crucifigitur, incognitus oculis, dum sub formis accidentarijs clauditur, & absconditur. Hic Leo mysticus facit victorem, & reddit simul invictum Catholicæ V. Majest. Leonem. Apud Aristæam consuluit Rex Ptholomæus septuaginta sacræ Scripturæ interpretes, ut in bellis victor, & invictus semper existeret, responsum est; *si non armis; & potentiæ tuæ fidas, sed Deum semper implores, ut juste, & sapienter agendi consilia tua dirigat*. Direxit Deus Opt. Maxim. omnia militaria consilia tot victoriarum in Hispania, Flandria, Italia & India obtentarum

tentârum sub auspicijs V. Majest. & sedulis ministerijs Comitis Ducis, qui in Fontraviana expeditione de mandato V. Majest. omnium animos accendit, & exacuit urgēs semper ad prælium, sine quo nulla spes erat victoriæ. Nec quidem sine prælio certaminis nobilis triumphus Redemptoris comparatus est, nec sine prælio regnum cælorum aggressus & ingressus est ipse Rex gloriæ? *Quis est iste Rex gloria, Dominus fortis & potens, Dominus potens in pralio.* Ps. 23.8. Huic forti ac potenti in prælio Regi Rex David sacra voluit sua opera, calamum, & librum Psalmorum, *Eructavit cor meum verbum bonum. dico ego opera mea Regi. Lingua mea calamus scriba velociter scribentis.* Ps. 44.1. Concludit, finit, & signat, *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.*

Intende prospere, procede, & regna.

sIgno, & fInIo, &
prostratIs genIbVs
DICo ego opera Mea
In VtroqVe orbe RegI.

petrVs bIVerVs.

APPROBATIO CENSORIS.

OPus de Solenni Sapientiæ Convivio cum sacris Quæstionibus Convivalibus, & Appendice de antiquis Oraculis,& novis miraculis gloriosi corporis Christi, *compositum a R. P. Petro Bivero, Theologo Societatis Iesu, Concionatore Principum Belgarum iudico typis posse mãdari: eruditum sanè & nouum sapientis Ecclesiastiæ, in quo Sapienti Concionatori datur multiplex occasio, ut doctas & varias Conciones conficiat, & perficiat de venerabili & admirabili Sacramento, Dat. Antu.* 7. *Septemb.* 1638.

Gaspar Estrix *S. Theolog. Licenc. Canonicus & Plebanus Antverpiensis, ac librorum Censor.*

Facultas R. P. Provincialis per Flandro-Belgium.

O*Pus de Solenni Convivio Sapientiæ cum sacris Quæstionibus Convivalibus, & Appendice de antiquis oraculis & novis miraculis gloriosi corporis Christi*, compositum a R. P. Petro Bivero Societatis nostræ Theologo, Seren. Principum Belgij Concionatore, & a tribus Societatis nostræ Theologis relectum. & approbatum pro potestate mihi tradita ab admodum Reverendo P. N. General. Mutio Vitellesco, tribuo facultatem, ut typis mandetur. Datum, Antuerpiæ 6. Aprilis 1638.

Ioannes de Tollenare.

Facultas Auctoris.

E*X virtute regij privilegij, quod mihi datum est in Concilio Brabantiæ* 22. *May anno* 1638. *notatum à Secretario Cools. Ut librum edam* de Solenni Convivio Sapientiæ cum sacris Quæstionibus Convivalibus, & Appendice de antiquis oraculis, & novis miraculis gloriosi Corporis Christi, *concedo facultatem Lucæ Meerbecio, Typogr. Bruxellensi ut possit illum excudere. Dat. Bruxellæ* 20. *Sept.* 1638.

Petrus Biverus.

ADMONITIO.



Irca Solenne Convivium Sapientiæ noster hic liber versatur: in hoc autem epulo, ut in fronte hujus voluminis pingitur, mensa Solis justitiæ est, clarior quidem & splendidior, quam quæ olim fuerat apud Æthiopes. Apollinis Mystæ parabant munificentissimam mensam cum magno apparatu ciborum de nocte, & ante lucem taciti recedebant. Sole primum exorto confluebat infinita civium, & hospitum multitudo, & avide epulas edebat per summam religionem, quod eas non humano artificio paratas, sed Solis nascentis beneficio divinitus e cœlo delapsas putarent. Erat adeo celebre hoc epulum, ut S. Hieron. de Apollonio Philosopho, qui totum penè peragravit orbem, ut quæ in eo essent, lustraret, scribat ad Paulin. epist. 103. Perrexit Æthiopiam, ut Gymnosophistas, & famosissimam Solis mensam videret in sabulo. Invenit ille vir ubique, quod disceret, & semper proficiens, semper se melior fieret. *Pergat & Ecclesiastes attendens sibi, & doctrinæ non ad fictam, sed potius ad verissimam simulque famosissimam Solis divini mensam cibis & poculis desuper ornatam. Inveniet quæ discat, & semper perficiens semper se fiat melior & meliores cæteros reddat.*

Hic liber de Solenni Convivio Sapientiæ habet tres Dissertationes. Prima exhibet præcipua & primaria aliquot nomina sacræ Eucharistiæ.

Secunda Dissertatio versatur circa Sapientiam & circa eius aulam oppositam plane aulæ prophanæ, quæ instar fabulæ est. Versatur deinde circa Sacrificium, Sacramẽtum, & Viaticum quæ tria, continentur in Convivio Sapientiæ, cuius meminit Salomon c. 9. *Prov.* Sapientia ædificavit sibi domum, &c. Immolavit victimas suas, *hæc est immolatio sacrificij.* Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, &c. Venite comedite panem meum, & bibite vinum, *hoc Sacramẽtum est.* Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ, *hoc pertinet ad Viaticum, ut ex dicendis constabit.*

In tertia & ultima Dissertatione sacræ Quæstiones Con-

§ 2 *vivales*

vivales proponuntur florida & amena, quales decent mensam Sacramentalem.

Concludimus Solenne Convivium altaris & mensa sacro Hymno, Lauda Sion Salvatorem, Lauda Ducem & Pastorem. *Sic concludebantur, antiquis moribus, humana & etiam*

Matt. 26. 30. Marc. 14. 26. *sacra* Convivia, *& Christus,* Hymno dicto *suam absolvit cœnam.*

Ne autem sacra mensa Sapientia tolleretur inanis, accessit Appendix de antiquis Oraculis, & novis miraculis gloriosi Corporis Christi.

Tertius hic liber respondet tertia Parti sacri Oratorij convenienti Ecclesiastico Oratori, qui communicans & celebrans sibi attendit, ut deinde doctrina incumbat, & consulat saluti aliena per fidem & cultum venerabilis Sacramenti, pro cuius sacris Concionibus facient ea, qua in toto hoc volumine continentur.

Prov. 9. 3 *Sapientia* misit ancillas suas, *ut ad suum invitaret Convivium, tales & Virgines sunt in 3. Part. Orat. ubi non tam vocibus, quam suis signis & insignibus invitant ad Eucharistiam, cuius leges convivales ab illis ipsis Virginibus melius & verius, quam olim leges petebantur a Vestalibus, accipienda sunt. Quocirca illas pramisimus in pictura, qua & si muta sit, habet tamen nutus & signa, quibus se inspicientibus loquitur. Cadit hoc loco sententia Marci Tullij 3. de Orat. c. 31.* Nam neque tam est acris acies in naturis hominum & ingenijs, ut res tantas quisquam res monstratas possit videre, neq; tanta tãdem in rebus obscuritas, ut eas nõ penitus acri vir ingenio cernat, si modo aspexerit.

Prov. 9. 9 *Da Sapienti occasionem, & addetur ei Sapientia.*

EXCELL^mo^. DOMINO

D. GASPARI GVZMANIO,

COMITI DVCI,

MAGNO INDIARVM CANCELLARIO, CONSILIARIO STATUS, ET BELLI, ARCHICAMERARIO, ET HIPPARCHO

CATHOLICÆ MAIESTATIS.

SCRIPSI de Solenni Convivio Sapientiæ, quod ſacrum eſſe ſtatui Catholicæ Majeſtati; ne menſa tanti Convivij inanis & vacua tolleretur, antiqua miracula & nova miracula glorioſi Corporis Chriſti, quæ adhuc extant, ad ſummam redegi, & in Appendicem collegi, ut quod reliquum eſt è menſa tum divinæ, tum etiam humanæ Majeſtatis cederet Væ. Excellæ. cui humiliter defero, & offero. Ad hanc de regio Convivio præſentandam oblationem principium mihi dedit Dom. N. Rex; cui poſt liberatam ab obſidione nupera Fonteraviam placuit, & libuit donari Excellentiſſimam eius perſonam & primariam eius familiam imperpetuum honorari menſæ regalis Scypho, ipſo anniverſario die, quo tam illuſtris victoria prudenti conſilio diſpoſita, & animoſa ordinatione comparata eſt. Secundum Deum & Regem Væ. Excellæ. de-

bent

bent obſeſſi, quod evaſerint, debet & victrix Hiſpania, & invictus eius exercitus, quod ſub D. Caſtellæ Admirantio agendo & audendo venerit, viderit, vicerit. Habemus itaque juſtam cauſam congratulandi V. E. & D. Admirantio, uni, quoniam ſub Deo auctore, *omnia per ipſum facta ſunt*, alteri vero, *quia ſine ipſo factum eſt nihil*. Quibus verbis ſine præiudicio Evangelij uſa eſt Regina Catholica in expeditione Granatenſi, ut duobus ſimul Dynaſtis unam adſcriberet victoriam, tolleret omnem invidiam, omnē auferret æmulationem. Cum ita ſe res habeat, non dedignabitur ſupremus noſter Monarcha, ut de ſacra menſa participet tantus Miniſter, ſuus Archigubernus, cum & tanta pars ſit in gubernatione & adminiſtratione Catholicæ Monarchiæ, præſertim cum pro tanti epuli Solennitate requiratur, ne inanis menſa tollatur. Res quidem ingrata & etiam infauſta, ut ex celebri prandio & cæna nihil ſuperſit, quod pro malo omine veteres Romani habebant. Hinc ortum duxit quæſtio illa Convivalis apud Plutarch. *Cur apud priſcos Romanos ſolenne fuerit non pati, ut menſa tolleretur inanis*. Cui bono ita faciebant? *Cenſent*, inquit Plutarch. *aliquid famulis de cœna, eorumque proli relinquendum. Quippe non eſt tam eis, quod ſumunt, quam quod Domini eis impertiuntur, gratum. Hinc Perſarū Reges amicis, ducibus & ſatellitibus ex menſa ſua ſemper portiones mittere ſolitū*. Satis appoſitē, ſicut & id quod ſubjungitur. *Excipiens Lucius ex avia ſua meminiſſe narravit ſe audire ſacrificium menſam eſſe. Oportere autem nullum eſſe ieiunum ſacrificium:* Concludit. *Mihi vero telluris eſſe mēſa videtur ſimulacrum. Nam præterquam quod alat nos, etiam rotunda eſt, & ſtabilis. Ut enim terram uſque*

quaque

quaque habere & proferre aliquid nobis frugiferi censemus debere. nec mensam item putamus inanem oportere aspici, & cassam relictam. Quod attinet ad mēsam Orbis terreni primus Rex noster est, cui plus terræ subjacet, quam cæteris aliis Regibus: at inter Ministros tanti Regis secundum a sua Majest. locum habet & occupat V. E. cui ritè ac rectè secūdæ partes in solenni Convivio Sapientiæ contingunt, ne ieiunum sit sacrificium, ne mensa ita plena inops & egena videatur, & absolvatur.

De reliquo, non erubesco tali Principi talia munuscula offerre, audeo & gaudeo sic me posse gratificari bonæ memoriæ DD. Marchionis Aytonæ, quem viuum colui, & mortuum colo, immo & viuum, cum verissime scribi queat de inclyto Marchione, quod scripsit Symmachus de principe Vectio. *Licet Vestius Prætextatus naturæ lege resolutus sit, vivit tamen in memoria, & amore cunctorum, atque uno punit invidiam. quod tantum ei ad gloriam cōtulit, ut huic quoque fortunæ livor debeat invidere.* Et si vivat in amore & memoria cūctorum, instar omnium una est. V E. apud quam tā charum, quam fidelem amicum quæro, & illum nō foris, sed intus, intra sacrarium animæ invenio, nam ut ait Senec. agens de Benef. *In pectore amicus, non in atrio quæritur: illo recipiendus est, illic retinendus.* Non quæro amicum in effigie, quam tanti viri habet in cubiculo præ oculis. V. E. sed in pectore, ubi superstes adhuc vivit, & vivet iure perpetuo amicitiæ, de quo Tull. *Cumque plurimas & maximas commoditates amicitia contineat: tum illa nimirum præstat omnibus, quod bona spe prælucet imposterum, nec debilitari animos, aut cadere patitur, verum etiam amicū intuetur tamquā exemplar sui. Quocirca & absentes adsunt,*

&

& egentes abundant, & imbecilles valent, & , quod difficilius dictu est, mortui viuunt. Quod felix faustumque sit, vivat ad multos annos V. E. in qua & superstes vivat charus & nobilis Heros, cuius aliâs jacturã irreparabilem pro communi bono verbo & scripto testatam V. Excellentiam benê memini, & quidem irrestaurabilis esset, nisi mortuus viveret ac tantus super vixerit amicus, *est enim is amicus*, ut idem fatetur Orator, *qui est tamquam alter idem.* Ergò tamquam eidem Marchioni, adhuc viventi apud V. E. adhuc superstiti, hoc humile meum obsequium defero, cum V. E. offero & spero, vel hoc nomine, gratum, & acceptum fore. Quod ut magis placeat, visum est subjungere triumphale poëma alieno calamo, sed, meo iudicio, Maronis charactere compositum à P, Iacobo vande VValle è nostra Societate & satis appositum pro solenni Convivio Sapientiæ; & celebri Fonteraviana victoria; in cuius monimentum translatum est ad arã & Aulã, & in eius regio Oratorio Mysterium fidei, oraculum oraculorum, & miraculum mirculorum novo imperpetuum cõstitutum est.

Ad maiorem rei iam commemoratæ splendorem & anni illius triumphalis gratam memoriam hæc chronographica Sacelli regij & aulæ postibus affigo.

In hoC saCro DeI pane, et ense
AVstrIaCI geDeonIs
regIs phILIppI qVartI
VICtVs est gaLLVs,
et LIberata fonterabIa.

In VeLLere aVreo, et agno
hIspanI geDeonIs
saCrato In haC ara
VICtIs gaLLIs
VICtorIa fonterabIana
æternItatI traDItVr.

Io, ter Io.
gratIa regIs
e Vase regIO, IVre perpetVo,
CoMes DVX
propInat bonæ fortVnæ
fonterabIæ.

VIVat reX
et CoMes DVX
In nestorIs annos.

AVITÆ ET VICTRICI PIETATI

CATHOLICI REGIS

PHILIPPI IV,

POST VICTORIAM

FONTARABIANAM

DIVINIS AVSPICIIS, ARMIS REGIIS,

COMITIS DVCIS CONSILIO,

DUCTU ALMIRANTII CASTELLÆ PARTAM

REGEM REGVM

IN AVLAM ET ARAM SOLENNI TRIVMPHO DEDVCENTIS.

*INgens Austriadûm columen, geminiq; P*HILIPPE
Orbis amor, Divûmq; genus, cui maxima cura
Europam positis tandem componere bellis,
Atque ultra Gangen, & nostro incognita mundo
Littora pacatis moderari legibus Indos:
Ille honor arcanâ Cereris sub imagine tecti
Numinis, & famæ meritò pars maxima vestræ
Hispanas sustentat opes. Hinc vivida bello
Dextra viris, animusq; ferox, certusq; pacisci
Sanguine speratas media inter prælia lauros.
Non ego tantarum revocabo exordia rerum,
Rudolphoq; datos monitus: non horrida bella,
Disiectasq; acies, actosq; in vincula reges
Expediam. Tu FONS ARABVM, *quem montibus altis*
Difficiles urgent aditus, Neptuniaq; arva,
Esto nunc mihi testis, & hic novus unde PHILIPPO
Inciderit calor, ut Numen penetralibus aulæ
Exciperet, causas memora. Mars Gallicus alto
Vertice Pyrenes in Iberos torserat hastam
Exitijs taboq; gravem, signumq; minaces
Ediderant litui, quo protinus ardua montis
Intremuere juga, & sonitum nemora alta dedere.
Audijt & fulvus longè Tagus: audijt Astur,
Astur equo, & nullâ belli non parte timendus
Cantaber. Ante alios concussâ turbidus urnâ
FONS ARABVM *infestas equitum peditumq; catervas*
Adventare videt campis. Describitur ingens
Orbita, Martis opus, tutis accommoda castris,

Aggeribus vallata suis: tum fulmine crebro
Quà muros tormenta ruant, quà se agmina fundant,
Ductaq; præruptis subrepat vinea fossis,
Explorare, Ducum labor est. Hispana iuventus,
Contemptrix animæ, ut clausos videt aggere muros,
Tum demum rapit arma manu, justosq; furores
Aggerat, & mediâ sperat pugnare ruinâ,
Credens seu mortes obitas, seu vulnus honestum
Pensari decoris pretio bene. Iamq; Camillus
Alter in Hispanis ibat, cui RVRA MEDINÆ
Non iam SICCA *siti, verùm rorantibus astris*
Humida fœcundas, victorum præmia, palmas
Inserum peperere decus: quem ponè secutus
Turbo equitum, & latis tempestas ferrea campis.
Tum Gallorum acies, quæ circum plurima muros
Fulminat obsessos bello, turbata tumultu
Miscetur trepido, ponitq; ferocia corda,
Certa fugæ, cristâq; tegit, galeâq; timorem.
Ac veluti canis in vacuo cùm Creticus arvo
Deprensam insequitur cervam, quam picta rubentûm
Linea pennarum, & violento gurgite torrens
Spumeus hinc atq; hinc clausam tenet, æquore septo
Illa volat, quacúmque via est: at vivida contrà
Turba canes, cursu iam iámque prementibus instant
Morsibus: eluso crepitant à vulnere malæ.
Tum si fortè procul descendere monte leonem
Conspexere, timent, stridentiq; ocyùs aurâ
Diffugiunt, nec iam prædam spes vlla tenendi.
Ille fremit, quassátque toros, fulvâq; comantes
Effundit cervice jubas: tremit anxius alto
Prospectans scopulo pastor. Sic horror Iberi
Nominis antevolans, bellóque exercita virtus
Vt sese explicuit campis, gravis ilicet hosti
Insinuat per corda pavor: nihil ille nec ausus,
Nec potuit: dat terga fugæ, dispersáque vellit
Signa locis, grandisque perit fiducia cœpti.
Tum verò antiquos memoravit Iberia plausus
Æneadûm, magni dum vis excita Camilli
Contudit adversas acies, Brennúmque ferocem
Et Senonas victrix Tarpeiâ depulit arce,
Appensúmque auro gladium & crudele minantem
Fregit, & Ausonidûm procul à cervicibus egit.
At non victorem plausus tetigere PHILIPPVM,
Nec super ipse suo molitus Marte triumphum.
Numinis auspicijs hæc, inquit, movimus arma,
Illius auspicijs quoque vicimus: illius aris
Nostra triumphales debet victoria lauros.
Sic proavi, ad solem quoties utrúmque superbos
Fregerunt armis populos, tibi magne trophæum
Bellipotens statuére: & stirps ego sanguine ab illo.
Tantum effatus, & augusti ad sacraria tecti
Solennes duci pompas jubet. O, ubi celsæ
Madriti turres! vbi Regum limina, ubi aræ

Lauri-

Laurigeræ! ô, qui me media inter fercula pompæ,
Præpetibus vectum cæli per inania pennis
Sistat, & insuetos donet spectare paratus!
Nam neque devictos, & adhuc crudelibus hostes
Ardentes oculis, & longis squallida tectos
Ora comis, centum constrictos brachia nodis
Ante coronatos videas procedere currus.
Nec me spectandi studio iam prisca triumphi
Detineant simulacra, animum neque prælia pascant
Picta meum: non, si rursum ad Capitolia Gallos
Cæsar, seu Numidas Marius vinctúmque Iugurtham
Victor agat: lectique Patres, effusáque totis
Obvia Roma vijs, & Graiis ficta metallis
Oppida, & infractis mœrentes cornibus amnes,
Exuuiæq; ducum, captivaq; vestis, & ingens
Argentum, veteris series longissima pompæ,
Multáque Clitumni sacro perfusa fluento
Hostia, solennésque epulæ, ludiq; viarum
Læta mihi referant Latij spectacula fastus.
Omnia iam maiora: Deus, Deus ipse beatis
Delapsus Divorum adytis, quem mille phalanges
Aligeræ circum volitant, huic pompa triumpho
Per se magna sat est: idem quoque victima templis,
Idem epulum, atque operum monumentum insigne suorum.
Ipsi regales sensus (mirabile dictu).
Lumináque, tactúsque Deum captiva sequuntur,
Servitiúmque ferunt: urget præsentia magni
Numinis: ac sese sceptris maioribus ultrò
Subijcit, & dominos agnoscit purpura fasces.
Vt ventum ad sedes, quantúsque & qualis ab aulâ
Sidereâ excipitur, tantúsque & talis Iberam
Ingreditur, nisi quòd lateat, fugiátque videri,
Principiò ante aras (aris erat & suus horror)
Sanctum, augustum, ingens, & inobservabile Numen
Triticeâ in nebulâ Rex territus admiratur:
Verbáque quærenti patrium testantia cultum
Deficiunt: tandem ut tacitum eluctata pavorem
Vocis iter vicit pietas, ac desuper ipse
Exstimulat Deus, atque imo se pectore versat,
Continuò: Salve ô magnum & venerabile terris
Numen, ait, salve gentis fiducia nostræ.
Dexter ades, propiúsque tuos agnosce penates.
A te principium generis: tibi debita sceptra,
Romanæq; Aquilæ, tot euntibus ordine longo
Cæsaribus: per te (neque me sperasse pigebit)
Austriadæ ventura trahent in sæcula nomen.
Interea, quando nostri tibi tanta cupido est,
Vt iungi hospitio properes, simul has quoque mecum
Divide terrarum curas, tutórque vocari
Assuesce imperij. Non regni præmia quæro,
Nec fas: caussa tua est, Romæ patriæq; PHILIPPVM
Quam debere vides. Hac quo me cumque vocarit,
Voti summa mei fuerit, tot idonea bello

Pecto-

Pectora, tot fortes animos, dextramq; meam me
(Sive fide, seu quis bello experiatur) honori
Impendisse tuo. Tu mentem hanc numine firma.
Talibus orantem dictis pulcherrima proles
Os animosq; patri similis, prostrata sub aras
Audijt, & : Sequimur, dixit, tua vota precantes
O genitor . Tantus succedens sedibus hospes
Hunc equidem lætum nobis, totiq; secundum
Imperio volet esse diem, nostrosq; minores
Olim huius (neq; vana fides) meminisse iuvabit.
Dixerat: expleri nequeunt gnatiq; patrisq;
Vocibus intenti heroes, queis pectora circum
Dependet villis aries spectabilis aureis.
Tuq; adeò magne Alcides, quo maximus Altas
Supposito vastum fulcit cervicibus orbem
Æquiùs, & rerum causæ librataq; magnis
Consiliis momenta patent, sive aspera surgant
Prælia, seu placidâ populos in pace regendum,
Dissimulare nequis tua gaudia. Scilicet in te
Lætitiæ, plaususq; aliquid, gratiq; PHILIPPUS
Transscribit strepitus, dum quæ pulcherrima nuper
In dubiis responsa dabas, hostemq; frementem
Et vigiles pepulere metus, faustumq; precanti
Auspicium facilemq; Deum, peperere triumphum.
Tu modò, dum tantis habitata Penatibus aula
Plena Deo est, magnos ausus tam grandibus urge
Auspicijs, belliq; moram damnantia castra
Ire iube: cedent, aut non cessisse pigebit
Hostiles acies. Quod enim contendat Iberi
Viribus imperium? sua si modò robora norit,
Castigetq; moras, cui victus subdidit Afer
Littora, cui servit Ganges, cui mollior Indus
Fulvas volvit aquas, rutilæ cui viscera terræ
Vesta aperit, qui, quæ tellus quæve æquora fessum
Accipiant, quamcumq; polo conspexerit Arcton,
Terrarum latè dominus dat iura volentes
Per populos, regnisq; animos cælestibus æquat.

APPENDIX
DE ANTIQVIS
ORACVLIS
ET
NOVIS MIRACVLIS
GLORIOSI
CORPORIS CHRISTI.

SVMMARIVM
ANTIQVORVM ORACVLORVM, & selectorum Argumentorum.

1. *SAcrificium mystici Melchisedech.*
2. *Frumentum & vinum benedictionis.*
3. *Delicium Regum.*
4. *Mysticus Agnus.*
5. *Ritus mensæ sacri Agni.*
6. *Conviva Agni Sacramentalis.*
7. *Divitiæ sacri altaris.*
8. *Instructa mēsa Ecclesiæ.*
9. *Sūma bona Eucharistiæ.*
10. *Cælum portatile Eucharistiæ.*
11. *Propria Christi oblatio.*
12. *Favor pauperum.*
13. *Indeficiēs Christi Māna.*
14. *Crucis & Eucharistiæ triumphus.*
15. *Favus Eucharisticus.*
16. *Christus sola anima contentus.*
17. *Levamen laborantium.*
18. *Desideria Eucharistiæ.*
19. *Pingue sacrificium.*
20. *Annona Sacramentalis.*
21. *Ordo cæli & Eucharistiæ*
22. *Panis Angelorum.*
23. *Frumentum mysticum.*
24. *Panis cæli.*
25. *Memoria Christi.*
26. *Calix salutaris.*
27. *Mensa pacifica.*
28. *Pietas Eucharistica.*
29. *Mēsa divini Principis.*
30. *Panis sanctæ Ecclesiæ.*
31. *Læta Communio.*
32. *Profusio Christi.*
33. *Sacrum osculum Eucharistiæ.*
34. *Cella sacra.*
35. *Flores Eucharistici.*
36. *Aspectus favorabilis Dei.*
37. *Pascit & pascitur Christus.*
38. *Sapor Eucharistiæ.*
39. *Esca populi Dei.*
40. *Panis vitæ & intellectus.*
41. *Splendor Christi.*
42. *Convivium castrense.*
43. *Panis angustus & augustus.*
44. *Panis regius.*
45. *Crux & Eucharistia.*
46. *Panis consolationis.*
47. *Panis principalis.*
48. *Panis lugientium.*
49. *Cibus electus.*
50. *Frumentum electorū & vinū germinās virgines*
51. *Catholicum sacrificium.*

Ra-

Ratio dicendorum.

SOLENNIS ritus hic fuit divinæ Patris Sapientiæ agere cum oraculo divinitatis,ac deitatis suæ,cum sacram conderet Euchariſtiam . Tunc temporis,ut dicimus in Canone Missę, *accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas , & elevatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem tibi gratias agens benedixit, fregit, deditque Discipulis suis dicens, Accipite, & manducate ex hoc omnes, &c.* Quem etiam modum in consecratione Calicis retinuit, & retineri semper voluit, quoties a suis Sacerdotibus divina mysteria celebrarentur. Adumbrabatur hoc Sacramentum in quinque panibus hordeaceis miraculosè auctis & multiplicatis,& tunc etiam Christus recurrit ad oraculum divinitatis, *Accepit ergo* JESUS *panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Hunc ipsum morem habere voluit cõvivas,voluit,ut divinum adirent , & consulerent oraculum , *Sic ergo,* inquit,*vos orabitis: Pater noster qui est in cælis,* &c. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quem locum de supersubſtantiali pane Euchariſtiæ intelligendum plurimi Patres censent. Pro complemento igitur Solennis Sapientiæ Convivij,& simul perfectione sacri Oratorij,in quo sermo est de sacra Synaxi,selecta responsa & oracula Spiritus sancti ex veteri testamento proponemus,& breviter exponemus.

Christus adit oraculum.

Ioan.6.11

Matt.6.9.

ANTIQVA ORACVLA
VETERIS TESTAMENTI
DE GLORIOSO
CORPORE CHRISTI.

Sacrificium mystici Melchisedech.

PRIMUM Oraculum esse potest,quod legimus cap. 14. Gen. *Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi, & benedixit ei, & ait, Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cælum & terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* I.

Novimus apud Isaiam septem confluxisse mulieres , ut virum quendã primarium sibi in principem assumerent; *Princeps esto noster,* inquiunt: at ille se excusavit, ac principatum recusavit reddens causam suæ renunciationis; *Non sum medicus, & in domo mea non est panis.* Exceptionem legitimam ille patitur pro regno,& imperio,cui non suppetunt vires,ut subditos sibi pascat & alat,sicut & indignus est nomine & munere pastoris, qui suos nequit greges nũtrire ac sustentare. Quamobrem agens de sua electione David canit Psalm. 77. *Elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum pascere Iacob servum suum: & Israel*

Isai.3.6.

rael hereditatem suam. Et pavit eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos. Præluxit hæc veritas in antiquo Melchisedecho, qui cum Rex esset, panem & vinum habuit, quod Deo offerret, nec defuit quod Abrahamo venienti è prælio, suis servis ac militibus cōferret. Expendens quod fecit hic Rex & Sacerdos lib. 4. de Sacr. c. 3. D. Ambr. ait; *Victor venit, occurrit ei Melchisedech sacerdos, obtulit ei panem & vinum. Quis habuit panem & vinum? Abraham non habuit. Sed quis habuit; Melchisedech. Ipse ergo auctor Sacramentorum. Quis est Melchisedech? Qui significatur Rex justitiæ. Quis est iste Rex justitiæ? Numquid homo quisquam potest Rex esse justitiæ nisi justitia Dei, qui est Dei pax, Dei Sapientia?* Hic justitiæ Rex, de quo David: *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocavit me: super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit. Deduxit me super semitas justitiæ.* Quamvis tantus esset Abrahamus, indigebat pane & vino, & utrumque reperit apud Melchisedechum. Licet tantus esset David, recurrit ad templum, ubi de manu Sacerdotis accepit panes propositionis, quibus suæ inopiæ & indigentiæ satisfaceret. *Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem, neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi.* Quis autem hic sacerdos sit, initio capitis dicitur; *Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem.* Assonant sibi Melchisedech, & Achimelech, ut uterque appelletur Rex; primus *Rex justitiæ* est: secundus vero *frater meus Rex* interpretatur, & in uno & in altero significatur Christus, penes quem sacer panis reperitur in sustentationem Abrahæ & eius filiorum, non quidem secundum carnem, sed secundum spiritum, quem suo nomine præfert: *interpretatur enim Abraham pater sublimis*, ut notat Philo. lib. 2. de legit. Allegor. & subjungit; *Mens quando non herili more animam territat, sed paterno imperat, non indulgens ei suavia, sed vel invitæ obtrudens utilia: omissisque omnibus rebus humilibus, & ad mortalia ducentibus sublimis immoratur contemplationi mundi eiusque partium: atque etiam altius ascendens Numen ipsum scrutatur, eiusque naturam propter immensum amorem scientiæ: non potest manere in decretis pristinis, sed cupit migrare ad meliora.* Cum sit excelsus Deus; homines excelsos quærit sacri sui mysterij participes, ac proinde monentur sacrificio Missæ assistentes, *sursum corda*, & illi respondent, *Habemus ad Dominum.* Hoc est sublimitatem imitari Abrahæ, cuius gloriosa victoria ascribitur auctori venerabilis Eucharistiæ, cum dicat Melchisedechus, *Quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Protegit umbra pugnantes, ideoque pugnax David pro suis victoriis gratias agens Deo dicit, *Obumbrasti super caput meum in die belli.* Sub umbra sacrosanctæ Eucharistię tot Reges Abrahamus debellavit, & Gedeon vires omnes Madianitarum disrupit & fregit virtute subcineritij panis, in quo ineffabile altaris arcanum adumbrabatur.

Apud Christum panis sacer est.

Ps. 22. 1.

1. Reg. 21. 6.

Ps. 139. 8.

Frumentum, & vinum benedictionis.

II. Celebre quoque oraculum pro sacro Convivio legitur Gen. 27. ubi moriturus Isaacus omnia fausta Iacobo filio suo precatur. *Accede ad me & da mihi osculum fili mi. Accessit & osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum eius fragrantiam benedicens illi ait. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Dominus de rore cæli, & de*

& de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.

Verbum Dei rorem cælestem refert, canitque propterea Moyses in extremo vitæ articulo, *Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, & quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.* Unde & unum & commune votum, una vox, una erat supplicatio omnium antiquorum patrum, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Hæc terra non est, de qua dixit Deus Adamo, *Maledicta terra in opere tuo,* sed illa, de qua David; *Benedixisti Domine terram tuam.* Hæc virgo Maria est, cui Angelus, *Benedicta tu in mulieribus,* cui Elisabetha; *Benedicta tu inter mulieres.* Igitur cum precatur prospera filio Isaacus, ac dicit, *Det tibi Dominus de rore cæli, & de pinguidine terræ abundantiam frumenti & vini,* id optat, id desiderat, ut Iacobus felix ac fortunatus evadat, non quidem in acquisitione, & possessione temporalium bonorum, sed cælestium mysteriorum & Sacramentorum Christi incarnati & consecrati. *Hic est panis, qui de cælo descendit* per modum cælestis roris & pluviæ, & prodijt ex pinguedine terræ Marianę, quę immunis plane fuit à crimine originario. Crimē ab Adamo patratum sterilem terram reddidit, cum dixerit Deus, *Spinas & tribulos germinabit tibi,* sola una terræ portio mansit, quam non tetigit culpa, & hæc illibata Maria est, terra plane pinguis, quę talem fructum protulit, peperit iustum, immo & ipsam justitiam enixa est, cum dicat, Isaias; *Aperiatur terra & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul.* Magnus hic proventus est, magnus fructus, proprius omnino Virginis, quæ illum produxit, sicut fassus est David, *Terra nostra dedit fructum suum,* sicut & confessus est S. Lucas, *Maria,* inquit, *peperit filium suum primogenitum.* Nulla tellus sic frumentum, & vinum generat, ut in utriusque generatione partes suas non agat & habeat industria humana, ac proinde non ita competit terrę, ut & eius cultoribus non conveniat, sola terra Virginalis sibi vēdicat proprium de cœlo panem, sine arte & artificio agriculturæ sibi comparatum. Dixerat Angelo; *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* & cum ille respondisset, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei,* & securam reddidisset non alterius hominis, sed solius Dei Filium ex se ortum habiturum, acceptat prolem, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:* Fiat, inquit, ita ut mihi sit proprius filius, non competat alteri. Huic convenit terræ, quod alias dixit Nyssenus lib. de vita Moysis; *Hunc corporis panem non aratio, non satio, non agricolarum opus efficit: Virgo intacta permansit, & tamen pane plena fuit, famescentes mysterium Virginis hoc pane perdocti facile saturantur.* Habet in hoc casu quod natura miretur, cum rore & pluvia accedente ad terram hanc pinguem patretur illud miraculum, quod figuratum est in homine cæco, pro quo illuminando Christus *exputt in terram, & fecit lutum ex sputo, & lenivit oculos eius.* Subiunxitque propterea, *Vade & lavare in Natatoria Siloë quod interpretatur Missus.* Missus est Christus ut mysticum fieret lutum, quo homines illuminarentur pro mysterijs Incarnationis, unde & canit Simeon; *Viderunt oculi mei salutare tuū, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel:* nec non pro ritu Eucharisticæ cōsecrationis, *Gustate & videte, quoniā suavis est Dominus.* Igitur: *Accedite ad eū, & illuminamini* cū Iacobo, cui Pater ait: *Accede ad me, & da osculū fili mi.* Procul hinc osculū proditoris Iudæ, & rebellis Absalonis, osculum Iacobi fidelis petitur & præbetur. Bene monet Ambr. l. 5. de Sac. c. 2. *venisti ad altare, vocat te Dominus Iesus, vel animam*

Deut. 32. 2. | Isai. 45. 8 | Gen. 3. 17 | Ps. 84. 2. | Luc. 1. 28. | Luc. 1. 42. | Ioa. 6. 59. | Gen. 3. 17 | *Fructus ventris virginalis.* | Ps. 66. 5. | Luc. 1. 34. | Luc. 1. 38. | Luc. 2. 30. | Ps. 33. 9. | Ps. 33. 6.

tuam, vel Ecclesiam, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui. Vis ad Christum aptare? nihil gratius. Vis ad animam tuam? nihil iucundius, Osculetur me. Videt te mundum esse ab omni peccato, quia delicta de terra sunt, ideo te sacramentis cælestibus dignum iudicat, & ideo invitat ad cæliste convivium. Procul hinc indignus ille conviva, cui Christus: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem* Matth. 22. 12. *nuptialem:* accedat nouus & antiquus Iacobus, cuius vestimentorum fragrantiam sentiens divinus Isaacus benedicat, ac dicat; *Ecce odor filij me sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

Delicium Regum.

III. HAbemus & celebre oraculum de pane Sacramentali Genes. 49. in ea benedictione, quam agens iam animam S. Patriarcha Iacobus dedit filio suo Aser; *Asser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.*

Hæc benedictio tota Eucharistica est, ad quam alludens Ecclesia dicit, *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias regibus.* Habent reges voluptates suas, habent & suas delicias in rebus varijs, in hortis, in cantibus, in venationibus, in ludis, prælijs & victorijs: quis unquam regum, & principum panem delitium suum esse dixit, multo minus fecit? Deus autem in eo quod minus putatur, constituit suavitatem, & delectationem. Quis existimaret in ęrumnis & miserijs posse esse gaudium & exultationem? Exultabat Paulus, cum diceret; *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. Cor. 7. 4. Quis in Cruce arbitraretur gloriam posse deprehendi? Apprehendit illam Apostolus, cum affirmaret; *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Gal. 6. 14 Novit Dominus recreare reges pane, sed mystico, sed Sacramentali, quo recreatus David Rex aiebat, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit:* & rursus *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum:* Pf. 22. 1. Pf 83. 3. Nō itaque parua excellentia est Aser Patriarchæ panes regibus subministrare, cum vel uni regi panem dedisse, urgente necessitate, gloriosum meritò censeatur & habeatur, ut videre licet in Davide, cui Bercellai providit olim de pane, cum fugeret a facie Absalonis. Cujus memor beneficij viam universę carnis ingressurus præcepit Salomoni heredi suo 3. Reg. cap. 2. *Filiis Bercellai Galaadıtis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua, occurrerunt enim mihi, quando fugiebam a facie Absalon fratris tui.* Habemus & hujus rei satis splendidum exemplum in annalibus Aragoniæ, cuius Rex cum esset in castris & deesset annona, summaq; omnes laborarent penuria & Rex careret pane, quæreretque ubinam posset inveniri, responsum est solum esse posse unum tentorium in totis castris, ubi panis forsan reperiretur, quod si ibi non esset, nullibi haberetur. Hoc tabernaculum nobilis imprimis Moncadæ erat, qui requisitus a Rege an unum pro se panem posset ministrare, plures obtulit, & oblatos tanti eos fecit, ut jusserit eos in insignibus clarissimæ, & nobilissimæ familię Moncadarum accedere, quos & Aser in suis signis & vexillis habebat, quibusque non uni solum, sed multis regibus lautas delicias præberet. Hęc autem gloria non ita veteris Aser est, quam Christi prę oculis habiti, cum Iacobus impenderet benedictionem, & confirmaret illam Moyses cap. 33. Deuteron. cum post moreretur. *Aser quoque ait, Benedictus in filijs Aser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum. Ferrum & æs calceamentum eius, sicut dies inventutis tuæ, sic & senectus tua ut Deus rectissimi; ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificen-*

Panis gratus Regibus tempore necessitatis.

nificentia eius discurrunt nobis, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna eijciet à facie tua inimicum, dicetque, Conterere. Quomodo autem concordent inter se Iacobus & Moyses in benedictionibus Aser, facilè constabit, siquis noverit sacrum panem *in memoriam passionis, resurrectionis, & ascensionis Domini nostri Iesu Christi* offerri & conferri, sicut & Ecclesia protestatur. Moyses itaque recognoscit Christum fratribus suis, hoc est, Apostolis nocte supremæ cænæ placentem, *sit placens fratribus suis. Ferrum & æs calceamentum eius.* Extrema hæc verba ad sacram pertinent passionē, in qua militariter processit, & se gessit; *Pange lingua gloriosi, Prælium certaminis.* Subiungit, *sicut dies iuventutis tuæ, sic & senectus tua.* Hoc ræferendum est ad tempus resurrectionis, in qua *antiquus dierum* iuvenescere visus est. Quæ sequuntur, cōveniunt Ascensioni, *Ascensor cæli auxiliator tuus Magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna.* Habitat Christus in cęlo, & inde demittit brachia, quorum virtute perpetuo fit consecratio, quorum, potentia, mediante sacra Eucharistia, a facie Ecclesię Catholicæ, Regum, & Imperatorum Catholicorum hostis fidei & religionis eijcitur, & conteritur hoc solo verbo; *Conterere.* Utitur & illa Ecclesia, cum orat in altari Deum, *Gentes paganorum & hæreticorum dextera tuæ potentia conterantur.* Conteruntur sub Austriacis principibus, quibus panis mysticus Aser in delicijs est, & simul in armis, ut eo se muniant contra hostes, & illos destruant. Addo quod ne Moyses videretur aberrare longius a prima benedictione, *Aser pinguis panis eius & præbebit delicias regibus,* consequenter postquam dixit. *Conterere,* subiungit, *Habitabit Israel confidenter, & solus; oculus Iacob in terra frumenti, cælique caligabunt rore.* Non aberrat a panibus, qui cælestis meminit frumenti rore divino confecti, atque perfecti.

Dan. 7. 22.

Mysticus Agnus.

IV.

MAgnum oraculum de agno futuro in escam Ecclesię invenitur Exod. cap. 12. *Decima die mensis huius tollat unusquisque agnum per familias, & domus suas. Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui iunctus est domui suæ iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni.*

Sub titulo ac nomine agni Christus accipitur a Sacerdote, repetit enim in sacro ter *Agnus Dei*, & sumens manu sua Eucharistiam monet. *Ecce Agnus Dei,* &c. Hic agnus per familias & domos tollitur, quoties per varias Ecclesias, quæ sunt per totum mundum dispersæ, sacrificia Missæ celebrantur. Quoniam vero numerus celebrantium minor est, ut sufficere possit ad vescendum tantum agnum, assumunt eos, qui sunt sibi conjuncti in suis ecclesijs, ut consortes tanti mysterij fiant. Eliguntur *iuxta numerum animarum* convivæ, cum cibus sit animarum, quas ut quæreret ac redimeret, venit Christus in mundum, & ut eas pasceret & aleret, sacram condidit Eucharistiam. Qui sunt terreni homines de nutriendis corporibus agunt: Christus verò, cum sit totus cælestis, de alimonia providit animabus. Poterant olim Hebræi tot congregare, tot convocare personas, quæ sufficerent pro esu agni legalis, sed non Sacramentalis, qui tantus est, ut licet populus Christianorum in immensum crescat & augeatur, semper manebit insufficiens, ut illum absumat, & consumat, siquidem eius naturę & conditionis est, quam S. Andreas coram Ægea Proconsule

consule proposuit, & exposuit inquiens, *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, neque hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cuius carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus.* Adhuc Angeli non sufficiebant pro esu agni cælestis, & idcirco vicinum sibi hominem vocarunt, ut de illo participaret. *Panem Angelorum manducavit homo.* Si qua creatura videretur sufficiens; esset Virgo Maria, cuius capacitas tanta est, ut dicat de ea Ecclesia. *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti:* nec tamen par erat pro epulis Agni mystici, ac proinde secum accepit Ioannem, Zachariam, Elizabetham, Pastores & Reges & alios omnes, qui plane impares erant. Consumi nequit, cum testetur de se ipse. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Cujus autem conditionis esse deberet agnus legalis, verba sequentia declarant; *Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus.* Assimilatus est tribus hisce dotibus mysticus Dei Agnus sine macula ex Patre, sine macula ex Matre, qui & masculus est nascens ex Patre, anniculus ex Matre, habet à Patre ęternam virtutem, habet a Matre temporalem naturam, natus ad cibum & escam mortalium, de quibus scriptum est paulò inferius, *Et edēs carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex ea crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni, caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis.* Nocte comeditur Agnus, qui & de die patitur, ut nullum sit tempus, in quo eius sacra passio non colatur. Hoc ipso utitur argumento D. Ambros. in favorem orationis expendens illud assertum Christi cap. 11. Luc. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice accommoda mihi tres panes.* Argumentatur, & ait; *Alius præcepti locus est, ut omnibus momentis non solum diebus, sed etiam noctibus oratio deferatur.* Oportebat ut Agnus Eucharisticus offerretur & immolaretur de nocte, in qua silere solent omnia, & silere debebant omnia antiqua sacrificia ad hanc vocem Christi, *Hoc est enim Corpus meum,* & ad hanc, *Hic est enim Calix sanguinis mei, &c.* Debet comedi cum pane, quę est propria materia consecrationis, & cum lactucis agrestibus, & amaris, quia *recolitur memoria passionis eius.* Quod crudum est, durum est, idcirco crudus non est agnus comedendus. Cum Christus diceret, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus,* crude verba Christi acceperunt Hebræi, nec poterant ferre, dixeruntque propterea; *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Nec coquendus est Agnus aqua, quæ ex se frigida est, non tolerat frigus, cum gaudeat ardoribus charitatis, vult assari ignibus amoris summi erga homines; *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Nihil in Agno est, quod palato non serviat, unde & præcipitur, *Caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis.* Extremæ partes sunt caput & pedes, mediæ sunt interna viscera, extrema igitur & media sunt edenda. Caput pertinet ad divinitatem Christi, pedes ad eius humanitatem, viscera ad eius amorem, quibus dignatus est divinitatem cum humanitate coniungere, canitque propterea Zacharias; *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Edenda est divinitas cum humanitate eius, qui dicit, *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me:* edenda sunt viscera Christi, qui discessurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc instituit, in quo divini sui erga homines amoris pręcordia ostendit, & præbuit. Caput cum pedibus sumpsit ille, qui dixit, *Verbum caro factum est,* & cum super pectus eius recubuit, interna præcordia adiunxit, & desumpsit.

Angeli non sufficiunt pro Agno edendo. Ps. 77. 35. Matth. 28. 18. Ioa. 6. 56. Luc. 1. 78. Ioa. 6. 59. Ioa. 1. 14.

Ritus

Ritus mensæ sacri Agni.

AFfine huic oraculo est aliud, in quo pręscribitur forma, quam servare debebãt Hebręi, cum agnum legalem comederent. Pręscribitur modus Exod. c. 12. *Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter, est enim Phase (id est, transitus) Domini.* V.

S. Chrys. Hom. 83. in Matt. infert ex hoc oraculo pro venerabili Sacramento, qualiter ad eius participationem accedere quis debeat; *Igitur accedat nemo cum nausea, nemo resolutus, omnes accensi, omnes ferventes. Nam si Iudæi stantes, & calceamenta in pedibus habentes, & baculos manibus gestantes agnum cum festinatione comedebant: te multo magis oportet esse solertem. Nam illi quidem in Palæstinam erant profecturi, & propterea viatorum figuram habebant: tu vero debes in cælum migrare.* Hebręi quidem ita parati erant ad iter ut fugere ex Ægypto cogitarent, & sic digni fierent agno paschali, tales & nos esse oportet, ut pro dignitate Agni Sacramentalis participes efficiamur. Hanc fugam multis suadet nobis D. Ambros. lib. de Fuga sæculi c. 4. *Accedamus itaque fidei suffragio subnixi & eius remigijs sublevati ad illam sedem gratiæ, fugientes hoc sæculum, & eius contagionem. Hoc est autem fugere, abstinere a peccatis, ad similitudinem & imaginem Dei formam virtutum assumere, extendere vires nostras ad imitationem Dei secundum mensuram nostræ possibilitatis.* Reddit rationem. *Deus enim est sine peccato, & ideo qui peccatum fugit, ad imaginem Dei est. Non est igitur dubium, quod is, qui a peccato est abstinens fugit, unde & Apostolus clamat. Fugite fornicationem.* Quasi fugientes carnis vitium esse vult eos, quibus injungit, *Renes vestros accingetis*, quibus præcipit in Evang. *Sint lumbi vestri præcincti.* Hoc autem mirum est, quod dicatur Hebræis; *Calceamenta habebitis in pedibus*; siquidem testante Ambr. c. 5. *Ideo Iesus sine calceamento, auro, & argento Apostolos destinavit, ne secum terrena portarent. Qui enim bonum quærit, non in calceamento, sed pedum velocitate & decore laudatur dicente Scriptura: Quam speciosi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona!* Erant illi terreni, & terrena quærebant, & ideo calceamenta in pedibus habebant, secus Apostoli, qui bonis mundanis renuntiaverant, ut essent de schola Christi, qui dicit. *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Adde quod pedũ nudatio est actus cultus & reverentiæ, unde & Moysi dicitur, *Solve calceamentum de pedibus tuis, terra enim, in qua stas, sancta est*, hic vero honor nõ debebatur agno carnali, sed Sacramentali, ideoque Christus præmisit ante consecrationem lotionem Apostolorum, qui & calceamenta solverunt, non solum ut eorum pedes abluerentur; sed etiam ut & ipsi disponerentur ad cultum & reverentiam sanctissimi Sacramenti. Bona hæc fuga est pro qua non ponũtur, sed sic calceamenta deponuntur. Huc pertinet, quod est, apud Ambr. cap. 5. cit. *Fugiamus ergo hinc, ubi nihil est, ubi inane est omne, quod magnificum putatur esse, ubi & qui se putat aliquid esse, nihil est, & omnino non est. Vidi, inquit, impium superexaltatũ & elevatũ ultra cedros Libani, & transivi, & ecce non erat, Et tu trãsi sicut David: trãsi sicut bonus servus, ut dicatur tibi, Transi, recũbe. Trãsi sicut Moyses, ut videas Deum Abrahã, Isaac & Iacob, ut videas visum magnum. Sed si videre cupis, solve calceamentum pedum tuorum, solve omne vinculum iniquitatis, solve vincula sæculi, relinque calceamentum, quod terrenum est.* Omne terrenum reliquerat discalceatus Ioannes, qui cum magnificus haberetur ab Hebræis numen esse arbitrantibus, & rogantibus.

Gloriosa fuga.

Luc. 22. 35.

Luc. 14. 33.

Exod. 35.

Ioa.1. 21. *Tu quis es?* respōdit, *Non sum ego Christus*, & cum interrogaretur, *Elias es tu?* dixit, *Non sum*, & cum replicarent; *Propheta es tu?* respondit, *Non.* Hic non seipsum deprædicabat, sed Christum in Sacramento, *Ecce Agnus Dei*, pro cuius esu tenēdi sunt baculi in manibus, quibus innitamur & incūbamus;
Ps.22.5. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Crux Christo Virga, nobis baculus, cum meritis passionis eius innitamur: virga percutit, baculus sustētat, Christus percutitur, ut nos fulciamur ac sustentemur. Ne deficiamus in via, & omnes eius difficultates superemus, merita Christi arripiamus, & festinanter Agnum sacri altaris comedamus, nihil hærentes, nihil hæsitātes, sed festinantes cum Helia, qui totus festinus accensus & fervidus iter suum fecit & perfecit. Meminerimus celebrari in Sacramento transitum
Heb.12.2. Domini, quo transivit de hoc mundo ad Patrem, nihil hæsitans in ijs, quæ sibi obiiciebantur. *Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta.*

Convivæ Agni Sacramentalis.

VI. ALiud de agno oraculum est in eodē c. 12. Exod. *Hac est religio Phase; Omnis alienigena non comedat ex eo. Omnis autem seruus emptitius circumcidetur, & sic comedet. Advena & mercenarius non comedent ex eo. In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis. Omnis cætus filiorum Israel faciet illud.*

Non omnes ad comedeudum legalem agnum admittuntur, nec etiā ad esum sacræ Eucharistiæ recipiuntur. Excluditur alienigena; qui alienus a
Ps.17.46. fide Catholica est, alieni sunt de quibus queritur Deus, *Filii alieni mentiti sunt mihi.* Excluditur seruus emptitius; *Qui facit peccatum, seruus est peccati*, & nisi prius cultro pænitentiæ circumcidatur, capax esse nequit venerabilis Sacramenti. Excluditur advena; quippe qui propositum habeat regrediendi in primum locum, ex quo non animo sed corpore recessit, cui similis est homo, qui ita confitetur, ut careat proposito de cætero nō peccandi. Excluditur mercenarius, qui respectibus ductus humanis foris virtutem ostentat, intus vero immania continet vitia, de quorū numero erāt hypocritæ Pharisæi, a quibus esse cavēdum Christus monet. Et qui solum bene propter homines operantur, ut ab eis videantur & laudentur; *receperunt mercedem suam*, tamquam homines mercenarij, indigni propterea ut
Matt. 5. 26. ad sacrum Convivium veniāt. Procul etiam hinc de quo bonus pastor ait.
Ioa.10.12 *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.* Mercenarij mundi excluduntur, non tamen operarij vineæ Domini; *Simile est Regnum cælorum homini patri familias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam.* Qui colunt vineam, unde colligitur vinum altaris, non excipiuntur, nec illi, qui colunt agrum unde habetur frumentum Cōsecrationis. Ubi Ecclesia, ibi & ager & vinea Domini est, est etiam & domus, in qua solū Agnus Dei immolatur & consecratur, solum in una debet libari & consecrari: *In una domo comedetur, nec efferetur de carnibus eius foras* S. Isid. in Exod. c. 15. *Hoc de corporis Christi Sacramento, cuius agnus ille figuram obtinuit, propriè tenetur scriptū, cuius corpus, & sanguis in una domo, id est, in una Ecclesia vesci præcipitur, nec efferri foras, in plebibus scilicet hæreticorum, qui ab eadem Ecclesia Catholica unitate foris vagantur.*

Mercenary cælestes & mundani. Matt. 20. 1.

Qui

Qui pertinent ad Ecclesiam, quique de eius sunt gremio, ad hanc vocantur celebritatem; *Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud.* Filij Israel videntes Deum sunt, ad gustum, & aspectum invitat eos David; *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Ita circa hoc divinum mysterium procedendum est, ut per species non curiosé, sed religiosé Agnum, qui sub sacris speciebus delitescit, perspicacitate fidei illum detegat, cernat, & intueatur, unde non incongrue dici solet a Catholicis ire se ad videndum Deum, cum eunt ad sacrum audiendum. Non natura, sed gratia potius censeri debet homo Israelita, subiungitque propterea Deus. *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum eius, & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ. Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ, & colono, qui peregrinatur apud vos.* Typicus agnus circumcisus non erat, & ad sui esum circumcisos convivas exigebat, Agnus vero mysticus passus est se circumcidi, ut non carne sed spiritu circumcisos habeat sui communicatores.

Divitiæ sacri altaris.

Lex illa sacerdotalis est indicta a Moyse Leu. c. 8. *Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas, panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus dicens; Aaron & filij eius comedent eos, quicquid autē reliquū fuerit de carne, & panibus, ignis absumet.* VII.

Secundum Apostolum *egena elementa* erant veteris legis, erant & egeni & pauperes, qui illis vacabant. Si qui divites esse deberent, fuissent profecto, qui ad domum & familiam summi sacerdotis pertinebant, & tamē illi mendici erant, & tamquam cum mendicis Deus cum illis agebat. Hic mos miserorum pauperum ac mendicorum est, ut ad fores divitum cum suis sportulis se sistant, ut stipem habeant carnis & panis, ex quibus alātur & sustentētur. Quæ causa est, ut de mandato Domini dixerit filijs Aaron Moyses, *Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas, panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro.* Longè alia sunt mysteria ac Sacramenta gratiæ, non sunt vacua & egena; sed opulēta, & plena, in quibus cęlestes opes, diuinique thesauri continentur, præ reliquis pretiosa est sacra Eucharistia, ubi Christus est, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & sciētiæ Dei absconditi.* Quotquot illi adhærent, divites in illo fiunt, famentes non aurum & argentum humanum, sed divinum ditat ac locupletat; *Esuriētes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Cū sint dites ac locupletes, non reijciuntur ad fores, sed intra domum admittuntur, & in templum Dei recipiuntur more Regum, qui *intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius.* Quare divina Sapientia Patris *misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis, &c. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Non vocat ad fores, sed ad *arcem*, in qua *proposuit mensam suam* sibi, suis ministris, ac servis communem: *In suprema nocte cœnæ recumbens cum fratribus, Observata lege plenè cibis in legalibus, cibum turbæ duodenæ, se dat suis manibus.* Dives Christus, de quo Ioannes, *Dedit ei omnia Pater in manus.* Hic ipse *se dat suis manibus*, ut & ipse depauperetur, & homo locupletetur. Noverat Apostolus opes & divitias Christi, de quo scribit; *Ipse egenus factus est, ut vos divites essetis.* Non poterat non esse

Gal. 4. 9.

Mendicitas antiqui sacerdotij.

Col. 2. 3.

Luc. 1. 53.

Matt. 2. 11.

egenus, qui *tradidit seipsum pro nobis*. Qui vel se sibi non reliquit, sed se suis manibus dedit, pauperrimus est. Huc collimavit David, cum diceret Ps. 40 *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Adiungo commentarium Ambrosij. *Beatus quidem, qui compatitur pauperi, qui haurit eius necessitates. Sed quid sibi vult istud exordium in Domini passione? Quæ est ergo ista paupertas, quæ divites facit? Consideremus eam, intendamus in ipsum venerabile Sacramentum. Quid purius potest esse eo, atque simplicius, sed exiet, inquit, aqua de fontibus Salvatoris, & paratur in conspectu tuo mensa cælestis, & poculum inebrians quam præclarum. Hæ sunt divitiæ simplicitatis, in quibus est Christi pretiosa paupertas.* Ditatur homo de Deo, cum sacram accipit communionem, Deus vero de homine pauperatur. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet*, ut ille de me ditescat, *& ego in illo*, ut de eo pauper fiam.

Instructa mensa Ecclesiæ.

VIII. LEvit. cap. 24. *Accipies similam & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas, quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues, & pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis monumentum oblationis Domini.*

Secundum numerum tribuum, panes duodecim erant, in quos nullum habebant jus extra degentes. Nec tam pro numero tribuum, quam Apostolorum duodecim panes erant, nec panem participant Eucharistiæ, nec participare queunt, qui non sunt de Ecclesia Christi, ubi mensa purissima altaris est, & in ea Deo pura & munda hostia immolatur, cuius participes fiunt omnes fidem Apostolorum sectantes ac profitentes. Duodecim quoque sunt portæ supernæ Ierusalem, per quas ingressus non datur extra Ecclesiam Apostolicam viventibus, & in ea sacram Eucharistiam non sumentibus, cum dixerit Christus; *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: vitam scilicet perpetuam & æternam; *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Mensa purissima illa erat, necdum tamen plenè erat instructa, cui mappa deerat. *Nihil ad perfectum perduxit lex.* Perfecta mensa altaris est, quæ mappa candida ornatur, & sine qua sacra hostia non consecratur. Adjungitur *thus lucidissimum* panibus, splendidum symbolum precum & orationum, quæ in sancto sacrificio Missę dicuntur, & recitantur. Thuriferam esse volebat orationem suam David, *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*, & tota Davidica Ecclesia sic celebrat, ut oret, & orando thus lucidissimũ cum sacris panibus componat, & declaret quale sit sacrum quod facit nimirum *monumentum oblationis Domini*: Pręceperat ita offerēdum Christus, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Hęc ipsa est, de qua canit David; *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Cæteri quidem reges ac principes monumenta sui nominis reliquerunt, & relinquunt attendentes suæ glorię, non miserię, & necessitati hominum posterorum: at misericors & miserator Dominus nobis condolens & compatiens tale esse de se monumentum voluit, quale necessarium erit pro nostris levandis laboribus, & oneribus sublevandis. Non solum pręsentibus ait, sed etiam nondum existentibus dicit, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Cęteri omnes in suis monumentis conantur vivere, cum sint mortales, *Iesus Christus*

Ps. 110. 4. *Providet Christus nostris miseriis.*

Christus heri, & ho die, immortalis est, & in monumento suæ oblationis non de propria agit vita, sed de nostra, *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

Summa bona Eucharistiæ.

LEvit. cap. 26. *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem, & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pavore habitabitis in terra vestra.* IX.

Cultoribus legis varia bona pollicetur Deus, pluviam, fructus arborum, frumentum, & vinum, quæ omnia, si corporaliter & non spiritaliter accipiantur, non esset digna compensatio nec remuneratio pro exacta & accurata custodia præceptorum divinorum. Deus legis suæ observatoribus loco præmij principalis non carnalia, sed spiritalia dona suppeditat, quæ temporalia sunt, additamenta quædam sunt minoris pretij, nam ut ait Hieronym. lib. 3. in Mat. *Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet: quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur.* Confirmat hoc ipsum dicto suo Nathan propheta, dum nomine munifici Numinis lib. 2. Reg. cap. 12. recenset Davidi regia munera ac munia, quæ collata illi fuerant, & immemor eorum graviter in suum benefactorem deliquit; *Hæc dicit Dominus Deus Israel. Ego unxi te in Regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel, & Iuda; & si parva sunt ista, adijciam tibi multo maiora.* Hæc autem maiora sceptro, corona, aula, & regno spiritalia censenda sunt. Ergo cum ait divina Majestas, *dabo vobis pluvias temporibus suis*, spiritaliter accipe. *Quæramus*, inquit, hoc loco Cyrill. *quæ sit pluvia, quæ Sanctis tantummodo datur? Nonne Moyses est, qui dicit pluviam esse quod loquitur? Expectetur sicut pluvia eloquium meum, & descendant sicut ros verba mea, sicut imber super gramen, & sicut nix super fænum.* Spiritaliter accipe: Terra *gignet germen suum.* Cyrill. *Post primam benedictionem pluviæ ista secunda est, quæ dicitur terra suscepta pluvia dare nativitates suas. Invenimus quia & Isaac benedicens Iacob ait; Det tibi Dominus de rore cæli, & ab ubertate terræ plenitudinem frumenti & vini. Putas ne tale frumentum dabit Isaac filio suo Iacob, quale habent peccatores homines, & quali abundabat etiam impius Pharao! Hæc erat tanti Patriarchæ benedictio? Vis tibi adhuc ostendam quomodo & aliqui iniqui habeant multitudinem frumenti? Intuere illum in Evangelio, cuius ager multos attulerat fructus, qui dixit; Destruam horrea mea, & maiora readificabo, & dicam animæ meæ. Habes multa bona reposita in annos multos, manduca, bibe & lætare.* Quale autem sit vinum, quale frumentum fuerit Isaaco promissum, dixit ibidem Cyrillus, & prædixerat cap. 9. Zacharias; *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Spiritaliter accipe: *Pomis arbores replebuntur.* Cyrillus: *Habemus intra nos arbores sive bonas sive malas. Et quæ bonæ sunt, fructus malos non possunt afferre; sicut quæ malæ sunt, fructus non afferunt bonos, &c. Vis autem tibi de Scripturis ostendam arbores vel ligna appellari singulas virtutes? Adhibebo testem Salomonem dicentem de Sapientia: Lignum vitæ est, inquit, omnibus qui amplectuntur eam.* Audi loquentem pro se Patris Sapientiam

Bona spiritualia æstimāda.

Ioa. 6.58. pientiam: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Spiritaliter accipe; *Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem.* Cyrill. *Per totum annum possumus seminare, possumus & ex Apostolicis litteris multa semina iacere. Semper est, quod seminetur in omni vita nostra: ocij nullum tempus est. Quamdiu respiramus, seminemus: tantum est, ut in spiritu seminemus, ut de spiritu metamus vitam aeternam.* Quæ causa est, ut sedulus pater familias negocietur semper circa vineam, & semper nos velit in eius cultura versari & occupari; & seminatoris perpetuum exerceat officium ille, qui *exijt seminare semen suum*; Luc. 8. 5. ut & nos illum imitemur, ad hoc ut bonam colligamus messem, & pane abundante fruamur; *Et comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pavore habitabitis in terra vestra.* Quis hic panis est, qui tollit terrorem, & pavorem? Cyrill. *Respiciamus ad eum, qui dixit: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi: & qui manducaverit hunc panem, vivet in aeternum.* Solus hic panis satiat animam, ex hoc solo tota saturatur Ecclesia, *Satiasti, Domine familiam tuam muneribus sacris.*

Caelum portatile Eucharistia.

X. NUmeror. cap. 4. *Mensam propositionis involuent hyacinthino pallio, & ponent cũ ea thuribula, & mortariola, cyathos, & crateras ad liba fundenda, panes semper in ea erunt: extendentque desuper pallium coccineum.*

Hæc lex imposita est Levitis, ut quoties de loco in locum transportandum esset tabernaculum, mensam propositionis hyacinthino pallio involutam transferrent. Totum illud tabernaculum in formam cæli cõstructum erat, & idcirco cum transmutabatur, quasi portatile cęlum erat. Quamobrem pro itinere velo cæruleo tegebatur cum suis appendicibus candelabrum. *Sument & pallium hyacinthinum, quo operient candelabrum cum lucernis, & forcipibus suis.* Cæruleo quoque velamine cooperiri aureũ altare præcipiebatur. *Nec non & altare aureum involuent hyacinthino vestimento.* Hoc ipso de mandato Domini sacra vasa involuebantur. *Omnia vasa, quibus ministratur in Sanctuario involuent hyacinthino pallio.* Primum omnium dicitur; & præcipitur, *mensam propositionis involuent hyacinthino pallio,* quoniam futurum erat, ut esset de cælo panis, cuius delapsu terra ipsa in cælum converteretur. Quo pertinet illud Chrysostomi Hom. 24. in 1. ad Corinth. *Dum in hac vita sumus, ut terra nobis caelum sit, facit hoc mysterium.* Qualis mensa, tale & tabernaculum, qualis Eucharistia, talis Ecclesia, talis & anima, tota planè cęlestis. Deus qui dixit Iobo; *Numquid nosti ordinem caeli, & rationem eius in terra?* Idem ipse ordinem cæli, & rationem eius sanxit in terra, cum sacrum hoc mysterium condidit & edidit in mensa cænaculi potius quam tabernaculi. *Et ponent cum ea thuribula.* Hæc ad orationem pertinent, cum scriptum sit, *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Hic quippe panis de cælis petendus est, cum ex præscripto Christi, sic debeamus orare, *Pater noster, qui es in caelis, &c. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quin & ipse Christus *levavit oculos in caelum;* ut seipsum consecraret. Rite igitur ac recte thuribula precum & orationum velo hyacinthino cooperiuntur. *Et pones cum ea thuribula, & mortariola, cyathos, & crateras ad liba fundenda.* Quærit S. Isidor. quę sit differentia inter libare, & immolare, & respondet in lib. differ. *Veteres immolare dicebant quan-*

Iob. 38. 3. *Caelestis ordo Eucharistia.* Ps. 140. 2. Matt. 6. 11

quando victimas in mole altaris ponentes ignem sacrificijs subijciebant. Libare autem, quando pateras mero plenas aris fundebant. Nam libare propriè fundere est. Nos ergo juxta verborum distinctionem immolamus panem, libamus calicem. Per cyathos ergo & crateras ad liba fundenda calix consecrationis adumbrabatur, sicut & sacrę hostię per panes propositionis denotabâtur. *Panes semper in ea erunt.* Semper est in sacris panibus Christus, qui dicit de se; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationē sæculi?* Cum vero a sacra Matt. 28. 18.
mensa iturus esset Dominus Iesus Christus ad cruentam suam passionem mandatur Levitis, ut desuper extendant *pallium coccineum.* Supra pallium cæli pallium sanguinis apponitur, quoniam desuper decretum a Patre fuit, ut pro nobis Filius pateretur. Audi Præsidem silenti Christo dicentem cap. 19. Ioan. *Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* Audi bonum Iesum respondentem: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* In huius Pręsidis domo accepit vestem coccineam, cuius simulacrum erat pallium purpureum, quod super tegumentum hyacinthinum ponebatur, & eius velamine panis vivus, qui de cælo descendit, operiebatur. Hoc velum coccineum atque purpureum Christi patientis convenit satis mensæ, in qua memoria passionis eius recolitur.

Propria Christi oblatio.

XI.

NUmer. 28. *Præcipe filiis Israel, & dices ad eos: Oblationem meam, & panes & incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua.*

Solet mater multas habere filias, & tamen unam præ cæteris aliis suam appellat, sicut & pater præ multis aliis filiis unum & singularem, quem unice ac singulariter diligit, filium suum nominare cōsuevit. Licet Deus tot ac tam varia sacrificia in vetere haberet lege, præcipit filiis Israelis. *Oblationem meam, & panes, & incensum odoris suavissimi offerte per tempora sua.* Non vocat oblationem suam taurorum & hircorum, & animaliū cæterorum, sed panum, & incensi immolationem. Simillimas sibi proles eligunt parentes, ut suas esse dictitent. Cum dicat Christus de se, *Ego sum* Ioa. 6. 51.
panis vivus, qui de cælo descendi: quid similius Christo, quam panis Eucharisticus, de quo ipse; *Hic est panis, qui de cælo descendit?* Est causa cur dicat: *Oblationem meam,* sic sæpè, vocat eam in Evangelio; *Caro mea vere est cibus & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Cum venit ad Consecrationem. *Oblationem meam* vocat, & suam facit. *Hoc est enim corpus meum,* &c. *Hic est enim Calix sanguinis mei.* Quod si parentibus singularis unius prolis amatoribus accidere solet, ut domi illam retineant, cæteras alibi locent ac collocent, videmus hoc ipsum in Christo, qui cæteras hostias & victimas ex templo & ecclesia sua dimisit, una contentus Eucharistia, quam domi retinet, & conservat, ut sola illa in cultu ac veneratione omnium sit, & non alio ritu, quam illo qui sibi debetur, colatur & adoretur. Ea propter vult, ut cū panibus sit incensum suavissimi odoris, certum signum & symbolum suæ divinitatis, siquidem Arabiæ Reges, ut Christum testarentur hominem, myrrham obtulerunt, ut Regem colerent, aurum dederunt, ut Deum adorarent, thus & incensum immolarunt. Suavissimus Deo odor, cum offertur sacer panis, & oblatus diuinis moribus colitur. Offertur *per tempora sua*

Amor Christi erga Eucharistiã.

Non

Non unum tempus signat, sed tempora. *Omnia tempus habēt*, & suo alligantur tempori, etiam Sacramenta, ut a fidelibus accipiantur; Sacramentalis autem oblatio, consecratio & communicatio per singulos pertinet dies, hebdomadas, menses, & annos, quibus sacra celebrantur. Dixit Salomon, *Omnia tempus habent*, & unicuique rei suum designat tempus, cu-
Eccl. 3. 1. ius distributio talis est, ut accommoda sit sacræ Eucharistiæ & passioni.
Ioa. 6. 58. *Tempus nascendi* inquit, *& tempus moriendi*. Natus celebratur in Eucharistia, *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me*; & cum dicat de se. *Hic est panis, qui de cælo descendit*, hic ipse moritur Crucifixus. *Tempus plantandi, & tempus euellendi, quod plantatum est*. Frumentum quod seritur & plantatur, & evadit in panem virtute consecrationis, evellitur in passione. *Tempus occidendi, & tempus sanandi*. Crux lethalis Christo fuit, hostia salutaris est. *Tempus destruendi, & tempus ædificandi*. Construitur corpus in cænaculo. *Hoc est enim corpus meum*, quod destruitur in morte. *Tempus flendi, & tempus ridendi*. Christus ridet tormenta consecratus, qui flet inter tormenta maceratus. *Tempus plangendi, & tempus saltandi*. Ad saltum & exultationem
Ps. 83. 3. vocat consecratio, *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, ad planctum passio. *Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi*. Lapides Apostolici Sanctuarij sparsi sunt in passione, sed quando cognoverunt eum *in fractione panis*, collecti fuerunt. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus*. Amplexati sunt mutuo se Christus & Apostoli medio Sacramento ante passionem, in qua satis longè invicem remoti fuerunt. *Tempus acquirendi, & tempus perdendi*. Dignatus est Christus ita mori, ut perderet honorem, voluit ita consecrari, ut illum acquireret. *Tempus custodiendi, & tempus proijciendi*. Custodivit Christus sanguinem suum in Calice, quem profudit, & projecit toto tempore suæ passionis. *Tempus scindendi & tempus consuendi*. Consuit animam cum corpore, cum seipsum consecravit, quæ & a carne divisa est, cum moreretur. *Tempus dilectionis, & tempus odij*. Dilectus in cæna, odio in Cruce habitus est. *Tempus belli, & tempus pacis*. Hostiam pacificam Christus offert, & statim se confert ad bellum cum principe mundi huius præliaturus, & omnes eius vires eversurus. Concludit Salomon factam temporum designationem secundum rerum & negociorum varietatem, & rogat; *Quid habet amplius homo de labore suo?* Neque abs re rogari potest, quid amplius habeat Christus de labore suo præter Crucem, & Eucharistiam, Crucem ut nos redimat, Eucharistiam, ut nos alat.

Favor pauperum.

XII. DEut. 8. *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu & patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.*

Magna cura est, quam Deus erga pauperes habet, ut eos sustentet &
Ps. 21. 27. alat; *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.*
Ps. 9. 34. Requirunt eum deserti ac derelicti; *Tibi derelictus est pauper*, Derelictus
Ioa. 5. 7. Christo pauper, qui dicit in Evangelio; *Hominem non habeo*. Habuit hic pauper Deum & hominem pro se, cuius verbo ac beneficio sanatus est. Habet hanc gloriam Deus, ut inopum misereatur. Miseratus est eos, quos afflictos

afflictos summa necessitate deprehendit, cum Philippum interrogaret; *Vnde ememus panes, ut manducent hi?* Hoc ipsum antiquum apud Deum est, qui oppressum olim inopia populum cælesti pane refecit, ac recreavit, quemadmodum Israeli Moyses significavit; *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu & patres tui.* Certum hoc prænuncium fuit non pro divitibus, & opulentis mortalibus, sed pro pauperibus & egenis sacrum hoc mysterium fore iuxta ipsius Dei promissum, *Pauperes eius saturabo panibus.* Ps.131.10 Adimpletum modulata Virgo est; *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes*, Luc.1.53. exclamatque propterea Ecclesia; *O res mirabilis! manducat Dominum pauper servus & humilis.* Deus humilitatis amator est, *Deus non iactat sua beneficia.* qui non iactat, nec ostentat beneficia sua, cum ignorantibus adhuc & nihil minus cogitantibus benefaciat, *Dedit tibi manna, quod ignorabas tu & patres tui.* Accedit Philo. lib. 1. de vita Mos. *Mœstis omnibus, & nihil præter extremam calamitatem expectantibus imminentem, ut putabant, capiti, Deus partim motus clementia, partim in honorem ducis suo iussu electi, quo magis eius pietatem, sanctitatemque commendaret, parem prosperis rebus, & dubijs, miseriæ remedium exhibuit nouum, & inauditum antea: ut tam manifestis signis sui favoris præsentis reverentiam eis induceret, si quando non cederent ex sententia, spem simul & patientiam ne abijceret.* Cum laborarent, quales ille cibus esset, stupefacti sciscitabantur ex duce, quæ nam esset nunquam ante visa pluvia, aut in quem usum demissa, tum ille divinitus hoc oraculum edidit. *Mortalibus data sunt arua campestria sulcu proscindenda, ut sementem agricolis reddant cum fænore proventus annui, quantum sit ad rerum victui necessariarum copiam: at Deo non una pars, sed totus mundus subditur, cuius portiones pro potestate vertit in usus, quoscumque uult: nunc sic illi visum est, ut alimentis aer, non aqua subserviat, quandoquidem terra solet producere pluviam. Ægyptius fluvius quotannis arua inundans, & irrigans quicquid aliud est, quam terrestris pluvia?* Omnia hæc certa erant vaticinia sacrosanctæ Eucharistiæ, ad cuius solenne Convivium ignorantes accersuntur, Sapientia quippe *insipientibus* locuta est, *Venite comedite panem meum.* Hoc cæleste manna Prov.9.5. quale sit, verus noster Moyses docuit in Evangelijs, præsertim cap. 6. Ioannis, ubi dicit Apostolis, *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus &* Ioa. 6.59 *vita sunt.* Spirabat aër, & antiquum manna pluebat, spirat nunc Spiritus sanctus, & defluit ex alto mirabilis Eucharistia. Cum ex aere datus est cibus, ostensum est; *quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur ex ore Dei:* omnia quippe Deo subjecta sunt, quæ pro sua potestate vertit in quoscumque usus. Hoc ipso testimonio usus est Christus cap. 4. Matth. cum *accedens tentator dixit ei. Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Respondit Christus tentatori; Scriptum est, *Nō in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Caro humana non est apta gustui & palato humano, accedente autem verbo Dei idonea efficitur, ut edatur. Deus est, qui loquitur, *Caro mea vere est cibus,* Deus qui dicit; *Accipite & comedite ex eo omnes, Hoc est enim corpus meum.* Facessant igitur hinc, qui malè locuti sunt de Deo, atque dixerunt; *Quomodo* Ioa. 6.54. *potest hic dare nobis carnem suam ad mãducandum?* Alit Deus nos per verbum suum, quod ex ore suo egreditur, sicut & aues nutrire solent pullos suos, ut sursum volent. Pascit igitur nos Deus, pascit Christus de divino suo ore, ut volatũ edamus, & ad superna tẽdamus, sicut & ipse volavit & ascẽdit, *Sicut* Deut.32. *aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitãs.* Præit ille, sequũ- Isa.60.8 tur ex cęnaculo Apost. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad*

C *fene-*

Cant. 2. 10. *fenestras suas?* Secundum vaticinium, *Volabunt, & non deficient*. Etquidem Ecclesia de ore Dei enutrita avis vocatur, *Vna est columba mea*, & fidelis David ait. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Alebatur hic de ore Dei; *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Ps. 54. 7. Ps. 118. 103

Indeficiens manna Christi.

XIII. CAp. 5. Josue; *Defecit manna, postquam comederunt de frugibus terræ, nec ultra usi sunt cibo illo filij Israel, sed comederunt de fructibus præsentis anni terræ Chanaan.*

Sub antiquo Iosue cessavit manna, quoniam filij Israelis præsentibus terræ fructibus toti attenti & intenti erant: at sub novo Iosue, sub novo Iesu non deficit Eucharisticum manna, sed de novo efficitur, & porrigitur *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Nec periculum est, ut aliquando esse desinat aut cesset, cum dicat noster Iesus; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Mirabile quidem erat, quod *defecit manna:* aliud est venerabile Sacramentum, de quo canit David; *Memoriam fecit mirabilium suorum.* Quis non sciat, & videat, quanta Christus patravit miracula? Leguntur in Evangelijs, audiuntur in Evangelicis prædicationibus, omnia autem illa fuerunt, sed ita esse desierunt, ut adhuc maneant in mirabili Eucharistia; *Memoriam fecit mirabilium suorum.* Hoc mysterium conficitur & perficitur *in remissionem peccatorum*, ex quibus mala miraculosè a Christo ablata & sanata ducunt originem, & idcirco tamquam in radice curat, & præstat omnia miracula præstita alias per se; nunc autem per venerabile Sacramentum, pro cuius epulo servo jubetur, *Debiles, & claudos introduc huc.* Cum autem vetus māna typus esset cęlestis huius mysterij, defecit, postquam Hebræi *comederunt de frugibus terræ.* Cœperūt esse filii terræ, qui prius erant instar Angelorum filij Dei, & cæli. Qui terrena sapiunt, filii sunt terræ, qui attendunt solum cælestia, Deum habent patrē more veterum Levitarum, qui nihil pręter Deum possidebant, & de quibus Philo libr. de Plantat. Noe testatur Deum tamquam cum cælestibus viris in terræ promissæ divisione ac distributione egisse ac se gessisse. *Integram tribum non agro donavit, sicut cæteras undecim: sed ut eximiam honoravit sacerdotio cælesti, non terrena possessione. Non erit, inquit, tribui Levi portio nec hereditas inter filios Israel, quia Dominus ipse hereditas eorum est. Ex persona quoque Dei canitur in eius oraculis in hunc modum. Ego portio tua, & hereditas: nam perfectè purificata mens, quæ se abdicavit creaturis, procul dubio nihil novit præter illum ingenitum, ad quem accessit, & à quo recepta est. Quis enim potest dicere, ipse mihi solus est Deus, nisi qui nullam istarum rerum inferiorum amplectitur, &c. Fertur quendam è priscis correptum insano amore sapientiæ quasi mulieris formosissimæ, cum sumptuosæ pompæ spectaret apparatum copiosissimum, versum ad quosdam familiares dixisse, Videte amici, quam multis rebus opus non habeo.* Multis opus non habet filius Dei, cuius digna vox est, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocavit.* Sapiens ille, teste Philone, *nihil habebat præter amictum necessariū.* Necessarius amictus est pro epulis Sapiētiæ, ne quis reprehendatur. *Amice quomodo huc intrasti non habens vestē nuptialē?* Pręter hanc vestē nihil est opus, ut quis Deū capiat, & habeat, & habēs dicere

Ioa. 6. 59. Matt. 28. 18. Ps. 110. 4. Luc. 14. 32. *Affectus terrae dit*

cere possit, *Quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Hic verus Levita est non terrenis inhians, sed cælestibus, non præsentibus, sed futuris, non temporalibus, sed æternis, quorum certum ac securum est pignus venerandum Sacramentum.

Crucis, & Eucharistiæ triumphus.

IUdic. 7. *Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcineritius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere, cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, & terræ funditus coæquavit.* XIV.

Nobilis typus Christi extitit Gedeon, cuius vel ipsum nomen, teste & auctore S. Isidoro in Commentar. Iudic. cap. 5. sonat Verbum conceptum ex Virgine. *Gedeon namque interpretatur, circumiens in utero. Dominus enim noster per maiestatis potentiam omnia circumplectitur, & tamen per dispensationis gratiam intra uterum Virginis venit. Quid est ergo circumiens in utero, nisi quia omnipotens Deus Christus intra uterum fuit per infirmitatis substantiam, & extra mundum per potentiam majestatis?* Gedeon cum trecentis pergit ad prælium. *Quid ergo per prædictum tricenarium numerum designatur, nisi perfecta cognitio Trinitatis? Cum his quippe Dominus noster adversarios fidei destruit, cum his ad prædicationis bella descendit, qui possunt divina cognoscere, qui sciunt de Trinitate, quæ est Deus, perfectè sentire, &c. Vel certè in his trecentis, qui in littera tau continentur, hoc exprimitur, quod ferrum hostium Crucis ligno superetur.* Ergo antequam Gedeon in typo Crucis decertaret, præivit militis somnium, in quo per panis subcineritij formam ac similitudinem figuratus est panis Sapientiæ. Antequam venit ad Crucem Christus, panem suum consecravit, in quo quid futurum esset, dum in Cruce contra hostes preliaretur, præsignavit. Successum quoque prælij Gedeonis prævidit miles, qui dixit; *Vidi somnium.* Hoc somnium erat a Spiritu sancto, in cuius adventu prædixit Ioel cap. 2. *Senes vestri somnia somniabunt.* Quales esse somniantes solent, tales debent esse communicantes; *In somniorum visionibus*, ait Philo lib. de Ioseph. *Videntes non videmus, gustantes aut tangentes, nec gustamus, nec tangimus.* *Mysticus somnus sensuum.* Circa sacram verò communionem unusquisque monetur. *Quod non capis, quod non vides, Animosa firmat fides, Præter rerum ordinem.* Sic tamen somniat sensibus renuncians homo, ut corde & animo fidei lumine tacto, & illustrato dicere possit & debeat; *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ubi fides est, dormit sensus, vigilat mens. *Vidi*, inquit, *somnium, & videbatur mihi quasi subcineritius panis ex hordeo volvi.* Cant. 5. 2. Quæ est Cæsaris imago, non est Cæsar, sed quasi Cæsar existimari debet; ergo cum panis ille typus esset veri panis, qui in sacro altari offertur & confertur, *quasi subcineritius panis* convenienter appellatur. Preit subcineritius panis Eucharisticum, & merito, ut & locum hic habeat sententia Philonis libr. de Abel & Cain. Agit de pane subcinertio, & concludit; *Quamobrem placet mihi consilium eorum qui ante magna mysteria initiant minoribus.* Cum autem conversio panis in corpus Christi fiat virtute consecrationis, panis ille volvebatur, & dum volveretur, descendebat, quoniam *hic est panis, qui de cælo descendit.* Descendit ille in castra Madian, *cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud atque subvertit, & terræ funditus coæquavit.*

 Madian.

Madian sonat iudicium, sicut allegatus notat Isidor. & ea est vis ac virtus venerabilis Sacramenti, ut omne superet humanum iudicium tam in sancto Evangelio, ubi male de mysterijs Eucharisticis censuerunt Hebræi, quam in Catholica Ecclesia, ubi tot iniquæ censuræ de sacrosancta Eucharistia datæ ab hæreticis Sacramentalibus, Lutheranis, & Calvinianis, Protestantibus, & Puritanis penitus evanuerunt. Gloriosa de humano iudicio victoria parta in cænaculo confirmata est in sacra passione Crucis, circa quam turpiter etiam errarunt concilia & iudicia mortalium.

Fauus Eucharisticus.

XV. IUdic. cap. 14. *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Sampson occidit leonem, ad cuius cadaver evolarunt statim apes, & in eo fauum suum fabricarunt, inde sumpsit Sampson occasionem, ut componeret, & proponeret in suis nuptiis hoc problema; *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* S. Isidor. in lib. Iudic. cap. 8. *Quis primum erat in Sampson obvium leonem necans, cum petenda uxoris causa ad alienigenas tenderet, nisi Christus, qui Ecclesiam vocaturus de gentibus dicit: Gaudete quia ego vici mundum?* Vicit ille mundum, & in suis nuptiis parabolam illam proposuit: *Simile est Regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio* Matt. 22. 2. *suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, &c. Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt: & omnia parata: venite ad nuptias.* Illi autem *neglexerunt.* Postquam se vidit ab invitatis primis, hoc est, ab Israelitis neglectum atque contemptum, divertit ad gentes. *Tunc ait servis suis; Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi eius in vias congregaverunt omnes, quos invenerunt malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* Totum hoc ad populum gẽtium pertinet, sicut & Sampsonis Eucharisticum problema. *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Hic cibus Eucharistiæ est, qui varium habet saporem pro gustu & palato comedentium, cum sit cæleste manna, erat Sampsoni fauus, vitulus & avis convivis sacri Evangelij, quapropter dicit Rex, *Tauri mei & altilia occisa sunt.* Diversimode cibus sapit, sed idem omnino plane est. Et quidem Christus *leo de tribu Iuda est*, & simul occisus, ex cuius morte fauus mellis Sacramentalis provenit, Comedens ille erat in cænaculo, & de comedente exivit cibus, quem nobis prębuit. Comedens ille erat, nec saturabatur salute animarum, quibus libenter pascebatur, ut & ipse in conversione Samaritanæ declaravit, & de sic comedente exiuit cibus in alimentum Christianorum. Scriptum erat de illo, *Saturabitur opprobriis*, & de satiato cibus mysticus processit. Leonis instar voravit & absorbuit mortem, & de sic vorante & absorbente cibus vitę redundavit; *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Erat princeps Sacerdotum, pro officio suo ac ministerio: *Sacerdotes peccata populi comedent*, comedet omnia peccata Christus, & *de comedente exivit cibus* datus & acceptus *in remissionẽ peccatorum*, reiectus a Iudæis, admissus a Gentibus, quarum gratia, *de forti egressa est dulcedo.* Fortis Christus, *Vocabitur nomen eius Admirabilis Deus, Fortis:* & quidem, *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Qualis ille, talis & dulcedo venerabilis Sacramenti, quæ animas ad se attrahit volup-

Apoc. 5. 5. *Christus comedit, & comeditur.* Thren. 3. 30. Ioa. 6. 59. Oseæ. 4. 8. Isai. 9. 6. Ps. 23. 8.

voluptate ineffabili, & inenarrabili. Hæc vis & virtus prævisa est in Elia, siquidem *in fortitudine cibi illius ambulavit usque ad montem Dei Horeb*, sine ulla fatigatione; summa potius recreatione imbutus & delinitus. 3. Reg. 19. 8.

Christus sola anima contentus

XVI.

2. REg. 12. *Pauper nihil habebat omnino præter ovem unam paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creverat apud eum, cum filiis suis simul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia.*

Venit Nathan ad Davidem, postquam acceperat Bersabee uxorem charam Vriç, pauperis quidem hominis præ divite & opulento rege, qui magnis possessionibus, deliciis, & voluptatibus abundabat. Erat Vriç uxor instar paruulæ cuiusdam ovis, quam sibi emerat, & dotarat: crevit domi eodem cum ipso pane nutrita, eodem poculo recreata, & somno in ipsius refecta gremio. Hic sensus parabolæ prophetæ Natan, quam S. Ambros. lib. 10. de Apolog. David accommodat Deo, applicat Christo, ita ut Deus per Davidem locupletem, Christus vero per pauperem & egenum capi posset. Creator Deus ditissimus est tanta multitudine Angelorum, quanta describitur in sacris litteris, Christus vero secundum statum Redemptoris unam solum habet humanitatem, unum hominem, quem redemit, unam ovem, quam emit; iuxta illud Luc. cap. 15. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & si perdiderit unam ex illis: dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam?* Hæc est humana natura, quam solam sibi accepit; *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Hæc ovis addicta morti a Deo propter delictum Adæ, etiam post adventum Christi, qui pretio sui sanguinis illam emit, & a peccatis redemit, emptam & redemptam nutrit. Est ipsi tamquam filia, de pane sacro illius comedens, & de consecrato calice eius bibens, & in sinu suo moriens & dormiens, suscepto sancto Viatico. *Pauper nihil habebat omnino, præter ovem unam paruulam.* Adhuc in cælo Christus erat, & dicebat per Isaiam: *Numquid mihi est hic?* Cum tot haberet Angelos, loquebatur, quasi nihil haberet, quoniam in suam ovem paruulam ferebatur, quam suam esse volebat, *cum dilexisset suos, qui erant in mundo*, & cum dicit, *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Nullam præter humanam creaturam ostendit, cum illa sibi loco omnis creaturæ est. Hanc emit pretioso sanguine suo, *Empti estis pretio magno.* Mira res, quod Deus nos tanti ęstimet, nec nos tradamus ipsi, sed hosti, qui vilipendit nostras animas, ut illas evertat, ac perdat. Emit & nutrivit ovem, ut cum esset paruula, cresceret & augeretur vita, honore & æstimatione. Comederet de sacro eius pane in comitatu atque consortio Angelorum; *Panem Angelorum manducavit homo.* Biberet de eius Calice, de quo ipse, *Calix meus inebrians quam præclarus est?* Dormiret in eius sinu, sicut & Ioannes, cum in cæna super pectus eius recubuit, similiter & quiescunt, *qui in Domino moriuntur:* & obiit Stephanus, de quo scriptum est; *Obdormivit in Domino.* Habet igitur causam, ut Nathan causam pauperis Christi agat, non solum apud Davidem, sed etiam apud ipsum Deum, & dicat, *Tu es ille vir*, qui paruulam ovem emptam, nutritam & refectam pane vitæ & simul calice morti aliunde venienti addixisti, quod si æqua fuit sententia Davidis asserentis, *Ovem reddet in quadruplum*, æquitas postulat,

Heb. 2. 16

Magni facit Christus animas.

Ioa. 13. 1.

Marc. 16. 16.

1. Cor. 6. 20.

Ps. 77. 25.

Ps. 22. 5.

Apoc. 14. 13.

Act. 7. 60

stulat, ut ovem in quadruplum restituas. Factum puta in sacra Christi humanitate, & simul in mortuorum resurrectione, ut advertit citatus Ambros. *Quadruplicatur enim resurrectio mortuorum, sicut docet Apostolus dicens, Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surgit in gloria, seminatur in infirmitate, surgit in virtute, seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale. Restituet planè in quadruplum etiam illo modo, quo potest homo dicere; Si cui aliquid abstuli, reddo quadruplum.*

Levamen laborantium.

XVII. 3. REg. 19. *Surge, comede, grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb.*

Ad umbram iuniperi jacebat fatigatus, lassus & mæstus S. Elias, incidit in somnium affectus tędio miserę vitæ, quam agebat, excitatus ab Angelo est, & invitatus, ut panem subcineritium sumeret, & simul aquæ haustum acciperet, monitusque est: *Surge, comede, grandis enim tibi restat via.* Cum Deus ad laborem vocat, anticipat suum auxilium. Priusquam Moyses rem haberet cum Pharaone, præventus est divino favore, antequā iunior Tobias inciperet peregrinationem, de socio Raphaele providit Deus, & necdum Elias suam inchoarat viam, adstat, & assistit Angelus præbens ei in typo & umbra sacrosanctum Eucharistiam, quam non sine mysterio Christus ante passionem suam instituit, ut scirent secum patientes ac dolentes ante labores præventum esse subsidium & levamen pro eorum tolerantia, atque patientia. Quamobrem ante sacram Martyrum passionem Eucharistia præbebatur, ut epist. 54. S. Cyprianus scribit, *Vincentibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus, & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.* Prævenitur ab armis pręlium, & a levamine via. *Surge* non tam carne, quam mente, non tam corpore, quam animo. Corde sursum aspirandum est, quoties de tanto mysterio agitur, unde & monemur. *Sursum corda*, & nos respondemus, *Habemus ad Dominum.* Item, *Comede*, non sicut prius de ministerio corui, cum animalis esses, nec de manu viduę, cū esses humanus, comede iam de manu Angeli, ut virtute mysterij Eucharistici totus Angelicus efficiaris, & ad grandia te pares & accingas; *grandis enim tibi restat via.* Non dicit, ardua & difficilis tibi restat via, sed grandis. Habet hanc vim sacra Eucharistia, ut quod laboriosum est, faciat esse deliciosum, & idcirco postquam Elias comedit, & bibit, *ambulavit in fortitudine cibi illius ad montem Dei Horeb.* Festinavit Elias, properavit, & celeriter cucurrit & indesinenter quidem, & tamen secundum textum *ambulavit*, etiam cum cliuum alti & ardui montis ascendit. Ambulare quidem solent homines, cum gratia capiendę auræ, & voluptatis, rusticari volunt, & ad rusticantium formam compositus Propheta, dum longum faceret iter, & in eo, magnis passibus, gressibusque festinis procederet, ambulavit quasi pro capienda aura egressus & progressus esset. Et certe cum ad montem pervenisset nō in commotione Dominum, *sed in sibilo auræ tenuis* excepit & sensit quasi deambulasset lenem & suavem auram capturus.

Eucharistia levamen.

3. Reg. 19. 12.

Ambu-

Ambulavit in fortitudine cibi illius, qui facilia reddit omnia, levia & suavia, quæ sunt ardua, ideo cum Christus dixisset; *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Subiunxit. *Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Christus ipse post institutionem venerandi Sacramenti, cum esset ad passionem iturus, voluit prius ire ad hortum Gethsemani, ut ostenderet pergere lubens ad pænas tamquam ad suas delicias. Nec fallor, nec fallo, cum scriptum sit, *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem en diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius., & in die lætitiæ cordis eius.* Coronatus spinis & sentibus diris a Synagoga lætus & alacer corde erat quasi floribus redimeretur, unde cum esset spinea corona sacer eius vertex cinctus in Cruce *Iesus Nazarenus*, hoc est, floridus, inscriptus est. Hinc didicerunt Martyres post sacram Communionem vel in ipsis medijs tormentis quasi in hortis, rosis, ac floribus delectari, ac deliciari.

Matt. 11. 28.

Cant. 3. 11.

Desideria Eucharistiæ.

XVIII.

IOb. c. 31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei. Quis det de carnibus eius, ut saturemur? Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.*

Habebat pro solatio Iobus, cum dira & dura pateretur, se ita fuisse domesticis suis acceptum, ut eum intra viscera sua recipere, ac recondere concupiscerent, dicerentque inter se. *Quis det de carnibus eius, ut saturemur?* Acceptus erat suis contubernalibus & simul gratus externis & peregrinis, quos intra domum suam, patentibus pro hospitibus semper portis, excipiebat. *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit*, ut apud me hospitaretur, & epularetur. Antiquum illud fervidum & accensum desiderium. *Quis det de carnibus eius, ut saturemur?* non in Iobo, sed in Christo implendum erat, ideoque nomine Christianorum dictum illud puta doctus ab ipsa Ecclesia, dum inducit Christum loquentem; *Dixerunt viri tabernaculi mei; Quis det de carnibus eius, ut saturemur?* Antequam esset in sua probatione Iobus, omnes eius familiares in vocem illam prorumpebant, ut vellent de eius carnibus satiari, & priusquam iret Christus ad passionem de carne sua suos aluit maiori ipse accensus desiderio communicandi corpus suum, quam Apostoli concupiscerent de eo participare, cum dixerit, *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Dictum est Danieli, quod esset *vir desideriorum*, quoniam eius desideria virilia erant, & similes viri sunt, & esse debent, qui præ desiderio rogant *Quis det de carnibus eius, ut saturemur?* Dixerunt viri tabernaculi, reipsa, non solum nomine viri, quales erant illi, quorum mentio fit in parabola cænæ Evangelicæ: *Homo quidam facit cænam magnam, & vocavit multos, &c. Et cœperunt omnes simul excusare. Primus dixit ei, Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Rogo te habeo me excusatum,* Hic non de carnibus eius, sed de fructibus volebat satiari. *Et alter dixit; Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Rogo te, habe me excusatum.* Hic animalis homo erat affectus suis armentis, nec petebat, nec cupiebat de sacris Christi carnibus saturari. Et alius dixit, *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Hic affectibus carnalibus ducebatur, & trahebatur, nec a deliciis matrimonialibus tantisper abstinere voluit, ut de purissimis Christi carnibus aleretur & sustentaretur. Concludit Christus. *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt,* *gustabit*

Desideriũ Christi communicandi seipsum.

Luc. 22. 15.

Luc. 14. 16.

gustabit cœnam meam. Nemo ex illis erat vir reipsa, sed tantum nomine, cũ temporalia & carnalia desiderarent, quæ de viris faciunt viles homines, animales & carnales. Tres sunt in homine vitæ, vitæ plantę, animalis, & hominis. Primus dixit, *Villam emi.* Erat illa consita plantis, quibus similis esse cupiebat, ut instar illarum cresceret, & augeretur. Dixit alius. *Iuga boum emi quinque.* Boves id genus animalia sunt ut semper ruminent, & qui meditantur terrena, animales censeri debent. Dixit tertius, *Vxorem*
Gen. 2. 18 *duxi.* Hoc humanum est, cum dixerit Deus, *Non est bonum homini esse solum. Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Homo uxoratus vivit ut homo, & cum fiat *una caro* cum uxore, non potest transire in virum. Vir est qui fit una caro
Ioa. 6 59. cum Christo; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Vir est, quem fides animosa fortem & virilem efficit. Vir plane desideriorum grandium, qui de carnibus cælestibus cupit satiari ac saturari velut domesticus ac familiaris Iesu, apud quem locum habet tam peregrinus quam viator, ut melius, & verius, quam Iobus dicere queat; *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Peregrinus & viator populus gentilis erat, domestici ac familiares Apostoli, foris non mansit peregrinus, nec viator, cum dixerit servo Dominus: *Exi in vias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Quis hactenus venit peregrinus ad cænam, & admissus non est? quis accessit uiator, cui ostium Apostolicæ Ecclesiæ non patuerit?

Pingue Sacrificium.

XIX. CAnit David Ps. 19. *Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat.*

Magna hæc felicitas est, quam optat, & precatur David Sacerdoti, ut Dominus omnis eius sacrificij sit memor, & eius holocaustum pingue reddatur. *Memor sit omnis sacrificij tui,* Deus non potest non esse memor sacrificij, quod Christus obtulit, & offertur in altari quotidie, penes nos esse potest memoriæ huius defectus, ac proinde nobis præcipitur; *Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis,* & ut ostendamus memores nõ esse tanti beneficij, subiungimus in sacra Missa; *Vnde & memores Domine, nos servi tui, sed & plebs tua, sancta eiusdem Christi filij tui Domini nostri tam beatæ passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ Ascensionis offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis bonis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam.* Cum a nobis periculum sit, & non a Deo, quid opus est, ut David quod omnino ratum & certum est, voveat, & desideret: *Sit memor omnis sacrificij tui.* Ratum & certum est, quod bonis & gratis oculis Deus respiciat panem & vinum post factam consecrationem, & nihilominus, inquit Sacerdos, *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris.* Res satis usitata est apud principes, ut conferant beneficia, & ad collationem pro more faciendam ac perficiendam exigant supplices libellos ab ijs, quibus iam concessa sunt. Concessum est ab institutione venerabilis sacrificii, ut eius sit Deus memor, verum pro solennitate ritè, ac rectè orat David, *Memor sit omnis sacrificij tui;* & rogat Sacerdos; *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris:* & iterum: *Supplices te rogamus omnipotens Deus: Iube hæc perferri per manus Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinæ maiestatis tuæ.* Accedit quod in voto suo David de omni loqui-

loquitur sacrificio, non enim solum in Missa Christum immolamus, sed & nos ipsos offerimus Deo pro eius ministerio & obsequio, unde causam habet, ut cupiat esse Deum memorem nostri sacrificij, sicut & memor est sacræ hostiæ, quam Christus dedit in holocaustum; *Et holocaustum & hominum pingue fiat*: Holocaustum ignis consumit, & si quid pingue est, statim ardet, ardet Eucharistia Spiritus sancti igne, cum pinguis sit, *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus.* Unde & nos invitat Ecclesia sancta; *Venite adoremus Regem regum, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem*, ut ad ignem Spiritus sancti accendantur, & inflammentur. Huc pertinet illud S. Dionysij scriptum in cælest. Hierarch. *Dominus noster & Deus, qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratissimum in sui traducit effigiem, deiformesque reddit.* Pertinet illud S. Ioannis Damasceni lib. 4. de Fide Orthod. *Accedamus desiderio ardenti manus in Crucis modum formantes Crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes oculos & labia & frontem divinum ignem concipiamus, ut ignis in nobis desiderij eo ex carbone ignitione comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione divini ignis igniamur & deificemur.*

In sacrificio Missæ fit Christi, & hominis immolatio.

Sacramentalis annona.

XX.

CAnit David Ps. 22. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant nos.*

Satis hoc mirabile est, ut per mensam paretur, ac comparetur victoria. Quis est iste modus pugnandi? quæ ratio præliandi? Totus militaris erat, noverat artem, ac more militari dicit; *Parasti in conspectu meo mēsam adversus eos, qui tribulant nos.* Da mihi duos exercitus sibi invicem adversantes, unus abūdet annona, alter summa laboret penuria, unus vincat, alter vero fame pereat necesse est. Paravit igitur Christus mensam. Synagogæ, ut Gentes vinceret, redactas quidem ad tales angustias, ut nec micam panis haberent, & præ inedia morerentur. Hinc illa vox Christi dicta gentili mulieri patienti summam inediam. *Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.* Cui mulier; *Etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Ad hanc replicā, exclamat Christus, *O mulier magna est fides tua.* Non erat prædita tanta fide Synagoga, quę oblatam sibi mensam rejecit, & abjecit, ut constat ex his, quæ scribit S. Ioannes c. 6. ubi Christus non semel, sed sæpe mensam Eucharisticam ultro obtulit, & toties eius oblatio acceptata non est, immo & repulsa cum magna illa blasphemia; *Durus est hic sermo & quis potest eum audire?* Quo dicto terga verterunt Hebræi, & tota cum eis Synagoga cuius loco successit Ecclesia gentium. Abeunte Synagoga, retrorsum, rogat Christus Apostolicam Ecclesiam: *Numquid & vos vultis abire?* cui Petrus Apostolicę Ecclesiæ caput, *ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, &c.* Transfertur ad Gentes mensa, ne fame pereant, sed vincant. Nosti per filium prodigum signari populum Gentium, & fatetur ille de se; *Hic fame pereo*: recurrit ille ad mensam, & de Synagoga triumphavit. Nosti per divitem epulonem populum Hebræorum figurari, per Lazarum vero miserum statum Gentium adumbrari, qui nec de micis Synagogæ participabat, sed mutatæ iam res sunt, abundant militari annona Gentes, cum Hebræi extremè fament. Hinc dolor, hinc lachrymæ, hinc lamentationes Ieremiæ Prophetæ; *Defecerunt præ lachrymis*

Matt. 15. 26.

Io. 6. 61.

Trāslatio Eucharistiæ ad Gentes.

Luc. 15. 17.

oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra iecur meum super contritione filia populi mei, cum deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi. Matribus suis dixerunt; Vbi est triticum & vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis: cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. Ad hanc ipsam miseriam damnantur omnes hæretici, qui negantes veritatem Eucharisticam transfugiunt ad castra Iudæorum, & cum ipsis penuria, & inedia extrema tabescunt.

Ordo cæli, & Eucharistia.

XXI. CAnit David Psalm. 41. *In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis.*

Cælestis mos placet Davidi, qualis autem ille sit exponit Psalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera eius annunciat firmamentum, &c. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Hic ipse cælestis ritus commendatur in his, qui pro dignitate communicant, ut ita Deum honorent, qualiter in cælo fit, & tunc servatur, cum esse deprehenditur *in voce exultationis & confessionis sonus epulantis.* Cæli exultant, dum confitentur Deum, & eius divinam gloriam, sonos & voces edunt, quibus eius majestatem proferant & declarent; Componunt se ad formam eorum, qui comedunt panem cæli exultantes, & laudantes, simulque resonantes tanti Sacramenti elogia. Cum autem Chrysostom. homil. 24. in 1. ad Corinth. dixerit, *ut nobis cælum terra sit, facit hoc mysterium*, necessarium est, ut in voce exultationis & confessionis sit sonus epulantis secundum solennem modum, ritum, ac morē cælorum, ubi verba & voces positæ sunt in armonia musicæ consonantiæ, ad quam se movent & agunt cælestes orbes. Ad hāc armoniam & armonicas motiones respiciens Deus interrogavit Iobum; *Numquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?* Huic quęsito videtur respondisse David, cum ait, *In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis.* Nec solum verbis respondit, sed ipso facto, cum totus cęlestis redditus ad sonum citharæ saltabat & exultabat coram arca, in qua manna servabatur, & repræsentabatur cælestis panis, nobis datus, & ex intacta Virgine natus. Ambros. Sermon. 80. *Elatus gaudio David in saltationem prorupit.* Concludit ex hoc facto S. Doctor; *Saltationem ergo a nobis requirit Dominus, non utique sinnosi volubilitatem corporis, sed extollentis se fidei; sicut enim qui corporaliter saltat, nunc in aere suspenditur, nunc ad altiora iactatur, nunc alternis saltibus loca diversa collustrat, ita & qui spiritualiter saltat, interveniente fide modo in aeris sublimitatem erigitur, modo ad siderum altiora tollitur, modo diversis cogitationum saltibus paradisum cælumque collustrat, & sicut qui corporaliter saltat, volubilitate membrorum se exercens gyrum sibi saltationis acquirit fidei alacritate semper se movens gyrum sibi totius orbis assumit.* Fides, ut annotat S. Augustin. fidibus re & nomine assonat, qui aguntur fide erga mirabile Sacramentum mysticas illas faciunt saltationes, edunt confessiones, sentiunt exultationes ad musicos numeros interius, exteriusque compositas.

Iob. 38. 33.

Mistica saltatio

Panis

Panis Angelorum.

CAnit David Ps. 77. *Panem Angelorum manducavit homo.* XXII.
Angelus de Deo, & a Deo solo pascitur, pascitur & homo in Eucharistia, ut & dicere possit cum Davide; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Philo. lib. de Agric. legit. *Dominus pascit me; & nihil mihi deerit,* Ps. 22. 1.
& simul monet; *Dicat unusquisque privatim idem hoc non voce per os, linguamque fluente ad breve aëris pertingente spatium: sed illo peramplo mentis sono perveniente usque ad extremos orbis terminos.* Hic planè sonus est, de quo ante dicebamus. *In voce confessionis & exultationis sonus epulantis.* Angelus divino contentus pane nihil aliud petit & expetit, quid ni homo? quid ni anima? *Si qua a Deo pascitur anima,* dicit ibidem Philo, *hoc uno soloque contenta ex quo pendet anima, rei omnino nullius est indiga, non cæcas divitias respiciens, sed quem oportet acute cernens & magnificiens.* Angelus, cum sit spiritus nec regitur nec ducitur carnalibus sensibus, quibus caret per naturam, quibus cum homo non careat, ita se cum illis gerere debet, ut non ipse ab illis trahatur; sed ipse potius eos gubernet ac regat; sicut & ipse concludit Philo; *Qui sensibus per sensibilia subministrant alimentorum copiam, servi fiunt eorum, quos alunt, tamquam dominis quotidie tributum pendentes necessarium; contra principes sunt, qui hos regunt, & refrænant insatiabilem eorum impetum, quo rapiuntur ad supervacanea.* *servitutis sensuum ablatio.* Ergo ne esset homo seruus suorum sensuum, providit illi Deus de pane Angelorum, qui sub sensus humanos non cadit, providit de alimonia spirituali animæ liberæ & immuni a vectigali ac tributo carnalium potentiarum. *Panem Angelorum manducavit homo,* ut sit Ps. 77. 25.
princeps regat, & gubernet sensus refrænando insatiabilem impetum eorum, tunc maximè cum in mysteria Sacramentalia inquirere & disquirere præsumpserint. Quomodo autem transire possit homo in Angelum, cum panem Angelicum sumit supra multis iam ostendimus, ac declaravimus.

Frumentum mysticum.

CAnit David Psal. 80. *Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle* XXIII.
saturavit eos, & ob hoc ipsum beneficium hortatur suam Ierusalem, ut suum honoret benefactorem, Psal. 147. *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, &c. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumēti satiat te.*

Alludit David ad beneficia, quæ Deus contulit filiis Israelis, postquam eis largitus est terram promissionis, dum ait; *Cibavit eos ex adipe frumenti.* Hieronym. *Induxit eos in terram repromissionis, cibavit, non manna, ut deserto, sed frumento, quod cecidit, quod resurrexit. Et cibavit illos ex adipe frumenti. Videte mysterium scripturarum, ex adipe frumenti. Frumenta adipes habet? nunquid & intestina habuit? Sed voluit largitatem, & pinguedinem gratiæ spiritualis ostēdere, & ideo adipes nominavit.* Hoc ipse utitur commentario in illa citata verba Ps. 147. *Adipe frumenti satiat te,* redarguitque inde Iudæum & dicit; *Frumentum adipes habet? O Iudæe, responde, Frumentum adipes habet? Si ergo frumentum adipes non habet, & compelleris necessitate spiritualiter intelligere secundum & illum versiculū, & cætera intelligenda sunt.* Quale autem hoc frumentū sit, ut ait Hieron. Christus ipse declarat, *Nisi granum frumenti cadens in terram*

Ioa.12.24 *ram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fru-*
Ioa. 6.54 *ctum affert*: declarat & cum dicit: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hoc autem mirum est, quod cum Christus esset mysticum granum frumenti, antequam at-
Isa.53.5. tereretur, esset iam mysticus panis. *Attritus est propter scelera nostra* in Cruce, & antequam pateretur, & crucifigeretur, viuum se panem dedit, & quod amplius est, cum descendit ipse de cælo, panis nominatur, & est;
Ioa.6 59. *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Christus est qui dicit de se; *Ego sum panis viuus*, idcirco antequam moreretur, se exhibuit edendum, & comedendũ quoque antequam attereretur. Cum autẽ mori & atteri deberet, post sacram passionem se tradidit Discipulis, quibus apparuit in via, quique cog-
Luc.24. 35. noverunt eum *in fractione panis* sacrati, ac consecrati. *Cibavit eos ex adipe frumenti*, quod cecidit, quod resurrexit. *Et de petra melle saturavit eos.* Hieronym. *Ipse frumentum est, ipsa petra est, qui populum Israel satiavit aqua in deserto. Spiritualiter melle & non aqua saturavit eum, ut quicumque crediderunt, & acceperunt cibum, mel sentiant in ore suo. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Denique & Dominus noster post Resurrectionem propterea fauum comedit, & de petra melle saturatus est. Ergo rem dico novam: ipsa petra mel comedit, ut nobis mel tribueret, & dulcedinem: ut qui in lege biberant myrrham, hoc est, amaritudinem, postea in Evangelio comedant mel Evangelij.*

Mel Evangelicum, & Eucharisticum. Evangelicum autem mel significatum est per problema illud Sampsonis:
Iud.14. 14. *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, quod mel totum Eucharisticum est omnibus his, qui credunt, incredulis vero petra dura est, quam senserunt, & deglutire non potuerunt respondentes Hebræi; *Durus*
Io.6.61. *est hic sermo, & quis potest eum audire?* Experti sunt duritiem petræ, & contra vero Petrus sensit dulcedinem mellis, cum rogatus, an recedere placeret:
Io.6.70. respondit Domino; *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.*

Panis cæli.

XXIV. CEcinit David Psal.103. *Panis cor hominis confirmet.* Qualis autem hic panis sit, statim exponit, *Pane cæli saturavit eos.*

Duplex panis est mentis, & ventris, panis ventris terrenus est, mentis vero cælestis, hoc est, qui cor hominis cõfirmat, & qui solus potest animæ satisfacere. Provenit ex grano illo frumenti, de quo scriptum legi-
Io.12.24. mus; *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quantum hoc granum sit fa-
Ex uno grano panum summa vis. cile perspici potest, vel ex eo maxime, quod ex grano uno sine mensura & numero tanta vis panũ proveniat. Assimilavit se Christus grano frumenti quod cadens in terram moritur, & mortuum mirabiliter crescit, & augetur. Nec quidem solum inter plantas seritur triticum, nec solum in terram iacitur, & corrumpitur, nec solum ad vitam cum fænore, & proventu fructuum revertitur, & tamen voluit esse similis grano frumenti, ex quo panis conficitur Eucharisticus, ut *cor hominis confirmet.* Confirmat cor hominis, si cadat, cum fiat ex grano quod in terrã cecidit, & si ita prolabatur, ut moriatur, facit bono esse animo mortalem, siquidem post mortem granum surrexit, & ex grano panis sapiens Christi resurrectionem, quin communicantis etiam hominis, cum Ioa.6. Christus ipse testatus sit;

Qui

Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die. Hanc vim, quam sacra habet Eucharistia pro confirmatione cordis humani, experti sunt duo illi discipuli, qui desponderant animum in passione Christi, & in eius resurrectione cognoscentes eum in *fractione panis*, ad primum eius aspectum vires & animos resumpserunt, ut dicere possent, *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit.* Reducit non ad terram solum, sed ad cælum etiam quibus panem cęli dedit, ut cælestes redderet. *Pane cæli saturavit eos.* Bonum semen, ex quo talis messis provenit, nec tamen inimicus homo huic pepercit, quominus tentaret superseminare zizania, etiam in cælo ipso, cum similis esse Deo voluit, & in suum errorem angelos consortes adduxit. Tentavit hoc frustra, siquidem rem cum bonis Angelis habuit, non dormientibus, sed vigilantibus, qui eius impijs conatibus se opponentes una voce cum S. Michaele clamarunt: *Quis ut Deus?* & Deus seminatorem zizaniorum è cælo in terram detrusit, ac deturbavit. Quod non potuit in cælo exequi, conatus est in terra executioni mandare, cum cecidit granum in terram, & quidem puram & immundam ab omni labe. Cecidit, cum *Verbum caro factum est*, & tunc per Herodem & Herodianos voluit immittere zizania, ne cresceret, sed flaccesceret, & periret, sed granum sanum & saluum evasit, divina & angelica cura, materna, atque paterna, custoditum sollicitudine. Et cum iam Christus crevisset, venit inimicus homo ad desertum, ut superseminaret zizania, nihil ille profecit, sed defecit. Erat illi negocium cum Deo, Angelis, & Virgine Matre ac Filio summa vigilantia præditis, *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum,* frustra & zizania ante oculos vigilantium. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit.* Dormierunt quidem homines penes quos cura erat ager sanctæ Ecclesiæ, & per varios hæreticos, errores varios atque diversos disseminavit contra dogmata Catholicę fidei, & contra sacrum mysterium & venerabile Sacramentum, sed divino Dei verbo nato & consecrato nihil nocere potuit in terra cum e cælo sit; *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Cęlum non subjacet terrenis impressionibus, nec cæli panis opinionibus mūdanis signatis per ranas, a quibus vexatus est Pharao cum omnibus suis aulicis, ut scriptum est Exod. c. 8. Vocavit autem Pharao Moysen, & Aaron, & dixit eis; *Orate Dominum, ut auferat ranas a me & a populo meo: & dimittam populum, ut sacrificet mihi in deserto.* Similes Pharaoni sunt, qui in alienos conijciunt humeros, ut servi Dei orent pro se, interim tamen ipsi pro se non deprecantur. *Dixitque Moyses ad Pharaonem, Constitue mihi quando deprecer pro te, & pro servis tuis, & pro populo tuo, ut abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à servis tuis & à populo tuo: & tantum in flumine remaneant.* Qua super re audiendus est Philo lib. de Abel & Cain; *Pharao non valens imaginatione percipere virtutes carentes tempore, nimirum orbatus animæ oculis, quibus solis natura comprehunduntur incorporeæ, ne iuvari quidem ex tempore sustinuit: sed cum inanimatis opinionibus, ranis inquam premeretur, sonum, strepitumque inanem & omni revacuum emittentibus, dicente Moyse: Præscribe tempus, quo pro te, tuisque famulis precer, ut ranæ tollantur e medio, cum debuisset in tanta necessitate constitutus dicere: iam nunc precare, maluit differre dicens, Cras, ut per omnia retineret impietatis teneritudinem.* Procul à pane cæli zizania errorum, & ranę hæreticorum, & quidem sine ulla mora. Utinam sic actum in Germania fuisset, cum loquacis ranæ instar cæpit Lutherus sonum, strepitumque inanem, & om-

Luc. 24. 35.
1. Reg. 2. 6.
Ioa. 1. 14.
Prov. 1. 17
Matt. 13. 25.
Ioa. 6. 59.
Similes Pharaoni qui sint.

& omni re vacuum emittere, quem statim puniendum ratio & iustitia suadebat, prævaluit tamen passio, impietatis teneritudo ut in crastinum remedium differretur, interim, dum procrastinatur, gravescit morbus redactus ad statum desperationis & deplorationis.

Memoria Christi.

XXV. CAnit David Psalm. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.*

Si quis religiose & simul curiose inspiciat cætera Sacramenta, indubie deprehendet esse Christi monimenta. Monimentum Christi est sacrum Baptisma, cum in illo baptizemur, in illo tingamur & renascamur. Monimentum Christi est confirmationis unguentum, cum ipse sit, qui nos ungat pro certamine, sit ipse virtus nostra ac fortitudo. Monimentum Christi est Sacramentalis Pænitentia orta ex flatu & insufflatione dicentis; *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Monimentum Christi est
Jo. 20.23. Matrimonium; de quo Apostolus; *Sacramentum hoc magnum est; ego autem*
Ephes. 5. 32. *dico in Christo, & in Ecclesia.* Monimentum Christi est mysterium sacri Ordinis euehentis, ac promoventis homines ad ejusdem Christi sacerdotiũ. Extrema autem unctio recordatio Christi est, qui & inunctus fuit ad sepulturam. Quid ergo David singulariter hoc tribuit Eucharistiæ, ut sit memoria eorum, quæ miraculosè Christus operatus est? *Memoriam fecit mirabilium suorum.* Singulariter id convenit venerabili Sacramento, cum in eius institutione Christus dixerit; *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriã facietis.* Habet hoc præ cæteris Sacramentis Eucharisticum mysterium, ut Christum in se contineat, ad cuius non solum gustum, sed aspectum etiam invitat nos David; *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus* Si quis aspiceret Abrahamum, statim occurrerent mira, quæ in obsequiũ Dei præstitisset, similiter si quis videret cæteros viros gloriosos, qui miranda in mundo patrarunt, veniret in memoriam rerum ab eis mirabiliter gestarum. Ergo cum Christus in Eucharistia, & non in cæteris Sacramentis existat, seque in ea solum videndum & oculis contemplandum exhibeat, *memoriam fecit mirabilium suorum,* ut quisquis illum in hoc sacro mysterio esse considerat, patratorem miraculorum esse statim credat, corde & ore fateatur. Fateatur ibi esse, qui tot mirabilia egit, ut corpora & animas curaret, ac sanaret, cuius potentia integra & perfecta latet in Sacramento, ut similia opera patret in favorem eorum, qui se colunt, ac reverentur. *Escam dedit timentibus se.* Cum primum panis e cælo delaberetur in sinum & gremium Virginis, præcessit in ea timor, *Turbata est in sermone eius & cogitabat, qualis esset ista salutatio,* & Marianos esse uult Christus communicatores, quos de se alit mirabiliter, & misericorditer nutrit: unde & eadem B. Virgo cum cecinisset de se. *Fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius:* subiungit. *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Hęc autem misericordia est, quam statim proponit, & exponit: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Non saturo mundanorum rerum, sed divinas esurientis opes usque ad avaritiam, ut apud se servet, & recondat, traditur Eucharistia.

Excellit cæteris Sacramentis Eucharistia. Ps. 33.9 Luc. 1.29. Luc. 1.49.

Ca-

Calix salutaris.

CAnit David Ps. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* XXVI.

Humanum est pro accepto iam beneficio gratias agere; hoc autem divinum est pro favore necdum recepto, sed tantum præ oculis habito suam ostendere gratitudinem. Fecit hoc Christus, cum de quinque panibus pavit quinque hominum millia, siquidem ante multiplicationem panum accinxit se pro actione gratiarum. *Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Ioa. 6. 12. Fecit hoc ipsum Christus, cum sacram condidit Eucharistiam, accipiens quippe panem & calicem in sanctas ac venerabiles manus suas egit gratias, & deinde suam egit & peregit consecrationem. Ad hanc eandem formam compositus David ait, *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* asseritque deinde, *Calicem salutaris accipiam.* Cadit hoc loco monitum Philonis lib. de Abel, & Cain; *Accingamus igitur, & expediamus nos ad agendas Omnipotenti gratias, reddendumque ibi sine mora honorem debitum; præceptum est enim transeuntibus ab affectu ad virtutum meditationem, ut accincti lumbos pascha celebrent, expediti ad ministrandum, & induti calceamenta, quibus carneam molem ratione contineant, stentque recti firmatis pedibus: & disciplinam habentes virgam in manibus, ad dirigenda citra errorem omnia vitæ negotia: postremo iubentur properando cibum edere, quia pascha creaturæ mortalis transitus ad Deum dicitur, & valde convenienter, nullum enim bonum est, quod non Dei sit & divinum: id igitur celeriter quære ô anima, quemadmodum ille meditator Iacob, qui rogatus a Patre. Quid hoc est, quod citò invenisti fili mi, quasi dogma respondet. Quod dedit Dominus Deus coram me.* Praventio grata. Vidit Iacobus coram se a Domino Deo appositum beneficium & ingratus esse nequit more Davidis, qui positum calicem præ oculis habens divino suo benefactori gratias agit, & habet: nec immerito quandoquidem factum putant, quod Deus pręstiturus est. Quamobrem Christus cum necdum Lazarum suscitasset, orans Deum Patrem ait; *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti. Hæc cum dixisset voce magna clamavit; Lazare veni foras.* Ioa. 11. 41. Necdum igitur Lazarus resurrexerat, & dixerat Christus Patri, *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me,* ut anticipatis gratijs cum Deo benefactori nostro cõtrahere disceremus.

Mensa pacifica.

CAnit tandem David. Psalm. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* XXVII

Hæc uxor indubiè Ecclesia est tot prolibus per totum orbem abundans, cuius filij sunt tamquam novellæ olivarum *in circuitu mensæ Domini* sicut in choris ac templis recitatur ac cantatur. Symbolum pacis oliva est, & inde filij, quos habet cum Deo ipso communes, signantur, & insigniuntur, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*; Matt. 5. 9 & cum Ecclesia eorum mater existat tota militaris, mira res est, quod eius proles oleis assimilentur; *Filij tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ*: Qualis mater, tales

& pro-

& proles, mater inter medias acies novit esse pacifica, unde *Sulamitis*, id
Cant.7.1. est, *pacifica* nominatur, & est: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?*
Hæc certe magna laus est ducum & imperatorum nosse cum hostibus ita concertare, ac prҿliari, ut pacatis animis prælia gerant. Quҿ etiam prærogativa vel in Christo gloriosa fuit, cum apud Isaiam appelletur *Princeps*
Isa.9. 6. *pacis*, & *Fortis* nominetur ad prælia, & in eius Nativitate Rex pacificus appareat, & ut talis ab ipsis Angelis annuncietur, cum tamen dicat ipse de se
Matt. 10. 34. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Similes sibi vult bellatores suos, ut ita se gerant in prælijs, sicut & se ipse gessit, mandat, ut non turbato, sed pacato animo pugnent. Nox belli & militiæ erat, nox sacræ passionis, in qua
Pacati bellatores cum armis & fustibus invasus est, & tamen totus pacatus *Dominus Iesus, in*
1.Cor. 11 23. *qua nocte tradebatur, accepit panem*, & hostiam pacificam obtulit, & contulit suis Apostolis, quos post sanctam Communionem monuit; *Non turbetur*
Ioa.14. *cor vestrum.* Rite igitur ac rectè convenit filijs Ecclesiҿ convivis Sapientiæ, ut pacis cultores sint, ac simul belli. Est & aliud notandum, quod mater Ecclesia assimiletur viti, *Uxor tua sicut vitis abundans*, & eius proles similes germinibus olivarum esse describantur. *Filij tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Convenientius ac congruentius, ut suæ responderent matri, quæ vitis instar abundantis est, palmites dicerentur, sicut & Christus suos vocavit Apostolos, cum se viti comparavit; *Ego sum vitis, vos*
Io.15.5. *palmites.* Cum dixerit Paulus; *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*
1.Cor. 11. 28. per fletum Confessionis & pænitentiæ itur ad mensam Sapientiҿ, cum qua per Eucharistiam pax agitur, ac celebratur. Christus vitis est, & suos palmites monet, *Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, & tristitia*
Io.16.20. *vestra vertetur in gaudium.* Ecclesia vitis est, *Uxor tua sicut vitis abundans*, & cum suis palmitibus flet, cum sua peccata plangunt, qui, facta pace cum Deo, accedunt ad sacrum epulum transformati ac transmutati in pacifica germina olivarum.

Pietas Eucharistica.

XXVIII. PRoverb.22. Oraculum est; *Qui pronus est ad misericordiam, benedicitur: de panibus enim suis dedit pauperi. Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientium.*

Nemo magis pronus ac proclivis est ad miserendum, quam Christus Dominus, & tunc maximè suæ miserationi satisfecit, cum se in alimen-
Ps.110.4. tum præbuit: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Misericors dicitur, quia natura sua talis est, miserator vero, quia pronus est ad benefaciendum. Sunt qui abundent opibus & divitiis, nec tamen propendent, ut alios iuvent. Christus *dives in*
Eph.2.4. *misericordia est*, ut suam exerceat, & exerat pietatem, quam ostendit in sui communicatione, ita ut non plus ultra esse possit. Notandum & valde notandum est, quod cum David varias & diversas misericordias Dei referat Ps.135. ab una in aliam progrediatur; *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius, Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia eius, Qui fecit cælos in intellectu, quoniam in æternum misericordia eius*, &c. post alias omnes in hanc desinit; *Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia eius.* Hæc autem esca planè est Eucharistica, ut notat S. Hilarius, ad quam ubi pervenit misericordia, non potuit

potuit procedere ulterius, ibi dedit, quod dare potuit, *de panibus enim suis dedit pauperi.* Quasi unus sit pauper, & non plures; *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* Non unus, sed plures sunt, *Pauperes eius saturabo panibus.* Dictum factum; *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Non minuitur beneficentia largitoris, cum etsi multi pauperes sint, unus quasi omnes, & omnes quasi unus in dato & accepto beneficio sacræ Eucharistiæ habeantur, ac censeantur; *Sumit unus, sumunt mille, quantum iste tantum ille; nec sumptus consumitur.* Pulchra hæc victoria est, ut invictus Christus omnem superet esuriem, omnem inopiam & paupertatem extinguat; *Victoriam & honorem acquiret.* Non potest non stare victoria penes Christum consecratum, siquidem ita vincit inopiam, ut in certamine frangatur ipsa & penitus concidatur, ipse tamen integer, & illæsus perseveret; *Assumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur.* Ubi hæc victoria est, deesse nō potest gloria; nec deesse possunt spolia; *Animam autem aufert accipientium.* Sed quomodo fieri potest, ut animam auferat accipientium, & non potius accipientes animam Christi auferant? Christus est, qui ait; *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Proprium hoc animæ est, ut vitam donet, donat autem illam Christus sacram Synaxin sumenti, ut & dicere cum Paulo queat; *Vivere mihi Christus est, & mori lucrum.* Cui vivere Christus est, ablata est anima, ut bene servata sit iuxta testimonium ac monitum eiusdem Apostoli; *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Hoc autem magis patet, cum accipientes sacrum Viaticum, animas suas apud Deum ipsum deponunt; *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

[Marginalia: Ps. 21. 27. / Ps. 131. 15 / Luc. 1. 53. / *Vincit Christus in Eucharistia.* / Ioa. 6. 58. / Phil 1. 21 / Col. 3. 3. / Apoc. 14. 13.]

Mensa divini Principis.

XXIX.

PRoverb. 23. sacrum oraculum est; *Quando sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo: si tamen habes potestatem in anima tua, ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.*

S. Augustin. Hom. de bono Pastore quænam sit mensa, cuius meminit Salomon, declarat, *Mensa potentis,* inquit, *quæ sit, nostis, ubi est corpus, & sanguis Christi.* Cum ergo ad mensam tanti Regis ac Principis accedamus, bene & opportune hortatur S. Chrysostom. hom. 61. *Nos sanctæ mensæ assistentes regia, specie pulchros esse decet, aureum animæ mundum habentes, vestem puram, calceamenta regia, & indutos cingulum veritatis.* Ritè ac rectè Salomon monet, *Diligenter attende, quæ posita sunt ante faciem tuam* ut edas & bibas, *quia panis est vitæ,* ut commentatur Hugo Cardinal. *qui de cælo descendit, & vinum uvæ meracissimum, calix inebrians & præclarus, agnus anniculus & immaculatus, tuum est quærere lactucas agrestes, & sic poteris facere phase. Sed cave, ne sit in domo tua fermentatum. Et hoc est quod dicitur* 1. *Cor.* 11. *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini. Attendere ergo debes diligenter ut sicut Dei filius seipsum tibi in cibum apposuit, quasi agnum immaculatum, ita & tu te ei apponas mundum, & immaculatum, ut dignè ab eo comedi possis, & traijci in corpus Ecclesiæ. Tu enim in hac mensa potius manducaris ab eo, quam manduces ipsum, sicut de ipso dixit Augustin. in li. Confession.*

Cibus sum grandium, cresce & manducabis me, nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. Quapropter: *Statue cultum in gutture tuo*, id est, *cultrum pœnitudinis, quo iuguletur vetus homo, confitendo peccata tua.* Apponit conditionem; *Si tamen habes potestatem in anima tua*, id est, *habes in anima tua potestatem vitandi peccata & benefaciendi, ut sit hypallage, aliter non est accedendum.* Quoniam hic verè panis est, cum illum habeas. *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.* Panis mendacij est, qui in cœna & mensa hæreticorum exhibetur, & præbetur.

Panis Sancta Ecclesia.

XXX. PRoverbiorum 31. *Facta est quasi navis institoris de longè portans panem suum.*

Sermo est de forti fæmina, per quam intelligitur sancta Ecclesia. Hæc navis Apostolica est in mundano mari vi sævarum tempestatum ac dirarum procellarum huc & illuc jactata, nunquam tamen deturbata semper illa superior existit, & superiores sunt, qui in ea vehuntur animati ac confirmati sacro pane, quem secum portant accipiendum, nunquam tamen consumendum, cum dixerit Christus; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quis timeat in navi, ubi sic Christus assistit? *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo, quoniam tu mecum es.* Erat in rate Cæsar, & ingruente tempestate cæpit timere nauclerus, quem ut excitaret Imperator ait; *Cæsarem vehis, & simul eius fortunam, & times?* Quasi vero in principe possit esse securitas, *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Quasi vero ulla sit fortuna stabilis & non labilis, *Deiecisti eos, dum allevarantur.* Soli Deo fidendum est, quem si quis habeat, securus planè est a mundi Oceano, procellis, tempestatibus, & mundanis adversitatibus. Innixa Deo stat, & semper stabit Ecclesiæ navis ferens secum pariter Deum, & panem. Legimus apud Marc. cap. 6. navem Apostolicam in magno fuisse periculo, ut sæviente mari submergeretur, & quomodo Christus ambulando super fluctus ad eos venit, dixeritque naufragantibus. *Confidete, ego sum, nolite timere. Et ascendit ad illos in navim, & cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant, non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.* Sub miraculo tunc patrato in quinque panibus transmare Tiberiadis latebat certe mysterium virtute panis Eucharistici, fore ut in Sancta Ecclesia sedarentur tempestates, fluctus componerentur sæuumque mare pacaretur. Portat *de longe panem suum*, siquidem de altis venit; *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Quo remotior est locus, unde merces advehuntur, eo solent esse pretiosiores, pretiosum igitur venerabile Sacramentum, quod a summo cęlo & Deo ad nos delapsum est.

Navis Apostolica. Matt. 28. 18. Ps. 22. 4. Ps. 27. 18. Prov. 31. 18. Io. 6. 59.

Læta Communio.

XXXI. ECcles. 9. *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.*

Hugo Cardinalis; *Vade ergo a peccatis recedendo, & bonis operibus insistendo, & comede in lætitia panem tuum, qui de cælo descendit Ioan. 6. Spiritualiter*

tualiter, & Sacramentaliter. Et bibe cum gaudio spei vinum tuum, id est, sanguinem Iesu Christi. De hoc dicitur Proverbiorum 9. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Vade ergò vocatus ad cænam, vade ad nuptias Sacramentales. Nemo vadít, qui a priori loco non recedit, nec venit ad Sacramentum, nisi quis prius deseruerit institutum vitæ pravæ quam egit, firmum ac validum propositum concipiens aliter vivendi, aliter procedendi. *Certè quæcumque anima concipit prolem masculam, scilicet iustum propositum, ab hac excluduntur omnia tristia.* Hæc Philo. libr. de Abel & Cain. Vade ergo a peccatis recedendo animose, & viriliter bonis operibus insistendo, *& Comede in lætitia panem tuum.* Oritur lætitia ex bono, quod possidetur, & ex eo quod speratur. Habet igitur, qui communicat, unam & alteram causam ut lætetur, cum quia Christum sumit, tum quia futuræ glorię pignus accepit. *Comede in lætitia panem tuum.* Longè aliter panis azymus edebatur, ut libr. de Quærend. erudit. notat Philo; *Præceptum est, ut azyma edantur cum lactucis agrestibus, non ut sint vice obsonij: sed quia cohibere debes concupiscentias, ne fervescant, & turgeant. Quidam putant amarum, non valentes consuetos affectus dediscere, quod mens certaminum avida habet pro delicijs. Hanc ob causam, opinor, in loco, qui Amaritudo vocatur, lex data fuit.* Partitus est nobiscum Christus, agrestes & amaras lactucas ipse comedit, dum pateretur; ut & nos in sacra Communione læti panem comederemus. *Et bibe cum gaudio vinum tuum.* Carô stetit gaudium Christo, ut illo communicantes frueremur, aceto & felle potatus est. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem,* ut pro meritis suę passionis nobis cæleste gaudium concederetur. Moneris, ut communices, *quia Deo placent opera tua.* Si displiceant, indignus es, ut panem cum lætitia sumas, vinum cum gaudio bibas.

Firmum melioris vitæ propositum.

Prov. 12. 2

Profusio Christi.

XXXII

ECclesʃ. 11. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post multa tempora invenies illum.*

Similes aquis sumus iuxta oraculum 2. Reg. cap. 14. *Omnes morimur & sicut aqua dilabimur,* & iuxta sacrum responsum cap. 17. Apocalip. *Aquas quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes & linguæ.* Nec dubium quin colloquentium sonus multarum aquarum strepitum ac sonitum referat. Monet igitur Salomon, ut communis sit beneficentia, de qua Apostolus: *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostijs promeretur Deus.* Augusta est munificentia, quæ paucis benefacit, illa est augusta liberalitas, quæ multis favet etiam sine spe futuræ apud homines remunerationis, sed non apud Deum, qui suo tempore collatum beneficium compensabit. Hoc est quod Christus docet Luc. cap. 14. *Cum facis prandium aut cænam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque cognatos, neque vicinos, neque divites, ne & ipsi reinvitent te, & fiat tibi retributio: sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur autem tibi in retributione iustorum.* Quod verbis docuit, reipsa præstitit. *Homo quidam fecit cænam magnam & vocavit multos.* Hæc autem cæna tota Eucharistica est, pro cuius celebritate dixit servo suo; *Exi cito in pla-*

Heb. 13. 16.

Augusta liberalitas.

Luc. 14. 16

plateas & vicos civitatis, & pauperes, & debiles, & cæcos & claudos introduc huc. Et ait servus: Domine factum est, ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus servo; Exi in vias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Plusquam Salomon Christus est, qui non solum monuit, *Mitte panem tuum super transeuntes aquas*, sed exemplum prębuit, ut qualis esse deberet Christiana beneficentia, ex sacra Communione pateret, sicut innotuit
Heb. 13. Apostolo, ut scriberet, ac pręscriberet; *Beneficentiæ & communiones nolite oblivisci*: sacra enim Communio exemplar est beneficentię. Misit super transeuntes aquas, populos, tribus & nationes sacrum Eucharistię pa-
Haba. 1. 3. nem, ut caperet homines. *Facies homines quasi pisces maris*, quorum esse
Matt. 4. 9 venatores voluit Christus Apostolos; *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*, & ne esca deesset ad illos alliciendos & capiendos, misit panem suum super transeuntes aquas, capti verò & extra aquas extracti non moriuntur pisces, sed viuunt; qui vero in aquis hærent, & hamo sanctæ Crucis, & escæ Eucharistiæ non adhærent, indubie pereunt; *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis*
Io. 6. 54. *vitam in vobis*.

Sacrum osculum Eucharistiæ.

XXXIII. PLacet Oraculum Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.*
Ambros. libr. 5. de Sacram. cap. 2. *Quid est altare nisi forma corporis Christi? Vidit Sacramenta mirabilia & ait, Osculetur me osculo oris sui, hoc est, osculum mihi Christus infigat. Quare? Quia meliora sunt ubera tua super vinum. Super illud vinum, quod etsi suavitatem habet, lætitiam habet, gratiam habet: tamen in illo lætitia sæcularis, in te autem iucunditas est spiritualis.* Cum venit ad Christum Iudas dixit; *Ave Rabbi, & osculatus est eum*, cui Christus osculum non infixit, sed ait, *Amice ad quid venisti?* Et ut osten-
Matt. 25. deret quam sibi esset ingratum osculum subiunxit, *Osculo filium hominis*
45. *tradis?* Nonne hoc Iudæ proditoris flagitium respondit piaculo commis-
Luc. 22. so in cænaculo, quando indigne communicavit? Tunc primò dedit os-
46. culum Christo, *cum diabolus iam misisset in cor*, ut eum traderet. Agit
Io. 13. 2. proditoriè cum Christo, qui Sacramentaliter solum & non spiritaliter eum participat. Latet hæc proditio in altari, sicut & latuit perfidia Iudæ in cęnaculo, quę non multo post detecta est. Quisquis more Iudæ communicat, non accipit a Christo osculum, sed illud ore sacrilego infigit, qui dignè ad sacram Synaxin accedit, petit a Christo osculum, *Osculetur me osculo oris sui*, & illud accipit. Cultus olim falsorum deorum
Deut. 32. erat accipere oscula, non dare. *Non est autem Deus noster, ut dij eorum.*
31. Hinc illud Cicer. in Verr. de statua Hercul. *Ibi est ex ore simulacrum ipsius Herculis, quo non facile dixerim me vidisse pulchrius: usque eo indices, ut rictum eius ac mentum paulo sit attritum: quod in precibus & gratulationibus non solum id venerari, sed etiam osculari solent.* Hinc mos prophanus, de quo Gifanius; *Puto quædam signa ænea, seu statuas olim ad urbium portas collocari solitas, quarum dextras osculari amarint cives exeuntes boni eventus causa, atque etiam tangere, & quasi salutare.* Tangebant, salutabant, & colebant per osculum statuas mortuas, a quibus nihil rependebatur. *Non enim est Deus noster ut dij eorum*, qui dignè accedentibus respondet osculo petito & obtento ab anima, quæ dicit; *Osculetur me osculo oris sui.* Peiora
itaque

itaque numina fuerunt Imperatoribus, qui mundanis suis osculis favebant subditis; Plinius in laudat. Traiani, *Gratum erat cunctis, quod senatum osculo exciperes, sicut dimissus osculo fuerat.* Latinus Pacat. de Theodosio: *ille*, inquit, *cohonestatus affatu, ille mensa beatus, ille osculo consecratus est.* Apud Xiphilin. Commodus Imperator Lætum, & Electum osculatus est per galeam: econtra vero apud Sueton. Nero reprehenditur, quod neque adveniens, neque proficiscens quenquam osculo impertiret. Sectabatur Regum Numidarum mores, de quibus Valerius Maximus libr. 2. cap. 6. dicit; *Nec Numidæ Reges vituperandi, qui more gentis suæ nulli mortalium osculum ferebant. Quicquid enim in excelso fastigio positum est, humili & trita consuetudine, quo sit venerabilius, vacuum esse convenit.* Quid vacuum & inane erat, cum Imperatores & Reges osculum negabant, vel etiam concedebant, illud autem Christum ferre animæ communicantis ac postulantis, *Osculetur me osculo oris sui*, quid spiritale mysticum ac divinum est. Quid autem hoc sit, explicat in cap. 1. Cantic. Bernard. in hæc verba; *Eius sermo vivus & efficax osculum mihi est, non quidem coniunctio labiorum, quæ interdum pacem mentitur animorum, sed planè infusio gaudiorum, revelatio secretorum, mira quadam, & quodammodo indiscreta commixtio superni luminis, & illuminatæ mentis.* Et post; *Felix osculum, & stupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed Deus homini unitur.* Confirmat assumptum Christus; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Accedit id quod ait Augustin. libr. de Amicit. cap. 6. *Osculum spiritale propriè amicorum est, qui sub una lege amicitiæ tenentur. Non enim fit oris attactu, sed mentis affectu: non coniunctione labiorum, sed commixtione spirituum, castificante omnia Dei spiritu, & ex sui participatione cælestem immittente saporem.*

Osculum imperiale

Ioa. 6. 57.

Cella Sacra.

XXXIV.

CAntic. 2. *Introduxit me in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.*

Cella vinaria sancta Ecclesia est, in cuius rei signum & argumentum depingitur calicem sacri vini manu gestans. Habet in se Ecclesia, & claudit intra se vinum mysticum Sapientiæ, quod in sacris altaribus libatur, & immolatur. Cella vinaria opposita Synagogæ, quæ planè aquaria erat, utpote frigida in suis ritibus ac sacrificijs, quibus calor gratiæ, & fervor Spiritus sancti deerat. Venit Christus & totam caueam aquarum convertit in vinum, unde & futuri eventus specimen dedit cap. 2. Ioann. cum vocatus ad nuptias vinum in aquam transmutavit. Dixit Mater, *Vinum non habent*, respondit Filius, *Quid mihi & tibi est mulier, Nondum uenit hora mea*: Hora nimirum postrema, quæ qualis futura esset Ecclesiæ, facta statim conversio satis indicavit. Iuliano Persidem intrante, quemadmodum refert Cedrenus in Compendio Historiar. situla aquæ plena in domo cuiusdam mulieris Christianę subito in vinum suave, ac ubertim fluens transijt. Quod fuit præsagium cuncta in optimum statum paulo post mortem tanti tyranni mutanda, qui cellam Ecclesię vinariam conatus erat destruere; at vero Christus, qui per sacram suam mortē vertit in vinum aquā, ostendit se deinde post necē Iuliani in sua consecratione feliciter processurū, & in

Ioa. 2. 4.

Felicitas Ecclesiæ.

 priorem

priorem statum Ecclesiam suam revocaturum. Hæc cella consecrati vini est, ubi charitas ordinatur. De materiali vino, refert Plato libr. 2. de leg. *Vinum, ut ferunt multi, ad ultionem hominibus datum est, ut insaniant.* Sacrum autem vinum non ad ultionem, sed ad dilectionem datur, ut charitas ordinetur. Quæ autem sit series, quis ordo Charitatis exponit S. August. lib. de doctrin. Christiana; *Primò diligendum est, quod supra nos est, id est, Deus. Secundò quod nos sumus, id est, anima nostra. Tertia quod iuxta nos est, id est, proximus, homo scilicet & Angelus. Quarto quod infra nos est, id est, corpus nostrum.* Hic regius est ordo, quem Rex Christus præscribit sumentibus pretiosum sanguinem, oblatum & consecratum primo in honorem Dei, secundò in utilitatem animæ, tertiò in bonum homini, & Angeli, quartò in commodum carnis nostræ, & nostri corporis incolumitatem.

Flores Eucharistici.

XXXV. CAntic. 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Christianus omnis, qui venit ad Eucharistiam, ad flores Ecclesiasticos venit, cum in Psalm. 118. S. Ambros. dixerit, *Bona pascua divina Sacramenta sunt. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis. Carpis illic lilium, in quo est splendor æternitatis: carpis illic rosam, hoc est, domini corporis sanguinem.* Sub medium mensis Martij sacra Eucharistia floruit, cum flores erumpere solent. Hic mensis dictus est a Marte Martius habens nomen a signo militari cæli, quo mense incipit certare terra cum cælo, non quidem vi ac fortitudine, sed pulchritudine florum, quorum forma talis est, ut cum specie cæli refulgente in stellis & astris contendere videatur. Cedant autem pulchri ac formosi flores cælestibus luminaribus, necesse est, & quidem cedunt, cum statim corrumpantur, & pereant, sidera autem in sua elegantia permaneant. Florida Eucharistia venustate sua cælum superat; *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* (Zach. 9. 17.) Nec periculum est, quod corrumpatur vel marcescat, cum dicat Christus; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* (Matt. 28. 18.) Occidere possunt, & occidunt sidera cęli, sed occumbere & succumbere pulchrum hoc mysterium nequit. Flores Eucharistici, & Ecclesiastici non sunt labiles nec fragiles, perpetui sunt & æterni, quibus fidere potest anima, & quidem fidit cum ait; *Fulcite me floribus.* (*Fulcimentum sacra Eucharistia.*) Fulcimentum petit ac postulat, & hoc nequit esse in floribus terrenis atque mundanis, qui statim ac prodeunt, intereunt. Talis est omnis caro, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri:* (Isa. 40. 6.) alia est caro Christi consecrata, quæ semper durat, & permanet, & similiter is, qui sacra se Eucharistia munit & fulcit; *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.* (Ioa. 6. 57.) Coniungit anima flores simul cum fructibus; *Stipate me malis*, Sicut se habent flores ad fructus, sic se habent desideria ad opera, & Christus ea nocte, qua tradebatur, ita floruit, ut fructificaret, ita fructificavit, ut floreret. Floruit cum dixit, *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar:* (Luc. 22. 15.) tunc fructum tulit, cum obtulit Patri incruentum sacrificium, quod simile est rubentibus malis, & simul splendentibus croceo colore atque decore. Quod si

Christus

Christus ita desideravit ita se nobis conferri obligat; ut certe nos propter suam gloriam appetere debuissemus, quod si factum non esset tãtum hoc fieret Sacramentum. Causam & occasionem appetitionis suæ adiungit, *quia amore langueo*. Quisquis est æger, sensibus languet, languet & ille, qui iacens in lecto ita comedit, ut nec sentiat nec percipiat cibos sibi oblatos & datos, cui similis est anima languens amore, cum Christum sumit in Eucharistia, nec tamen illum corporali gustu discernit, donec accedat fides, *Quod non capis, quod non vides animosa firmat fides*, de qua iterum canit Ecclesia; *Præstet fides supplementum sensuum defectui*. Defectus sensuum cedit in profectum fidelis animæ, quæ languet amore nihil appetens nec volens nisi Christum suum dilectum vel in cælo, vel in Sacramento.

Aspectus favorabilis Dei.

CAnt. 2. *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* XXXVII

S. Isidor. agens de Marte libr. 8. Origin. cap. 11. inquit, *Martem Deum belli esse dicunt, & Martem appellatum; quia per viros pugnatur, ut sit Mars quasi mas, licet & tria sunt genera consuetudinum, sicut Scytarum, ubi & faminæ & viri ad pugnam eunt. Amazonum ubi solæ fæminæ. Romanorum, aliarumque gentium, ubi soli mares. Item Martem dicunt quasi effectorem mortium, nam & a Marte mors nuncupatur. Unde & adulterum dicunt, quia bella gerentibus incertus est. Quod vero nudo pectore stat, ut bello se quisque sine formidine cordis objiciat. Mars autem gradiuus dicitur, eo quod in bello gradum inferant, qui pugnant, aut quod impigre gradiantur.* O quam benè dixit Moyses; *Non est enim Deus noster ut dij eorum:* non est enim divinus noster Mars, ut Mars eorum, *quia per viros pugnatur, ut sit Mors quasi Mars.* Quę rebat viros ad pugnam, in qua ipse non assistebat. *Dominus fortis & potens Dominus potens in prælio:* prçliatur cum viris & fæminis, & vincit in omnibus. Non hic effector necis & mortis est, sed eius eliminator. *Ero mors tua o mors.* Non est hic belli gerentibus suis incertus, qui suo obstrictus verbo affirmat & asseverat nõ deesse, sed adesse se pugnãti, *Cum ipso sum in tribulatione.* Quod si nudo pectore stabat Mars, ut bello se quisque sine formidine objiciat, nec tamen ipse sę objiciebat, alius est Christus, qui monens Apostolos: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*, præluxit exemplo ipse, totus animosus se periculis obiecit, & nudo pectore in cruce stetit Martis divini instar, & stat adhuc in altari; *En ipse stat post parietem nostrum*, stat, *ut cor hominis confirmet.* Cum quis stat, magnitudinem suæ staturæ declarat, quam sit fortis Christus in amando, ostendit, quando ipse se obtulit, & contulit, *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Tunc, *magnificavit Dominus facere cum eis, magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.* Post *parietem nostrum* stat. Similis ruinoso parieti natura humana est, *Ut quid irruitis in hominem tamquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ?* Christus a nobis accepit, & habuit *parietem nostrum*, qui cecidit in sacra passione, ipse tamen per se stetit virtute suę divinitatis, cuius specimen præbuit, cum seipsum consecravit, consecratusque casum atque ruinam pati non potuit. Hebræi quidem deijcere parietem in Cruce potuerunt, contra quem suas vires contulerunt, sed illum ipsum consecratum depellere nequiverunt;

Deut. 32. 13.
Psl. 23. 8.
Osee. 13. 14.
Psl. 90. 15.
Status Christi.
Ioa. 14. 27.
Psl. 103. 16
Io. 13. 1.

Spi-

Spiritus robuſtorum quaſi turbo impellens parietem, ca. 25. Scripſit Iſaias, & idē ipſe cap. 59. dicit nomine ſuorum Hebræorum; *Palpavimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectavimus, impegimus in meridie quaſi in tenebris.*
Ioa. 6. 53. Tunc palparunt ſicut cæci parietem, quando dixerunt; *Quomodo poteſt hic dare nobis carnem ſuam ad manducandum? Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Hunc ipſum hodie palpant quaſi cæci hæretici, quaſi ſine oculis attrectant, & in meridie quaſi in tenebris impingunt. Qui militant, in bello gradum faciunt, & impigre gradiuntur; & qui ſunt de militante Eccleſia ultra parietem gradiuntur, & ulterius progredientes dicunt; *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Dum eſt in Sacramento per accidentarias feneſtellas & cancellos reſpicit & proſpicit eos, qui bene, & malè gradiuntur, ac progrediuntur, ut cum in cęlum veniant, claudat oſtium, vel aperiat. Clauſit ſtultis virginibus portam;
Matt. 25. 10. *Clauſa eſt ianua*, aperuit Stephano ianuam, cum dixerit, *Video cælos apertos, & Ieſum ſtantem a dextris virtutis Dei.* Qui ſtat ad feneſtras ut iuvet,
Act. 7. 56. reſpiciat, ac proſpiciat ſecum pugnantes, ſtabit ad cæleſtem portam, ut eos benignè excipiat, & glorioſe deducat ad debitam pro meritis accipiendam remunerationem.

Chriſtus paſcit, & paſcitur.

XXXVII CAnt. 2. *Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ.*

Iuxta ſolenne Proverb. *Amicorum omnium bona ſunt communia*, & quidem ut perfecta ſit amicitia, non ſatis eſt, ut ſit communio ac communicatio bonorum, niſi etiam ſit mutua, ac reciproca largitio atque donatio perſonarum, ut lib. 1. de vita Moyſ. advertit Philo, Bonus quippe amicus, *nihil proprie poſſidet, nec ſeipſum quidem.* Ad hoc culmen & faſtigium dilectionis ac charitatis veniens anima proteſtatur; *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Numquam magis diligens Chriſtus, quam nocte ſupremæ cænæ, *Cum*
Io. 13. 1. *dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Tunc *dedit ei omnia Pater in manus*, ut communia omnia amicis exponeret, nec dilexiſſet *in finem* ſi communicatis ſuis bonis ſeipſum ſibi cuſtodijſſet, ac reſervaſſet. Non ſe ſibi reſervavit, qui ſe ſuis amicis tradidit & communicavit, ut dicere unicuique fas eſſet; *Dilectus meus mihi.* Ut autem diligenti ſic reſpondeat, ſubiungit, *Et ego illi* transferens in ſe in proprietatem & poſſeſſionem Chriſti dicentis propterea, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.* Manet, dicit, nam ut ait Seneca agens de Beneficijs,

Chriſtus dat ſe totum amicis.

Ioa. 6. 57. *In pectore amicus, non in atrio quæritur, illo recipiendus eſt, illic retinendus, & in ſenſus recondendus.* Procul hinc pſeudoamicus ſit, qui ſe intruſerat, & cui
Matt. 22. 12. Chriſtus. *Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Venerat ille immundus, ut purum ac mundum acciperet Agnum, *qui paſcitur inter lilia*, ſive, *paſcit inter lilia*, quemadmopum alij legunt. Agnus paſcit, & paſcitur, Chriſtus comedit & comeditur, comeditur, dum ſumitur, comedit, dum ſumentem vertit in ſei pſum ac convertit. Rogatus fuerat antè,
Cant. 1. 7. *Indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie?* cui ſanctę ac piæ curioſitati factū eſt ſatis, cum deprehenditur paſcens & paſtus *inter lilia.* Lilia nitida, ac candida ſunt, quibus ſimiles ſunt animę, quę dignę ſunt Euchariſtia; *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, præditus vitæ candore, & morum

rum nitore. Pascitur inter lilia puritate nostræ fidei, qui pascentes modo se, pascet fruitione visionis, cum inclinaverint umbræ, & aspiraverit dies humanæ mortalitatis: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Ps. 16. 15.

Sapor Eucharistiæ.

XXXVIII

CAnt. 5. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.*

Parasti in dulcedine tua pauperi Deus; non diviti & opulento, *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Pauper recreatus, ac delectatus dicere ritè ac rectè potest, *Comedi fauum cum melle meo.* Nobilis Dei conditio, quam laudat Philo, libr. de mundi Opific. *Deus attemperat se ad vires eorum, quos dignatur sua beneficentia: nec enim sicut Deus ad benefaciendum natura propensus est, ita creatura ad accipienda beneficia; illius enim potentia longè superat, at huius infirmitas impar est eorum magnitudini, succumberetque nisi Deus pro cuiusque portione moderaretur suam gratiam.* (Deus se attemperat homini.) Secundum divinum morem conjungit fauum cum melle verbi Incarnati & consecrati, ne infirmitas naturæ succumbat præ magnitudine tantæ dulcedinis. Et quidem in sacra Eucharistia tota Dei gloria Dei est, sed nobis attemperata, quæ per modum purissimi ac dulcissimi mellis danda in cælis est, dixitque propterea Bernard. agens de fallac. vitæ præsent. *Nobis non fauum mellis, sed purissimum & liquidissimum mel reposuit Deus, ipsam plane lætitiam, vitam, gloriam, pacem, voluptatem, amænitatem, felicitatem, iucunditatem, & exultationem thesaurizavit nobis Dominus Deus noster, & hac omnia unum sit participatio Ierusalem in id ipsum.* Succumberet etiam mortalis infirmitas vino mystico cæli, nisi temperaretur, ideoque monet Sapientia, *Bibite vinum, quod miscui vobis.* Miscetur Calix aqua, & tamen dicit anima, *bibi vinum cum lacte meo.* Qui vertit aquam in vinum, vertit etiam aquam in lac. Lac paruulorum cibus est, & licet potens sit vinum, quod datur in Eucharistia, credibile ita redditur, ut vel unus puer possit illud credere, & credat ad ignominiam & confusionem magnorum sapientum, qui sacris mysterijs non acquiescunt. Quamobrem habet causam æquam & justam Christus, ut dicat Patri; *Confiteor tibi Pater. Domine cæli ac terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea paruulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Hæc postrema verba respondent sermoni Ioannis cap. 13. *dedit ei omnia Pater in manus*, ipsa nocte, cum Calicem consecravit tam claris ac perspicuis verbis, ut de veritate sui sanguinis nullum dubitandi locum reliquerit lactentibus etiam infantibus. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, ut destruas inimicum & ultorem.* Cui enim præ Deo credendum est? hoc vel ipsi paruuli norunt. *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides*, Addo verba Philonis libr. de Abrahamo in fine; *Solum certum, firmumque bonum est fides, qua Deo creditur, vita solatium, bona spei supplementum, depulsiuum calamitatum, felicitatum conciliatiuum, superstitionis ablegatio, pietatis assertio, prosperitatis hæreditas, profectus in bonis omnibus fultus universorum auctore,*

(Prov. 9. 5. — Ps. 9. 3.)

*re, qui potest omnia, vult tantum optima. Quemadmodum enim per lubricum incedentes labuntur fallente vestigio: qui vero per siccam viam gradiuntur, certo gradu iter faciunt: sic qui per corporis (*sensus*) externaque bona ducunt animam nihil aliud quam cadere illam assuefaciunt: hac enim lubrica & parum firma sunt. Sed qui per virtutum contemplationem ad Deum properant, inconcussumque iter dirigunt, ut nihil verius dici possit, quam quod qui illis rebus credit, Deo non credit: contra qui Deo credit, illis non credit.* Hoc ipsum vinum suxit cum lacte Ecclesia & anima, quæ ad eius ubera nutrita dicit, *Bibi vinum cum lacte meo*: ne sola sit in cibo & potu Sapientiæ sapienter monet; *Comedite amici & bibite & inebriamini charissimi.* Vocat amicos ad epulum, quod non nisi pro bonis amicis instructum est, vocat & charos ad calicem sacri altaris, qui non nisi pro gratis ministris consecratus est. *Inebriamini charissimi.* Commendabilis hæc ebrietas, quæ ponit extra se hominem & alienat a sensibus, ut totus in mysterium fidei eat, & feratur.

Esca populi Dei.

QUalis esca populi Dei sit, constat ex lib. Sapientiæ cap. 16. *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem & omnis saporis suavitatem.*

Angelorum esca Eucharistica est, quæ nutrit populum Dei; *Vos au-*
1.Petr.2.9 *tem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Pa-
Ioa. 6.59. ratus de cælo panis. *Hic est panis, qui de cælo descendit*: præstitus sine labo-
Matt.11. 28. re, qui labores tollit omnes: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Habet in se omnem dulcedinem ac suavitatem;
Ps.33.9. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Dulcis ac suavis: *substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, & deserviens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Prænuntiabatur qualem erga filios haberet dulcedinem, quæ iam manifestata est, exclamatque propterea Ecclesia; *O quam suavis est Domine spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cælo præstito esurientes reples bonis.* Aliud oraculum, & simul miraculum,
Vis & virtus Eucharistiæ. *Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant, ut scirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine & pluvia coruscans. Hic autem iterum, ut nutrirentur iusti, etiam suæ virtutis oblitus est.* Secundum externam speciem sacra hostia tota nivea est, & sustinet
Deut.4. 28. in se ignem, de quo scriptum est, *Deus vester ignis consumens est*; consumit hostes, nutrit iustos; *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo*
1.Cor.11. 28. *edat*, ut nutriatur, & non consumatur. *Creatura enim tibi Factori deserviens exardescit in tormentum adversus injustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.* Hæc differentia apparet in Eucharistia, quæ est, *mors malis, vita bonis.* Aliud oraculum de fide transsubstantiationis panis & vini, & simul transfigurationis Christi sub utriusque accidentibus, *Propter quod & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratia tua deserviebat, ad voluntatem eorum, quia a te desiderabant: ut scirent filij tui, quos dilexisti Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderunt, conservat.*

Quod

Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactū tabescebat: ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, & aduentum lucis te adorare. Hoc est *mysterium fidei*, quod stat contra ignes & flammas, sed statim ut sol apparet, & res, de qua fides est, videtur aut ni videatur, non creditur, ut pacisci voluit Thomas, cessat mysterium fidei, ac proinde oportet prævenire solem in cælo futurum, & ad ortum lucis fidei in sacro suo altari adorare Deum.

Panis vitæ & intellectus.

XL. ECclef. 15. *Qui timet Deum, faciet bona, & qui continens est iustitiæ, apprehendet illam: & obviabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier a virginitate suscipiet illum. Cibavit illum pane vitæ & intellectus, & aqua Sapientiæ salutaris potabit illum: & firmabitur in illo, & non flectetur.*

Nemo sibi matrem facit, sed mater suas producit proles, & tamen qui timet Deum, & iustitiam operatur, iustitiam ipsam invenit secum materne agere: *Obviabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier a virginitate suscipiet illum*: Solus sibi Christus matrem condidit, quem Virgo a virginitate natum suscipit, & Christo similis describitur ille, qui & timoratus, & iustus est. Talis & Simeon apud D. Lucam. cap. 2. *Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans redemptionem Israel: & Spiritus sanctus erat in eo.* Huic quasi mater honorificata occurrit iustitia, & cum iustitia Virgo, & quasi mulier a Virginitate eum suscepit, & cibavit illum *pane vitæ, & intellectus*, siquidem dedit illi panem de cælo, quem *accepit in ulnas suas*, & ex eo vitam immortalem hauriens canit; *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Hic panis vitæ & intellectus, hæc aqua salutaris Sapientię est eis, qui timorate procedit, & accedit cum iustitia vivens & moriens accepturus Eucharistiam. *Firmabitur in illo, & non flectetur*, Hugo Cardinal. *Non cedet persecutioni, vel tentationi, vel hæreticæ pravitati confortatus in illo pane. Hic est enim panis, de quo scriptum est, Et panis cor hominis confirmet.*

Filius iustitiæ iustus est.

Splendor Christi in Eucharistia.

XLI. ECclef. 31. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimonium veritatis eius fidele.*

Cum Christus sit *splendor gloriæ*, & se totum sub panis accidentibus statuerit, in sacra hostia totus glorię splendor est, ac proinde *splendidum in panibus benedicent labia multorum.* Habet hoc ignis, ut splendeat nōn solum in auro & argento, in gemmis & lapidibus pretiosis, sed etiam dum ardet in vulgari & communi materia assimilatus plane Deo, de quo Moyses, *Deus vester ignis consumens est.* Ubi Deus est, etiam in communi ac vulgari pane resplēdet, resplendet & veritas, *& testimonium veritatis eius fidele.* Hoc testimonium est veritatis; *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Crede, *Testimonium eius fidele Sapientiam præstans paruulis.* Addo ex Phil. lib. de Præmijs & Pęn. *Quisquis Deo credit ex animo, in nulla re creata corruptibiliq; collocat fiduciā, ne in his quidē quibus sibi placet maximè vi rationabili sen-*

Heb. 1. 3.
Deut. 4. 28.
Ioa. 6. 56.
Ps. 18. 8.

sensitivaque, nam utraque habet suum consistorium, sed rationabilis intelligibilia solum considerat, cuius finis est opinatio. Caterum opinionum instabilitas, & vacillatio vel hinc liquet, quod probabilibus tantum argumentis utuntur & verisimilibus: omnis autem similitudo fallax est, cum sit imago tantum rei, quam simulat.
Ratio seu suum dux est. *Itaque fit, ut ratio dux sensuum, dum putat eodem modo tractanda intelligibilia, subinde offenset, decipiaturque.* Hinc oritur, ut ita offendant, & decipiantur hæretici, ad quorum resipiscentiam vel confusionem producitur in triũphum cum sacræ Eucharistiæ splendore victrix veritas in solenni supplicatione Corporis Christi, quam approbans & confirmans S. Concil. Trident. SS. 13. cap. 5. inquit; *Sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & haresi triumphum agere, ut eius adversarij in conspectu tanti splendoris, & in tanta universa Ecclesia latitia positi, vel debilitati, & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant.*

Convivium Solenne.

LII. LOquitur per modum oraculi de sacra Eucharistia Isaias cap. 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemia, pinguium medullatorum, vindemia defacata.*

Dominus exercituum idem est, qui *Dominus virtutum*, & qui omnes suas vires, ac virtutes coniecit in hoc solenne Convivium. Omnem vim, ac robur divinæ suæ misericordiæ exposuit, cum se exposuit, ac proposuit edendum & offerendum, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* (*Ps. 110. 4.*) Specimen summę suæ charitatis exhibuit, cum hoc Sacramentum condidit; *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* (*Io. 13. 1.*) Fecit extrema potentiæ; *Fecit potentiam in brachio suo*, (*Luc. 1. 51.*) cum *hic panis de calo descendit*. Summa hic Sapientia est, quę dicit, *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* (*Prov. 9. 5*) Nec ius potest esse maius, nec maior iustitia, quam quę servata est in hoc sacrificio oblato per summum Melchisedechum, qui *Rex iustitia* appellatur. Respexit huc, cum cecinit David; *Tunc acceptabis sacrificium iustitia oblationes & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.* (*Ps. 50. 21.*) Nihil infimum, nihil medium est in Solenni hoc Convivio, sunt omnia summa, omnia extrema atque postrema; si auctorem epuli spectes. (*Summa omnia in Eucharistia sunt.*) *Dominus exercituum* est, si locum consideres, fit *in monte hoc* sublimi & edito Ecclesiæ: si fercula inspicias, sunt *pinguium medullatorum*; sacri scyphi & calices mensæ redundant novo vino vindemiæ, nimirum *vindemia defacata* propter summam innocentiam sanguinis pretiosi Christi, qui in sancto altari libatur, & immolatur.

Panis angustus, & augustus.

LIII. ISai. cap. 30. *Dabit vobis Dominus panem arctam & aquam brevem, & non faciet avolare a te ultra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes praceptorem tuum.*

Verbum abbreviatum fecit Deus, cum *Verbum caro factum est*, & illud magis arctavit, cum divinam carnem ad minimam particulam reduxit, & pretiosum sanguinem sub minima parte conclusit. Hoc est quod prędixit Isaias;

Isaias; *Dabit Dominus panem arctum, & aquam brevem.* Quid vinum cum aqua? Abluit aqua, & Christus lavit nos in sanguine suo, dicitque in consecratione; *Hic est Calix sanguinis mei, &c. Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Propterea ex latere Christi sanguis & aqua promanarunt, ut qualis pro ablutione aqua, talis, & pro emundatione sanguis esse crederetur. Quo augustius, eo angustius mysterium fidei est. Fides est *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, & quo major est amplitudo rerum latentium, eo clarior & splendidor fides est, nec ullibi magis splendet & claret, quam in sacro sancta Eucharistia, sub cujus brevi & angusto velamine summa Dei maiestas & immensitas clauditur ac continetur. Quod si Christus in cælum evolavit, non est cur timeas abiturum ex altari, *non faciet avolare ultra doctorem tuum*; in quo & ipse suam obstringit fidem; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, ut & ego vos videam & rebus vestris provideam, semperque vos me præ oculis habeatis; *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.*

Heb. 11. 1.
Splendor fidei.
Matt. 28. 18.

Panis regius.

XLIV.

COnvenit cum hoc oraculo Oraculum eiusdem Isaiæ ca. 33. *Qui ambulat in iustitijs & loquitur veritatem, qui proijcit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt, Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè.*

Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, bonus Deo est, *qui proijcit avaritiam ex calumnia, &c.* bonus proximo est, qui *claudit oculos, ne videat malum*, benè sibi consulit ac prospicit. *Iste in excelsis habitabit*, ubi Deus est, cui placet; *munimenta saxorum sublimitas eius*, ne patiatur ab alijs malum, qui cæteris illud non infert: *panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt*, ut bene sibi consulenti nihil deficiat, *Regem in decore suo videbunt oculi eius*, in regio pane existentem, *cernent terram de longe*, de qua David; *Portio mea in terra viventium.* Hæc eius patria est, quisquis dignè communicat ascriptus est terræ viventium; *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Cui panis hic regius datur, visio Regis in decore suo affulget, cælestis cæpta & inchoata beatitudo, quoties Deo & cælo intentus sacram ille accipit Communionem. *Regem in decore suo videbunt oculi eius.* Hic est decor, ut rex esse voluerit ut cum sit mystica ficus, vitis, & oliva suam dulcedinem, vinum, & pinguedinem nobis communicaverit. Procul hinc vitis, ficus & oliva, quæ in libr. Iudic. regnare noluerunt, ne desererent fructus suos dulces, suaves & pingues. *Venite adoremus Regem Regum dominantem gentibus*, *qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.*

Beatitudo inchoata.
Ps. 141. 6.
Ioa. 6. 59.

Crux & Eucharistia.

XLV.

AUdiamus loquentem de se Agnum. Loquitur cap. 11. Ierem. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius & eradamus eum de terra viventium, & nomen eius non memoretur amplius.*

Ecce Agnus Dei mitis & mansuetus, qui se portat, & portatur ad victimam, portatur ad Crucem, se portat ad Eucharistiam. *Sciens quia dedit omnia pater in manus*, novit seipsum dare; *se dat suis manibus*, qui & damnans & reprobans ait *& non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia.* Qui stultis inquit Virginibus, *Nescio vos*, stulta horum consilia nescire se dicit. Hæc sunt; *Mittamus lignum in panem eius.* Sacrato pani Crucem addiderunt Hebræi, ut vitam Christi extinguerent, & memoriam eius delerent, accidit planè contrarium. Miserunt lignum in panem eius, vivit in pane Christus, qui dicit de se: *Ego sum panis vivus*, habet è Cruce nomen gloriosum sibi & suis, cum dicat Paulus, *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit ei nomen, quod est super omne nomen:* & scribat ipse de se, *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Convertit Deus in gloriam, quod cogitarunt impij fore ad ignominiam; *Mittamus*, inquiunt, *lignum in panem eius*: ex ligno fecit Deus vexillum; *Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis mysterium:* accessit regio vexillo pro glorioso insigni hostia; sub quo signo tota militat Ecclesia.

Matt. 25. 12.

Io. 6. 51.

Gal. 6. 14

Crucis & Eucharistiæ gloria

Panis Consolationis.

XLVI. THren. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

Magna desolatio domi est, cum parvuli petunt panem, & est nemo, qui extremę necessitati succurrat. Succurrit Christus, qui loquitur per Isaiam cap. 8. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus.* Allegat hunc ipsum locum Apostolus cap. 2. ad Hebræos. & inquit; *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini; & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timori mortis per totam vitam obnoxij erant servituti.* Erant Apostoli non annis, nec ętate pueri, sed puritate & innocentia, & simul capacitate, ideoque accipiens Iesus panem in sanctas ac venerabiles manus suas, benedixit, fregit deditque Discipulis suis, cum quibus in panis fractione tanquam cum pueris se gessit, & habuit. Verum enim vero quamvis Christus parvulorum se captui accommodans panem fregerit, se totum omnibus ac singulis tradidit; *Non confractus, non divisus integer accipitur.* Accipitur ab esurientibus, clamantibus pro cibo; esuries enim hoc habet, ut & aves & terræ animalia, nec non homines edere voces & clamores cogat.

Pueritia Apostolorum.

Panis principalis.

XLVII EZech. cap. 44. *Dixit Dominus ad me. Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino.*

Totum hoc oraculum de Christo & Virgine est, ut sancti affirmant Patres, quorum unus ait Hieronym. lib. advers. Iovinian. *Hæc est porta orientalis, ut ait Ezechiel, semper clausa, & lucida, operiens in se, vel ex se proferens sancta sanctorum, per quam soli iustitia, & pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur.* Egreditur Melchisedechus offerens panem. *Hic est panis, qui de*

Ioa. 6. 59.

cælo

cælo descendit: & tamen non dicitur de eo, quod det panem cæteris alijs, sed, *Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino.* Et quidem ita natus est ex Virgine, ut cum tantus esset Princeps, summa inopia laboraret, nec haberet micam panis, ut se aleret; *Ipse egenus factus est, ut vos divites essetis.* Alebatur in domo Virginis veluti quidam inops & mendicus sedens ad portam, ut de pane sibi necessario provideretur. Provisum est per Mariam & Iosephum, a quibus acceptum panem rependit cum magno fænore, quando seipsum consecravit; & per modum panis se comedendum tradidit. Nihil accipit Christus, quod non reddat cum maiore emolumento ac lucro, sicut aperte ostendit in Eucharistia, ubi datam sibi carnem, & pro ea alenda concessum sibi panem in carne, & pane consecrato retribuit non semel aut iterum, sed semper & in omnibus locis, ubi sacra Eucharistia conficitur, & confertur. Cum princeps ille esset, plebeium ac popularem comedit panem, quem accipiens consecravit, ut nobis illum redderet principalem, *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias regibus.*

Nobilis pauper Christus 2. Cor. 8. 9.

Panis fugientium.

LVIII

AMos cap. 7. Dixit Amasias ad Amos; *Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi.*

Amasias sacerdos malus & prophanus erat, ut constat ex eodē cap. 7. Amos, & tamen eius monitum laudabile potest reddi. *Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem.* Nihil minus ille cogitavit, & oraculum locutus est, *Qui vides*, non tam corporalibus quam spiritalibus oculis, *gradere* non tam per loci mutationem, quam per vitæ conversionem, *fuge in terram Iuda*, ad Confessionem, scilicet, Iuda enim Confessionem sonat; *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Quisquis confitetur, fugit recipiens se ad pedes Christi, ut & ab eo liberetur, & a culpis liberatur, cui dicere fas est, *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum, anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Commendatur ille philosophus, qui cum auis ab accipitre infestaretur, & ad eius sinum confugeret, benigne eam admiserit, & libere abire permiserit, jactans se fuisse protectorem innocentiæ. Major hæc gloria Christi est, ut ream, & nocentem animam recurrentem ad se admittat, & illam innocentem reddat & dicat, *Comede panem.* Dimisit ille aviculam per aera, ut suam cum periculo & discrimine recidendi in ungues accipitris quæreret alimoniam. Christus quam liberat animam, alit atque sustentat, ne recidivam patiatur monet. *Comede panem, & prophetabis ibi*, ibi philosophaberis, qualis imposterū esse debeas, qui tam pie receptus, & tam bene refectus es, & simul cum Christo immolaberis. Christus loquendo se offert in sacrificium, dum dicit; *Hoc est enim corpus meum* &, *Hic est Calix sanguinis mei*, & qui vere loquitur & agit de offerenda sua carne, sanguine & vita Deo similis est Davidi, vel potius Christo dicenti *Circuivi, & immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis.* Vociferatus & Petrus, cum respondit Christo cap. 6. Ioannis. *Ad quem ibimus?* Fugere oportet ad te, a te fugere non oportet, qui sic tractas servos tuos, cibo & potu, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, amore. *In me manet & ego in illo*, honore. *Qui manducat me & ipse vivet propter me:* delectatione. *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, &c.*

1. Cor. 11. 28.

Ps. 123. 6.

Misericordia Christi.

Cibus

Cibus electus.

XL. ABachuc. cap. 3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.*

Premiserat Abuchuc ea, quæ alere solent homines, nec curans defectum eorum, solatur se in Domino, & recreatur; *Ficus enim non florebit: & non erit germen in vineis. Mentietur opus olivæ: & arua non afferent cibum. Abscindetur de ovili pecus; & non erit armentum in præsepibus. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Portat Dominus Iesus secum electum cibum, qui talis est, ut in eo sibi placeat, sibi complaceat homo,
Psl. 83. 6. dicatque. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Qui dixit in Euangelio, cum ad cænam invitaretur, *Villam emi*, timebat, ne terreni fru-
Luc. 14. 19. ctus deessent, quibus aleretur & sustentaretur. Longè erat, ut diceret; *Ego autem in Domino gaudebo.* Qui tunc rustice respondit; *Iuga boum emi quinque & vado probare illa:* sollicitus de suis armentis multum aberat, ut assereret; *Exultabo in Deo Iesu meo.* Quapropter iudicati sunt indigni, ut tam electo cibo, non omnibus, sed electis, & electis destinato fruerentur.

Frumentum electorum, & vinum germinans Virgines.

L. ZAch. 9. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Nihil boni, quod Dei, & a Deo non sit, *Omne datum optimum, &*
Iac. 1. 17. *omne donum perfectum de sursum est descendens a Patre luminum.* Nec renuunt, sed annuunt Gentes, Plutarch. lib. de Isid. & Osirid. *Qui sapiunt, ijs omnia bona sunt a dijs immortalibus petenda.* Et apud Dionys. Halicarnas lib. 1. ait Hostilius; *Ad Deos auctores omnia præclarè facta refero.* Ergo cum omnia bona trahant a Deo originem, quę est ratio, ut Zacharias solum Dei bonum esse frumentum electorum velit, *Quid enim bonum eius est, nisi frumentum electorum?* Nihil est in rebus creatis omni ex parte bonum & absolutum, non luminaria cæli, *stellæ non sunt mundæ in conspectu eius:* non Angeli, *in Angelis*
Iob. 25. 4. *suis reperit pravitatē:* multo minus alię inferiores creaturę, ac proinde nullum est bonum, quod ita pro dignitate dicatur esse Dei, ac dici possit, quā quod est in Eucharistia. Dixit Aristot. in Topic. lib. 3. cap. 3. *Quod magis à malis segregatum est, præstantius est: magis enim eligendum est id, cui nulla molestia est consequens, quam id, cui est consequens:* nihil igitur pręstantius sacra Synaxi, quę libera omnino est omni molestia. Ne quid deesset eius bonitati,
Commune bonum datur in Communionem accipientium. Qnid autem non commune est; quod natura optimum fecit? Sol omnibus lucet. Luna innumerabilibus comitata sederibus etiam feras ducit ad pabulum. Quid autem aquis prętantius dici potest? In publico tamen manant. Hinc principium habuit sententia illa Ciceronis in Topic. cap. 18. *Plura bona paucioribus anteponantur, diuturna brevioribus: longe & late pervogata, angustis: ex quibus plura bona propagentur, quæque plures imitentur & faciant*, Conjungitur in sacra Eucharistia bonitas cum specie & pulchritudine, *& quid pulchrum eius, nisi vinum germinans Virgines?* Præit bonitas speciem, & idcirco Deus licet formo-

formosam & speciem lucem condidisset, *vidit lucem quod esset bona:* similisque ipse sibi, *videt cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* ut prius bonitate, quam pulchritudine se duci declararet. Prius bonum, deinde pulchrum esse voluit cæleste suum Sacramentum, *Non frustra*, teste Pacato in Panegyr. *opinione sapientum, qui naturalium momenta causarum subtilius sciscitari arcanis cælestibus nobiles curas intulerunt, augustissima quæque species plurimum creditur trahere cælo.* Pulchritudo autem Eucharistica non cadit sub opinionem, sed sub fidem, certam, ac firmam, quod è cælo venerit, & è cælo descenderit ad formandas decorandasque animas. Quapropter Sermon. de 4. Fer. monet August. *Vt anima pulchra permaneas, carnem eius quotidie manducabis, ut vitam æternam habeas, sanguinem eius potabis.* Qualis hostia, talis & anima, ut bona atque pulchra sit, sacratur hostia & post consecrationem Christum sub accidentibus habet, aliud nihil, talis & anima communicantis, cui dicere licet: quod dixit anima Davidis Psalm. 72. *Quid enim mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.*

Catholicum Sacrificium.

Concludit antiqua oracula Malachias cap. 1. in quo loquitur gloriosus Deus; *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* LI.

Secundum communem ritum nascentem solem adoravere pastores, coluerunt Christum in sua nativitate, de quo Malachias propheta, *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ.* Præter hunc vulgarem morem, *ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam dicentes, ubi est qui natus est Rex Iudæorum, vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*, non orientem modo, sed etiam occidentem, ideoque tamquam mortali myrrham pro eius funere obtulerunt. Quanti hoc Deus facit, vel ex hoc intelligi potest, *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus*. Præcinit hoc ipsum David: *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini, Excelsus super Gentes Dominus, & super cælos gloria eius.* Hic cultus regius est, quo nascens & moriens sol justitiæ adoratur in Eucharistia: nascens, *Hic est panis, qui de cælo descendit:* moriens, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Hæc solennis memoria celebratur, & honoratur ubique gentium, *In omni loco sacrificatur.* S. Chrysostom. in Psalm. 95. hoc usus testimonio monet; *Vide quam luculenter, quamque dilucide mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia.* Quo etiam argumento orat. 2. contra Iudæos utitur, ut probet soli Eucharistiæ præfatum competere vaticinium, cum nullum Synagogæ sacrificium in omni loco fiat, nec fieri debeat, siquidem extra Ierosolymam immolari Deut. cap. 16. prohibitum est. Consonant sibi divinitas & humanitas in Christo, ut divinitas ibi sit, ubi humanitas est, sed cum divinitas sit immensa, & sit ubique, non est ubique humanitas virtute tamen consecrationis, in *omni loco* est, ubi sacrificatur. *Et offertur nomini meo oblatio mūda.* Quo sensu hæc verba sint accipiēda declarat Cōc. Trid. ss. 22. cap. 1. *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut*

Mal. 4. 2.

Adoratio orientis & occidētis solis iustitiæ.

Ps. 112. 3.

Ioa. 6. 59.

aut malitia offerentium inquinari poteſt, quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in Gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit. Prædixit quoque mundam propter virtutem, quam habet homines purificandi, veniam eis, atque remiſſionem peccatorum impetrandi, & comparandi. Magna hinc Deo provenit gloria, cum dicat, *Magnum eſt nomen meum in Gentibus.* Magnum Ieſu nomen, quo Chriſtus aſcendit in
Marc.16. 19. cælum, *& Dominus quidem Ieſus aſſumptus eſt in cælum:* quo etiam nomine
1.Cor.11. 23. ſeipſum conſecravit, *Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem.* Hoc oraculum, ſicut & cætera alia pro ſacris altaris myſterijs, *dicit Dominus exercituum* Huic ſoli innixa vincit omnia veritas Euchariſtica, ſed ſi *Dominus exercituum* eſt, ubi caſtra? ubi arma? ubi milites? Hæc omnia infirmioris potentiæ ſubſidia ſunt, ſed qui poteſt omnia, ſolus ſibi ſufficit,
3.Eſd. 4. 50. *Benedictus Deus veritatis*, Benedictus terra, marique Dominus exercituũ
Exod.15. 3. *Dominus quaſi vir pugnator omnipotens nomen eius: currus Pharaonis, & exercitum eius projecit in mare. Quis ſimilis tui in fortibus Domine, quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia?* Hæc de antiquis Oraculis, quæ deſinunt in mirabilia ſub novo teſtamento per tot ſæcula cælitus data, divinitus patrata.

Omnia miracula, quæ Deus in Eccleſia ſua patravit comparata cum antiquis illis Oraculis nova ſunt, & innumera. Non eſt animus ad multa me extendere mirabilia, ſed ad ea me reducere, quæ nova ſunt, quia ſemper eadem durant & perſeverant. Quod ſemper ſibi idem eſt, ſemper eſt nouum. Adhuc ipſa ſacra Euchariſtia, cum eadem ſemper exiſtat, quotidie eſt nova, de novo fit ſingulis diebus panis & vini in Eccleſia conſecratio, cum ſit perpetua, talia & recenſebo miracula pro cultu venerabilis Sacramenti, de quorum miraculorum certitudine ſapiens nemo ambigere poteſt, cum pateant, & ſint in oculis omnium, evidentia certe argumenta fidei, incitamenta ſpei, excitamenta amoris & charitatis debitæ admirabile.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe. Pſalm. 110.

MIRACULA NOVA QUA PERPETUA.

PRO

FIDE, SPE, ET CHARITATE

GLORIOSI CORPORIS CHRISTI.

Promovenda & excitanda.



FIDES, quæ est *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, divinis innixa oraculis non indiget pro se miraculis, quæ nihilominus patrare dignatus est Deus, ut suorum testimoniorum veritas ac certitudo magis innotesceret, canitque propterea David Psalm. 118. *Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea. Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Supererogat Deus miracula dando ultra id, quod exigit fides in gratiam fidelium. *Mysterium fidei* venerabile Sacramentum est divinis Oraculis institutum, & constitutum, fabricatum & revelatum, cuius summa veritas stat per se, nec eget fulcris, & sustentaculis miraculorum, & tamen Christus in novo testamento ad promovendam fidem suorum communicantium mira præstitit, & egit. Convertit prius aquam in vinum, ut conversioni Eucharisticæ viam præstrueret & aperiret, priusquam cap. 6. Ioannis sacrum hoc mysterium promulgaretur, præmittitur de panibus multiplicatis miraculum, signum & Symbolum mirabilis Sacramenti. Licet necessaria non esset mysterio fidei illa miraculosa panum multiplicatio, pro liberali tamen ac prodiga conditione sua Christus voluit mirabilia operari. Habet itaque causam, ut dicat David, *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Semper Deus nimius est, quoties patrando miracula ostendit se fide dignum, cum summa ac suprema veritas super omnia portenta emineat, & superet omnia prodigia, Hæc præstat, ut in nobis excitet fidem & cultum sibi, mysterioque sacri altaris debitum, promoveatque in cordibus vivam erga gloriosum corpus suum spem securam & fervidam charitatem.

Miraculum vulsiniense pro novo habendum.

VRbanus Papa IV. primus omnium divina Solennia gloriosi corporis Christi in urbe Tuscia, ut refert Platina, egit, & indixit toti Catholicæ Ecclesiæ, motus eo miraculo, quod hoc tempore Vulsinijs in diœcesi, & ditione Vrbetana in Ecclesia S. Christinæ accidit. Dum Sacerdos quispiam sacra Missarum Solennia celebraret, Sacramento iam confecto de panis, & vini transsubstantiatione, & Christi corpore dubitavit. Unde statim (& dictu & auditu mirum) ex sanctissima, quam in manibus tenebat, hostia viuus sanguis manare cœpit, & totam mappam quam corporalem vocant, tinxit. Quo miraculo attonitus Pontifex Vrbanus corporale primum ad se ab Episcopo loci cum processione in vrbem veterem transferri voluit, & illud Solennitate instituta in Ecclesia Orbe- I.

tana recondidit, ut pro novo ſemper haberetur. Novit Deus ex unius dubitatione multorum fidem aſtruere, qualis eſt in tota Eccleſia, dum celebrat Corpus Chriſti, qui ex unius Apoſtoli Thomæ dubio ita certum reddidit de triumphali ſua Reſurrectione totum populum Chriſtianorũ. Minus conceſſit Deus, cum pręfatum miraculum fecit, quam quod fecit, dum conſecraretur, & deinde pateretur. Conſecravit corpus ſuum, ex quo profluxit tanta ſanguinis copia, quanta fuit in ſacra paſſione. Habes de hujus miraculo archetypum in conſecratione calicis, *Hic eſt Calix ſanguinis mei, &c. qui pro vobis & pro multis effundetur.* Miraculoſum tunc Sacramentum, & nunc etiam, ſiquidem idem ſanguis, qui effuſus in Cruce eſt, in ſacro ad viuum exprimitur, & adhuc verè dicitur, *pro vobis, & pro multis effundetur.*

Miraculum Seveldanum.

II. AD excitandam fidem ex tabula ænea in templo pagi Seveld. Tilman. Bredembachius, quam ſuis oculis vidit, & legit, proponit hoc miraculum. Anno a nativit. Domini 1384. Oſuvaldus Mulſer ex nobili ortus proſapia, majori hoſtia ſe donari petebat, & cogebat. Sed dum venerabile Sacramentum ſupra linguam Oſuvaldi poneretur, ecce miraculoſe ante altare terra ſe aperit, ac ſi ipſum Oſuvaldum deglutire vellet, & in illam uſque ad genua cecidit. Ille vero manibus latus altaris apprehendit: ſed altare iſthic inſtar cerę molleſcere cępit, manibuſque ceſſit. Oſuvaldus præſentem Dei vindictam pręſentiens mox pænitentia ducitur, veniam a Deo precatur. Cumque hoſtiam deglutire non poſſet, Deo id non permittente, Sacerdos eam in ſacrariũ reponit: quæ etiã nunc hodie ſanguineo colore iſthic nonnihil contracta conſpicitur. Ubi etiam iam unde ad noſtra uſque tempora plurima fiunt miracula. Cõcludit Bredembach. *Ego ex urbe in Germaniam reverſurus altare ipſum vidi & in eo manus Oſwaldi veſtigia deprehendi; ac iuxta illud terra hiatum quo abſorberi cæperat, modo ferreis cancellis obſeptum: denique ipſam hoſtiam, & caſtrum, in quo vixit, comperi:* Erat ille infectus errore, quem depoſuit, ſecundum magnitudinem ſacræ hoſtię eſſe maius Sacramentum. Confutavit hũc errorem Euſebius Emiſſen: *Euchariſtia ſacra perceptio,* inquit, *non in quantitate, ſed in virtute cõſiſtit. Quod corpus, Sacerdote diſpenſante, tantum eſt in exiguo, quantum eſſe conſtat in toto: quod cum Eccleſia fidelium ſumit, ſicut plenum in univerſis, ita integrũ eſſe probatur in ſingulis.* Ergo, *Ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur.* Hoc imprimis mirare, ut in parua hoſtia immenſus Dominus ſit, & capi poſſit ab homine. *O res mirabilis, manducat Dominum pauper ſeruus & humilis.*

Miraculum Bruxellenſe.

III. AD fidem excitandam extat Brùxellę miraculum patratum anno M.CCC.LXIX. Tunc perfidi Iudæi armarium, quo ſacra Euchariſtia ſervabatur, ſubtiliter aperuerunt, & circiter ſexdecim hoſtias cõſecratas, inter quas ſola una majoris formæ extiterat, furtivè ceperunt, & ſecum aſportarunt, eaſdemque uſque ad diem paraſceves, quo Salvator noſter in cruce mortem ſubijt temporalem, hujuſmodi ſacras hoſtias in

ſuæ

suæ passionis blasphemiam & contumeliam suis cultellis ignominiosè crudeliter transfixerunt. Unde signa miraculosa tamquam guttæ sanguinis apparuerunt, & videntur exivisse, prout modernis temporibus cunctis intuentibus potest apparere. Quibus per Iudæos sic perpetratis videntes ipsi hujusmodi signa miraculosa nimio timore atque pavore prostrati in terram corruerunt. Ne res innotesceret, & pænas darent, apud fœminam nomine Catharinam sacras hostias deposuerunt. Hæc antea Iudaicæ superstitioni renunciaverat, quę & factum declaravit, & eius notitia pervenit ad Principes Vencislaum & Ioannam Duces Brabantię, de quorum mandato Iudæis captis & examinatis pæna combustionis inflicta est. Plura lege apud Guicciard. in Descript. Belgij. Egregium Sacellum & tabernaculum ædificatum est in D. Gudulæ templo, in quo magna veneratione miraculosum hoc Sacramentum repositum est, cui affixa olim tabula hos versus exhibebat.

Quisquis ades, summi, quem tangit cura Tonantis,
Dum properas, captum siste viator iter.
Hic tibi viva caro æterni Sapientia Patris
Christus adest vivus panis, & una salus.
Invida Iudæûm quam dum laniare laborat
Impietas, meritis ignibus ecce luit.
Quare age divinos huic funde viator honores,
Funde Deo dignas supplice mente preces.

Religiosissimi vero Principes in tam evidentis miraculi memoriam Solennem & quotannis resumendam supplicationē institui curarunt, in quo Sacrę Hostiæ jta confossæ summa celebritate circumferuntur. Excelluerunt in hoc cultu Catholici Belgarū Principes Albertus & Isabella, quādo non obstante æstu Iulij mensis, quo maximi calores esse solent, accensam facem manu tenentes per acclives & declives plateas miraculosum Sacramentum comitabantur. Non minus pium, quam regium par Albertus & Isabella chara filia Philippi II. qui ut refert Petrus Matth. in sua Hist. Gallic. Cordubæ in Hispania ibat aperto capite in solenni supplicatione Corporis Christi. Cumque moneret è Dynastis aliquis summum æstum vitaret, & à sole paululum deflecteret, respondit, *Isto die sol neminem lædere poterit*. Maximum hoc miraculum non est tantum, quantum in ipso Sacramento patratur, ubi Christus totum suum effundit sanguinem, cum Calix consecratur, & non per guttas sicut in relato contigit miraculo.

Miraculum Ausidense.

AD excitandam fidem extat & aliud hodie miraculum sacræ Eucharistiæ Ausidæ in Pinceno, sicut refert Thom. Bozius de signis Eccles. lib. 14. cap. 7. Anno millesimo ducentesimo septuagesimo tertio. Quædam mulier cum sumpsisset ore Eucharistiam non deglutijt, sed servatam secum detulit, ut illa uteretur ad amorem mariti sibi conciliandum per veneficia. Quamobrem sic malis artibus edocta super prunas in tegula repositam projecit, quo facto (mirabile dictu) cæpit Eucharistia, apertissimè in carnem conversa, sanguinem latè emittere, ita ut prunas extinxerit, neque cohiberi potuit IV.

 cruoris

cruoris eruptio, donec canduerunt carbones, quamvis mulier nihil non egerit, injiciendo cinerem, pulverem, ceramque apponendo. Tunc vero novo eventu attonita, linteo tegulam cum carne divina & sanguine involuens terra in domo vicina infodit. Latuit res annos septem, quamvis aliquot mirabilia evenerint, quænam unde nascerentur, alios quidem latebant, mulierem non ita facti ac sceleris sui consciam. Iis exactis illa tandem aperuit rem gestam Sacerdoti, qui cum se eo contulisset, reperit intactam carnem, sanguinemque recentem, linteumque illæsum. Miraculum patefactum, cunctisque divulgatum, ex omnibus locis innumeros ad sui spectaculum commovit, & commovet adhuc post annos trecentos & sexdecim. Visitur enim caro, visitur sanguis vitreis ampullis inclusus ad tantæ rei memoriam sempiternam, neque post tanta temporum spatia quicquam ex ijs est corruptum, aut tabefactum. Potest quivis eo accedere, & proprijs oculis rem contemplari, ut majoribus fidem adhibere possit, & innumeras Deo de tot beneficijs gratias agere & habere. Quisquis autem videret carnem Christi & bullientem in ampullis ejus pretiosum sanguinem, sciat eundem Christi cruorem bullire semper & feruere in Calice sacri altaris, esseque carnem in hostia maiore miraculo, quam fuit id, quod narratum est.

Miraculum Bavaricum.

IV. REferunt Annales Bavariæ Leonem Pontificem Henrico III. Imperatori singularis muneris ergo misisse tres hostias, quarum duas Greg. Magnus, tertiam vero ipse Leo consecraverat. Et quidem de prioribus ferunt B. Gregorium, dum coram matrona quadam Romana in fide Sacramenti vacillante rem divinam faceret, easdem consecrasse: & primam quidem instar sanguinis apparuisse rubicundam, alteram vero in carnem mutatam, sed sanctissimi Pontificis precibus denuo conversam sanguinolenti digiti vestigium retinuisse. Illa vero, quam Leo Pontifex consecrasse creditur, salutiferum nomen Iesus cruentatum exhibuit, hodieque adhuc rubicundum apparet. Misit autem prædictas hostias sacras prædictus Leo Bambergam Henrico III. Imperatori, manseruntque in eadem Ecclesia usque ad tempora Berchtoldi Comitis Andecensis, qui easdem dono accepit ab Ottone Episcopo, cum variis plagis afficeretur ob gravia populi scelera. Siquidem acceptis his sacris pignoribus cessavit manus Domini, omnisque plaga cohibita fuit. Atque in tanti beneficij memoriam supra memoratæ hostiæ pretiosæ hierothecæ inclusæ post tot sęcula (sex ut minus enumerantur) asservantur in Monasterio Andecensi Ordinis S. Benedicti in monte sancto superioris Bavariæ Augustanæ ditionis. Quod dictum est miraculum provenit ex alio, & quidem primo ac primario, quod in utraque hostia corpus Christi suo pretioso sanguine fulgidum virtute consecrationis fuerit efformatum.

Miraculum Duacense.

V. OPpidum Duacense amplum & magnum est inter Cameracum, & Atrebatum. Hic in Ecclesia S. Amati Episcopi, cum Sacerdos in Pascha communicato populo Corpus Christi super nudam terram stupefactus invenisset, & flexis genibus elevare tentasset: mox per se in aera

aera sublevatum, panniculo, quo consecratos digitos sacerdos detergere solet, inhæsit. Clamans ergo presbyter Canonicos vocat, accurrunt illi, spectant in panno corpus vivificum in speciem faciei venustissimi pueri. Et mox convocato populo ad spectaculum præsentatur, & indifferenter nulli tanta cælitus visio denegatur Hęc cum audissem. ait Thom. Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 40. veni de proposito Duacum. Accessi ad Decanum Ecclesiæ, cui optimè notus eram: petij videre miraculum, annuens ille præcepit, ut fieret: aperta est theca, cucurrit populus, moxque ubi pixis revoluitur, clamant omnes, *Ecce iam video, ecce iam conspicio Salvatorem?* Stabam ego attonitus nihil videns, cum ecce vidi faciem in mensuram plenitudinis Christi spineam habentem in capite coronam, & duas guttas sanguinis de fronte per faciem descendentes. Mox igitur genibus flexis cum lachrymis adoravi. Extat adhuc Alareti in Hispania simile miraculum sacræ hostiæ, in qua diversis diversimode se ostendit. Alijs in Cruce extensus, alijs quasi ad iudicium veniens, alijs iuvenis apparet, ut varias & pias affectiones suis cultoribus infundat, simulque multiformis gratiæ suæ dona distribuat. Una quidem facies Christi sub accidentibus panis est, sed pro utilitate ac necessitate omnium communicantium immò & pro eorum voluntate diversimode repræsentata, potest rite ac recte considerari, & adorari, & haberi tamquam insigne miraculum, quod quotidie patratur.

Miraculum Darchorense.

ANno millesimo, ducentesimo, trigesimo nono, cum maximæ Mahumetanorum copię procederent in regno Valentiæ adversus exiguas Hispanorum, & res ad extremum redacta esset, ut refert Lucas Marin. de rebus Hispan. ex Hispanis quinque Duces ad Deum cōfugere, & Eucharistiæ percipiendæ consilium ceperunt. Verum dum presbyter iam celebrasset Missam: protinus ad arma conclamatum, neque sumendæ Eucharistiæ tempus superfuit. Quocirca Deo freti Duces adversus inimicos processere. Presbyter inops consilij particulas sacratissimas linteolis (quæ corporalia vocamus) involutas sub lapide occultavit. Victis mirabiliter inimicis, Presbyter, ut prædictos duces sanctissimo Christi corpore communicaret, produxit illas particulas, sed linteolis explicatis, vidit sanguineis guttis resperfas, & linteis affixas. Res diuulgata cunctos admiratione replevit, & haud multo post rumor adest, inimicos copijs refectis adventare. Nostri confirmatis præsenti miraculo animis, adversus illos progressi petierunt, ut ex edito loco, quasi vexillum in hostes lintea produceretur. Quo facto in fugam conversi hostes. Cum nostri non convenirent quo loco mappulæ cum sacris particulis reponerentur, sortibus res commissa, quibus eductis scheda Darchoræ oppidi ter est lecta: sed ut Dei voluntas magis testificaretur, consensere, ut pixidi inclusæ particulæ summa cum reverentia supra mitem mulam collocarentur, & quo illa libertati suæ relicta pergeret, & ubi consisteret, ibi locus esset tanto miraculo. Mira res Darchoram versus illa iter suscipit, & quamvis a multis aliò pelliceretur propositione pabuli, nunquam tamen conquievit, donec eo pervenit, & hospitale oppidi ingressa substitit in medio, ac genibus flexis est morata, ac ne quid posthac dorso exciperet VI.

ret minus nobile, protinus expiravit. Habes quid simile in veteri testamento, cum boves è Philisthea advexerunt sacram arcam, in qua divina Eucharistia figurabatur, & post eius transportationem mactati, & Deo immolati sunt. Extant publica monumenta, quibus tanta res est consignata, & adhuc reservantur lintea cum particulis usque ad hæc tempora incorruptis, & sanguine respersis, quæ & quotannis confluentibus plurimis ad tantum spectaculum ostenduntur. Quoties sacra Communio fit, toties labia lingua, & corpora communicantium rubescunt sanguine Christi, & hoc ipsum miraculum repetitur, & continuatur. Quem vel mula mitis cognovit, hæretici non norunt. Utinam norint. In partibus Tolosanis S. Antonius de Padua, ut ex eius vita constat apud Sur. 13. Iunij Tom. 3. acerrimam disputationem habuit cum perfidissimo hæretico de salutifero Sacramento Eucharistiæ. Hic cum se concludi cerneret, & vellet evadere: Missa, inquit, faciamus verba, & ad res veniamus. Si tu miraculum testatum efficere potueris in Eucharistia verum habere corpus Christi, omni perfidia abiurata Catholicus ero. Admisit conditionem Antonins. Tunc surgens hæreticus publicè ait; Ego mulam meam triduana inedia lacerabo: post triduum vero illam producam in conspectum populi, & paratas escas ostendam illi: tuque stabis ex adverso, cum tuo illo, ut dicis, corpore Christi: si mula, posthabito pabulo suo, properaverit ad adorandum Deum suum, Ecclesiasticæ fidei totus accedam. Assensit ijs vir Dei absque mora. Die signato adest Antonius ingenti Catholicorum frequentia stipatus, adest & hæreticus cum nequissima hæreticorum caterna. Prope aderat sacellum, in quod vir sanctus cum multa devotione obtulit Missæ Sacrificium. Eo peracto egreditur ad populum cum summa reverentia gestans corpus Domini. Producitur è conclavi mula, bene famelica, congruumque illi pabulum offertur. Tum imperato silentio Antonius, cum multa fiducia bruto animanti dixit; *In virtute & nomine Creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, revera teneo, tibi præcipio, ut confestim humiliter huc accedas, & eam, quam par est, illi prastes reverentiam.* Nec dum Christi seruus finem dicendi fecerat, & ecce iumentum illud neglecto pabulo usque ad poplites summisso capite accessit, & coram illo vivifico corporis Sacramento genu curvavit. Cuius rei spectaculo attonitus hęresiarcha abiurat errorem; & Catholicus efficitur. Dixerat olim David *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus:* & tamen miraculosa fide animalia magis sapiunt, & intelligunt, quam animales hæretici facti ipsi insipientibus brutis adducti, & addicti passionibus.

Miraculum Gregorianum.

VI. AFfine est hoc de sanctis corporalibus rubricatis sanguine Christi miraculum miraculo patrato in palla altaris per Diuum Gregorium, ut in eius vita refert Ioannes Diacon. Petentibus quibusdā Occidentalibus per Legatos sacras reliquias Gregor. Pontifex pallę seu corporalis portionem dedit. Illi velut parvi pretij pallam contemnentes, cum illam domi haberent, conquesti sunt: at Gregorius cum id accepisset post sacro sancta mysteria coram astante populo, reposita in altari palla, in orationem prostratus efflagitavit, ut quanta veneratione habendæ pallæ hujusmodi essent, præ cæteris reliquijs omnibus, miraculo divino perspicuum

ſpicuum faceret. Demum intermiſſa oratione gladio pallam pupugit imitatus primum Romanum Pontificem, moxque inde ſanguis effluxit. Obſtupeſcentes Legati, ac pudefacti cum reliquo populo efflagitarunt, ut pallæ in priſtinum ſtatum reſtituerentur. Reſtitutæ illæ fuerunt, rubricata autem extant Darochæ ſancta Corporalia in perpetuum monimentum cultus & venerationis debitæ ſacro Corpori, pallis, & corporalibus altaris.

Miraculum Brozenſe.

EXtat & aliud celebre Brozæ in Hiſpania miraculum, quod a multis annis perſeverat, & ſingulis annis in Feſto S. Marci divinitus agitur. VII.
Habet Hiſpania feros ac feroces tauros, & ut oſtendat Deus poſſe ſe cum viſum fuerit, eorum ferocitatem reprimere, & reducere ad manſuetudinem, placuit divinæ Majeſtati ſuæ, ut in honorem S. Marci congregatio fidelis erigeretur, cui & hanc mirabilem prærogativam conceſſit. Quotannis in pervigilio S. Marci electus ab ipſa Confraternitate mittitur ad armenta boum, ubi feri tauri ſunt, adit bubulcum, rogat quiſnam omnium ſit ferociſſimus, & accepta informatione vocat eum nomine S. Marci, & ſecum venire iubet. Sequitur vocantem ſe taurus tamquam agnus, mittitque ac manſuetus aſſiſtit in templo ad veſperas. Quibus abſolutis redit ad paſcua rediturus die ſequenti ad Sacrum. Reducitur ad Miſſarum Solennia taurus, adeſt depoſita feritate coram Agno, qui in ſacra ara immolatur & conſecratur. Ducitur quoque in ſupplicatione patiens ſe manibus tractari, & attrectari, & ſimul ornari vel ab ipſis paruulis & puellis. Quo abſoluto ſacro ritu ad ferociam ſuam redit, & ab eo deinceps cavere ſibi quiſque debet. Hoc unum miraculum eſt ex his, quæ prædixit Iſaias cap. 11. futura, cum de cælo deſcenſurus eſſet panis, & Chriſtus in Bethleem domo videlicet panis, foret naſciturus & in pane renaſciturus. *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo, & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus & urſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eorum: & quaſi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere ſuper foramine aſpidis: & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non nocebunt, & non occident in univerſo monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia Domini.* Ubi hæc ſcientia non eſt, ſumma ignorantia eſt, de qua Deus cap. 1. ejuſdem Prophetæ Iſaiæ. *Filios enutrivi, & exaltavi; ipſi autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſſorem, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.*

Miraculum Middelburgenſe & Lovanienſe.

MIddelburgi in Zelandia indignè quis acceſſit ad Sacram Communionem, in cuius ore ſacrilego verſa eſt in carnem ſacra hoſtia, quam dum mandit, emiſit, & expreſſit ex ſe tres ſanguinis guttas. Acceſſit & aliud miraculum: ſiquidem viſu privatus eſt, quem poſtea recepit, cum digne communicavit. Sacerdos hoc ad- VIII.
uertens

vertens ex eius ore resumpsit hostiam, & in Calice reposuit. Detulit illam postea Coloniam ad Archiepiscopum, cui suberat tunc temporis Middelburgum. Unde media eius pars miraculosè item divisa est una cum gutta sanguinis. Hodie vivido colore apparet Lovanij, quò translata servatur apud PP. Augustinianos, & colitur summa veneratione. Circumfertur per civitatem Lovaniensem Dominica post Octav. Venerabilis Sacramenti cum supplicatione Solenni. Tanti huius miraculi extantis & permanentis, extant in eodem ipso Monasterio certa testimonia, & monumenta veritatis. Media pars caro est, & sanguis est altera Sacrificij pars in altari, una candicat in pane, altera rubet in Calice, unde & prædictum miraculum quotidianum censendum, & credendum est.

Miraculum Boxtellanum.

IX. BOxtellæ in Campinia per incuriam celebrantis Sacerdotis sanguis Christi consecratus defluxit in corporale, & cum esset albo colore mutatus est in rubrum & purpureum liquorem. Extant adhuc sacra corporalia sanguine Christi rubricata, & auctoritate Apostolica comprobata. Hæ tam Sanctæ Reliquiæ in se & in suis effectibus quam sint miraculosæ, docet quotidiana experientia. Circumferuntur in processione solenni, summo hominum concursu Dominica sanctissimæ Trinitatis: qua item publicè narrari & proponi solent miracula, & quidem maxima, quæ in illo sanctuario contigerunt. Narratur quoque & in Concionibus publicatur sanguinem quoque Christi in singulis consecrationibus resplendere miraculis varijs, quorum unum è multis miraculum Boxtellanum est. Consulendus est Augustinus Wichmanus in Brabant. Marian. lib. 3. cap. 21. ubi honorificam huius rei mentionem, & narrationem facit.

Miraculum VVechelesandense.

X. NEc omittendum quod invenio miraculum in eadem Brabantia Mariana, ex qua hæc decerpserim, & verbis Auctoris descripserim. Fuit anno Christiano 1412. quidam Ioannes Vander Langersteden, qui Herendaliũ advenit, atque in hospitio morabatur. Hinc ad loca suburbana sæpe digrediens, sacrilegæ templorũ spoliationi quotidie invigilabat, famulo interim horum nihil conscio. Venit is die quodam ad Ecclesiam Wechelesandæ in Campinia, atque ex ea calicem sacrum cum Ciborio, ut vocant, furtivè abstulit, in quo Hostiæ cõsecratæ quinque adservabantur. Herendalium mox cum sacrilego spolio cogitat, & ad suum hospitium. Viam ingressus errabundus hæret, nec ulterius progredi valet, sæpe licet conatus, vidit se quasi in medio labyrintho viæ incertus & impotens. Suspicatus tandem, quod revera erat, hoc suo sceleri imputandum, proponit dictas hostias fluvio vicino inijcere. Sed hoc frustra, nam a loco, in quo erat, nullatenus recedere poterat. Itaque sacratas Hostias foramini seu receptaculo cuniculorum imponit, & abscondit. Tum lætus viam capit, & Herendalium perve-

pervenit, ubi a loci Prætore aliquid subolente de eius latrociniis, divino sic Numine ordinante apprehenditur. Examini & torturæ subjectus sacrilegium Calicis & Ciborij confitetur: sed de hostiis nihil. Tandem nihilominus Confessarij admonitione compunctus, cum iam morti adiudicatus scalas patibuli ascendisset mox laqueo strangulandus, elata voce totius rei gestæ historiam pandit, & locum ubi hostias absconderat designat. Trahitur eò homo nefarius tota populi multitudine comitante. Ecce ingens miraculum. Qui foramini, seu fossæ hostias imposuerat, deprehendit cum universo populo extra foramen sub dio in gramine eas reverenter collocatas, & Cuniculos circumcirca flexo poplite Creatorem suum religiosè adorantes. O rem vere stupendam! Octo dies iam transierant, & ecce in media nive, pluvia, alijsque iniurijs mensis Februarij plane illæsæ atque intactæ sunt ibidem repertæ: elementis pariter atque animalibus Deum suum reverenter tuentibus, quem obstinati hæretici vel agnoscere dedignantur. Luit reus pœnas addictus ignibus. Ad famam tanti miraculi Antonius Brabantiæ Dux & Elisabetha eius uxor statim occurrerũt, qui multos suæ pietatis habuerunt, & habent imitatores. Pro tantæ rei memoria Capella ibidem extructa est supra ipsum nimirum cuniculorum foramen, quod hodie uti nuper vidi, sub altari visitur, & tamquam sacrum Dei habitaculum adoratur. Durarunt hæc divina pignora usque ad rabiem novissimam Iconoclastarum: Sacellum tamen hoc deuotissime etiam hodie frequentatur, & coruscat miraculis, quemadmodum votivę tabellæ ibidem, & donaria protestantur. Tota hæc historia in Tabulis diversis artificiosè plane pictis, & rythmis versibus descripta legitur Miraris, & merito miraris corpus Christi expositum manibus impiorum iniurijs temporum, mirare quoque sic tractari manibus hæreticorum hoc maxime tempore in Eucharistiam sævientium, sed nihil proficientium. Miraris cuniculos suum colere & adorare creatorem, & etiam mirare cõtra cuneos, & cuniculos subterraneos hæreticorum, quibus suffossis Ecclesiam evertere quotidie cogitant, semper illam stare virtute Sacramenti etiam ipsis brutis animantibus venerabilis.

Miraculum Parisiense.

SAlutis anno 1290. in Parisiorum urbe quidam Iudæus per inopem mulierculam, cui vestem, quam ab ea oppignoratam habebat, se gratis restituturum promiserat, Christianam hostiam in Paschate assecutus: cum accenso igne in sartagine vellet assare, ut perspexit eam non mutare formam, nec colorem, gladio eam pupugit, ex qua confestim sanguis manavit. Re autem detecta supervenientibus Christianis hostia in loco ei dicata restituta: Iudæi domus in templum conversa est, quę etiam nunc Salvatoris bullientis nomine compellatur, ubi sacra hostia, gladiusque nunc ostenduntur. Meminit huius miraculi Baptist. Fulg. lib. 5. cap. 1. Semper recens, semper bulliens in Calice sanguis novi testamenti existit. XI.

Miraculum Derkendorfense.

XII. MEminit Tilm. Brendach. libr. 5. Collat. Sacrar. cap. 59. miraculi extantis adhuc in oppido Bavariæ appellato Derkendorf. Ubi miraculosum Sacramentum impij Iudæi post varias punctiones in fornace ignis posuerunt, illæsum tamen ab igne mansit, sicut & ab incude, in qua illud malleis percusserunt. Qua re cognita Præfectus oppidi cum civibus invasit domum, & omnes, qui in eo erant, enecantur. Sacramentum adhuc observatum in Ecclesia sepulchri Domini miraculis varijs celebre colitur & adoratur. Quo maior impietas Iudæorum est, eo maior est pietas eius, qui post consecrationem factam in cænaculo permisit idem omnino corpus suum, quod fuerat consecratum, pungi clavis, & in cruce torridum igne ictibus malleorum velut incudem feriri. Huc pertinent quæ ait Arnold. cap. 7. de verb. Domini: *Quasi incudibus malleatorum ictibus patienter corpus supposuit*, & quidem instar incudis sine ulla ossium læsione mansit per miraculum in Cruce, & hoc quotidie miraculum ad vivum repræsentatur in eodem corpore consecrato, penitus illæso & intacto.

Miraculum Favernanum.

XIII. ANno 1608. Die Sancto Pedtecostes in Ecclesia antiquissimi Monasterij B. Mariæ Virginis de Faverne Ordinis Sancti Benedicti diœcesis Bisontinæ, cum Indulgentiarum tunc concessarum causa sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in duabus hostijs ipsa eadem die consecratis argenteo Reliquiario inclusum, de more, populo propositum fuisset: contigit, ut igne, quo fato nescitur, accenso, mensa lignea, gradu, tabernaculo, mappis, & alijs ornamentis absumptis, suppositoque marmore humi fracto, Reliquiarium illæsum cum duabus inclusis hostijs in aere suspensum absque ullo sustentante corpore solido remaneret, idque per spatium triginta trium circiter horarum, usque ad horam scilicet decimam matutinam diei Martis, tertij festi Pentecostes: cum vicino quodam Parocho, qui solenni supplicatione illuc advenerat, Missam celebrante, & sacratissimam hostiam post primam elevationem demittente, Reliquiarium ex se sensim & leniter descendit, rectàque Missali codici insedit, & inde cum magna reverentia exceptum in sacra ara manu celebrantis superpositum. Quæ omnia visa sunt a quam plurimis integrę fidei testibus, quibus per Inquisitores idoneos auditis firmatum miraculum ad Dei Optimi Maximi gloriam & honorem, Ecclesiæ Catholicæ bonum, & fidelium consolationem publicavit Illustrissimus Ferdinandus de Rye, Archiepiscopus Bisontinus diplomate Vesontione 10. Iulij anni 1608. dato. Hostiarum miraculosarum una Faverniaci remansit, altera jussu Serenissimorum Archiducum Austriæ Alberti & Isabellæ, Burgundiæ Principum, Dolam Sequanorum maxima pompa precibus publicis translata est in Festo Sanctæ Thomæ Apostoli eiusdem anni 1680. Hinc orta est, & semper manet Dolæ tanta devotio erga venerabile Sacramentum, cui suam ascribit liberationem, cum nuper obsideretur a Gallis, ja-

ctantibus

ctantibus illam se habere in manibus, evasit virtute & gratia sacræ hostiæ, pro cuius fide ac defensione milites, qui intus erant, solenniter voverunt, se usque ad sanguinem decertaturos, scripta forma iuramenti in charta, & charta in sinu apposita, ut foverentur in prælio, animosè præliarentur & vincerent, ut non minus pie quam gloriosè non tam pro focis, quam pro aris præliantes morerentur. Experta est Gallia suo malo, quæ sit fidelis Dola sacræ hostiæ dedicata & mancipata. Experitur quoque sancta Ecclesia, quomodo corpus Christi descēdere possit è cælo per totā ignis regionem sine læsione, & per seipsum planè stare sub solis accidentibus, quæ stant etiam per se sine corporis ullius sustentaculo, quod est maius miraculum.

Miraculum Complutense.

SUb idem tempus resplenduit aliud miraculum Compluti in Hispania, & quidem meo tempore cum in nostro Collegio Societatis Iesu XIV. præessem rebus philosophicis vivente & docente P. Gabriele Vazquez parum ante meo Magistro. Venit pænitens ad Patrem præfati nostri Collegij Ioannem Soarium, fassus est se magni piaculi reum, quod cum Mauris, & nefarijs sacrilegis templa spoliasset, & sanctuaria prophanasset, habere item apud se sacras aliquas hostias, quas religionis ergo servaverat. Reddi sibi mandat Soarius & acceptas in suo Oratorio reposuit. Post factam Deo orationem, ut utar verbis Macchabæorum ***incidit bonum consilium*** Patri, ut tamquam ad Oraculum sapientiæ recurreret R. P. Gabrielem Vazquez consultaturus quid ageret. Respondit congruum sibi videri, ut cum de consecratione hostiarum non satis constaret, decenter & reverenter apponerentur in loco humido sacelli subterranei, ut ibi esse desinerent. Dictum factum; sed factum non est, ut illæ corrumperentur post multos dies, quibus ibi permanserunt. Rursus monitus P. Vazquez in parte adhuc humidiore collocari voluit, ubi & idem accidit. Iudicatum est, ibi aliquid divini latere, quod ut aperiretur magis, ex eiusdem patris decreto non consecratę hostiæ cum primis coniunctæ sunt; adjectitiæ & adventitiæ brevi tempore corruptæ sunt incorruptis & illæsis sacris hostijs de corruptione ipsa triumphantibus. Pro majori gloria prędicti triumphi non semel sed sæpe iterata ac repetita eadem probatio est, & semper cum eadem approbatione. Quamobrem sacræ illæ hostiæ sine ulla miraculi proclamatione, nec solenni publicatione repositæ sunt in adytis sacri altaris. Extant adhuc a quadraginta fere annis incorruptæ illæ & illibatæ, quæ iam sub Serenissimo Ferdinando Cardinale Archiepiscopo Toletano miraculosæ declaratæ per eximium D. Doctorem Alvarem de Villegas totius Archiepiscopatus Magnum Gubernatorem. Hic si quis alius, difficilis semper fuit in admittendis miraculis, & ut hoc approbaret, post omnes attestationes, rem detulit ad totam Academiam Complutensem, quæ post seriam consultationem & disquisitionem de communi consensu respondit esse apertum miraculum, & ut tale posse publicari, sicut & publicatum est a supremo Gubernatore fatente ex inspectione sacrarum Hostiarum sibi affulsisse veritatis splendorem, quo illuminatus & illustratus agnosceret, & recognosceret ibi Patris splendorem operantem mirabilia,

1. Mach. 4. 45.

Filium perpetuæ Virginis,conceptum sine humore libidinis, de humore, corruptione,& vetustate gloriosè,ac miraculosè triumphantem. *Splendidum in manibus benedicent labia multorum.* SplendetChristus in sacris hostijs, qui ut sit a multis benedictus, quotannis ibidem solennis memoria huis tanti miraculi agitur Dominica quarta Quadragesimæ, quæ est de panibus datis & multiplicatis in deserto miraculosè per Christum declarantem,quale futurum esset mirabile Sacramentum. Fuit illud miraculum quasi quoddam rudimentum mirandi huius mysterij,rudesque panis hordeacei convivæ sua fide,spe,& charitate erga Christum leviter & ruditer indicabant,quam credentes,quam sperantes,&amantes futuri essent cultores sacræ Eucharistię,in cuius promulgatione,recedentibus,præ incredulitate, desperatione & odio filijs Synagogæ, rogavit Christus Apostolos; *Numquid & vos vultis abire?* respondit Petrus Apostolicę Ecclesiæ caput nomine suo,& cæterorum Apostolorum : *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.* Sapit amare qui dicit, *Domine ad quē ibimus?* Sapit sperare,quia ait, *Verba vitæ æternæ habes*: Sapit credere qui fatetur: *& nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Hæc summa de Fide,spe & Charitate theologia,cuius humilia principia & simul rudimenta fuerunt in cōvivio quinque panum, & idcirco S. Ioannes Theologus & Evangelista ante promulgationem sacrę Eucharistię cap.6. sui Evangelij pręmittit factum in deserto epulum, & eius convivarum meminit,ut innotescat non solum quā differat a convivio convivium,sed etiam quam discrepent inter se convivæ Synagogæ, & commensales Sapientię,cuius ut fidei, spei & charitati vacent Academici Christiani, providit Deus de Sacramento miraculoso in gloriosa Academia Complutensi,sicut etiam in famosa Vniversitate Lovaniensi,ubi & a multis sæculis extat adhuc,& colitur sacra hostia, in qua color & rubor venustæ carnis apparet. Disce ex miraculo Complutēsi esse panem,qui de cælo descendit, ex Lovaniensi vero esse etiam mysticam carnem,quæ datur,editur,& adoratur.

Eccl. 13. 20.

Io.6.69.

Miraculum.

XV. FAcit pro his duobus sicut & pro miraculis similibus,quod S. Petrus Damianus scribit in epistola data ad Desiderium Cassinensem Abbatem, & habetur apud Baronium tom. anno 1059. *Recordatus sum litterarum, quas tu quidem sub interrogatione misisti: sed his ego Synodali præpeditus instantia adhuc non respondi. Et in illis (si reminisci valeo) continebantur epistolis: Quia Zelotypa quædam mulier habens virum ex adulterij fraude suspectum,qualiter eum sibi vendicare posset proprio thoro contentum, a vicina petijt muliere consilium. Quæ nimirum perversa,& ultricibus flammis evidenter obnoxia hoc eam sacrilegium veneata serpentis antiqui suadela perdocuit: ut corpus Dominicum quasi cōmunicatura perciperet; quod cautè reservans viro suo post modum non sine quibusdam maleficijs propinaret. Quod videlicet a Sacerdote perceptum, usque dum occasio præberetur, palliolo reservatum, non sine magno dedit stupore miraculum. Hæc enim particula Dominici corporis inventa est usque ad medietatem in carnem conversa,altera vero medietas panis speciem non mutavit. Itaque si rectè reminiscor,hæc proposuisti, deinde quid portenderet inquisisti. Super qua quæstione, quia non necesse est diutius immorari, brevi compendio, quid mihi vide-*

videatur, expediam. Idcirco Deus omnipotens sacrosanctum illud mysterium in carnis speciem vertit, ut perfidiam reprobæ mulieris argueret, dum visibilem Dominici corporis ostenderet veritatem, quatenus quæ purum panem, ut videbatur ante, credebat, veræ carnis speciem cerneret: sicque sacrilegam capti sceleris audacia sub ipso indicio condemnaret. Quod autem medietas sic permansit, ad evidentioris indicij testimonium profecit, ut dum in una, eademque substantia hinc panis, illinc carnis adesse consideras speciem, in utroque veræ carnis, verique panis indifferenter intelligas veritatem: Quia & ipse est panis, qui de cælo descendit, & ipsa nihilominus caro, quæ de Virginalis uteri materia prodijt.

Miraculosa Communio.

HÆc de novis miraculis patratis in Convivio Sapientiæ pro maiori eius solẽnitate, quod quidem semper idem est, ac proinde semper nouum. Mirum autem est, quod hæc, & alia similia, & innumera, quæ non extant, & tamen fuerũt prodigia quæ patraverit Deus, cũ iniuriis appeteretur in suo venerabili Sacramento, egit hæc ut hostes cõfunderentur, vel converterentur, & nos confirmaremur magis in fide triumphante semper per miracula venerabilis Sacramenti, quæ semper extantem, & instantem a nobis exigit cultum & devotionem. Sacramentum hoc semper mirabile semper miraculosum, & ut tale splendet maximè in anima, quoties particeps fit mirabilis, & miraculosæ Eucharistiæ, quæ & nova semper manet, ut & gratior & charior sit. Cum bonitati accedit novitas nõ decrescit, sed crescit in pretio & æstimatione. Hęc causa, hæc ratio est, propter quam vidit *Deus lucem quod esset bona*, quoniam præ cæteris creaturis, nova refulsit. Christus bonus Deus est, *O quam bonus Israel Deus!* Bonus in statu Incarnationis, *Magis cum essem bonus descendi in corpus incoinquinatum*: Bonus in Eucharistia, *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Ne quid eius bonitati deesset, semper est nouus: nouus in sinu Patris, cui genitor tamquam recèns genito dicit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: nouus in Matris gremio, nouus quippe homo venit in mundum, de quo Apostolus, *Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est*: nouus in Sacramento Eucharistiæ, *In hac mensa novi Regis, nouum pascha novæ legis, phase vetus terminat. Vetustatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat.* Quo pertinet illud monitum Apostoli. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi.* Nova conspersio ex aqua & farina conficitur, & ex aqua lustrali, & sacro frumento Eucharistiæ pendet innovatio perfecta, unde bene admonet S. Laur. Iustinian. Serm. de Euch. *Huius sumptione fit homo alius non per naturam sed per gratiam, mutaturque totus in melius.* Mutatur in Christum, iuxta id quod refert Aug. in Confess. sibi Christum dixisse. *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me.* Quid sperabas? Sperare quis poterat, ut dum Christum comederet Augustinus, in se converteret Christum, sed contra accidit, *Neque tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me.* Hoc præter omnem cursum naturæ est cæteris annumerandum miraculis, cuius vi atque virtute instar novæ hostiæ redditur, cum sit *nova conspersio.* Sacra efficitur hostia in altari, dum convertitur substantia panis in corpus Christi, cum igitur pro dignitate communicans mutetur & cõvertatur in Christum, transmigrat in sanctam hostiam, Sacramentalem

XVI.
Gen. 1. 2.
Christus semper bonus, & nouus.
Ps. 72. 1.
Zach. 9. 17.
Ps. 2. 7.
Ep. 4. 24.
1. Cor. 5. 7

Rom. 12. 1 planè & mysticam, de qua Paul. scribens ait; *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventē, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum, & nolite confirmari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensu mentis vestræ.* Ans. in Comment. *Nolite formam huius sæculi vobis imprimere, ut similes efficiamur huic sæculo, sed reformamini in novitate in sensu mentis vestræ, ut sensus mentis vestræ semper igne charitatis, ut aurum innovetur.* Hæc est novitas Eucharistica, quæ vel ipsa sola sufficit pro consummata solennitate sacri Convivij Sapientiæ, canitque propterea Ecclesia, *Sacris Solenniis juncta sint gaudia, Et ex præcordiis sonent præconia, recedant vetera, nova sint omnia, Corda, voces, & opera.* Tria hæc cor, vocem, & opera uno solo versu conclusit David, cum ait Ps. 44. *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* Hic nouus David est, quem alias depinximus saluti suæ consulentem artis bene vivendi professorem, & hic ipse ut non sibi solum attendat, sed & doctrinæ, statim subjungit; *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis;* In quem locum S. Hieronym. *Sicut enim quæ scribuntur, non sunt levia, neque facilia, sic & Dei eloquium tamquam scribatur, ita perficitur.* Sic novi testamenti minister attendet sibi & doctrinæ, *Sic omnis faber & architectus qui noctem tamquam diem transigit, qui sculpsit signacula sculptilia, & assiduitas eius variat picturam, cor dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus.* Hoc autem fit, ut notat Hugo Card. *Cum virtutes quas depingit in subditis, prædicando habet in corde suo, & opus suum, id est, instructionem subditorum, & Sacramentorum dispensationem perficit.*

CONCLVSIO.

Attende, & audi.

Ars bene vivendi, & ars pingendi, conveniunt inter se.

Condidimus sub hoc titulo *Attende & audi* sacrum Oratoriū, quod vocari ita placuit a regio Principum Burgundiæ Oratorio, ubi per viginti duos annos servivimus, & ubi res sola de anima est, cum tamen cæteræ Aulę partes aliorum etiam negotiorum expeditionibus sint destinatæ & consecratæ. Sacrum composuimus Oratorium pijs imaginibus adornatum, in quibus nihil est, nisi regium, siquidem in 1. Part. Regina immaculata Maria est, in Part. 2. Christus Rex, in 3. Part. 1. & Augusta Regia, & Eucharistia est, ad quorum formam formari, & reformari debent regiæ animæ, quarum meminit David Ps. 44. *Filiæ*, inquit, *Regum in honore tuo.* Accedit S. Basil. *Filiæ quidem Regiæ quædam sunt generosæ, ac magnæ, regiaque animæ.* Harum triplex imago est. Prima animæ imago apparuit in creatione dicente Creatore Deo; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Dictum factum; *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.* Hæc divina imago communi culpa, & vitio originali perijt, quæ speciali privilegio servata est in sacra anima Immaculatæ Mariæ Primogenitę Creatoris non habentis sibi similem, nec habituræ sequentem. Prima & novissima creatura, quę in sua & pro sua immaculata cōceptione potuit invocare Patrē Deum, & ab ipso Deo edocta invocavit; *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuū, Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Cū purissima ac sanctissima foret, potuit & addere, *Dimitte nobis debita nostra*, non quidem culpæ, sed naturæ, ut ibidem descripsimus.

Forma creata animæ.

Gen. 1. 26

Matt. 6. 9

Potuit

Potuit & subjungere, *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* cum & natura sua esset tentationi exposita, malo obnoxia.

Secunda animæ imago fit per sacrum Baptismum, cuius virtute anima revocatur ad antiquam innocentiæ formam, quam Spiritus sanctus in Maria servavit, & eandem iterum imprimit animæ, dum aqua lustratur, reddens eam puram, & immaculatam. Renascitur Mariæ similis ex aqua & Spiritu sancto, ut triumphet de culpa Originali & eius pœnis cum Virgine Immaculata per novem eius Festa, ut in 1. Part. Oratorij proposuimus & exposuimus. Quod si hæc etiam imago per nova peccata sit deleta, providit Deus de Sacramento Pœnitentiæ, per quam adhuc innovetur, & restauretur. *Forma animæ renata ex aqua, & Spiritu sancto.*

Tertia imago animæ pendet a Sacramento Pœnitentiæ Evangelicæ, quæ quomodo formari & figurari iterum debeat, delineavimus in 2. P. Oratorij per imitationem novi Davidis misericordiam Dei implorantis septem Psalmis Pœnitentiæ, sed præsertim Ps. 50. in quo quatuor partes Confessionis Sacramentalis cōtinentur, has ipsas per imagines, quæ sunt in Sanctis Evangelijs, ibidem depinximus. Ad reformandam hanc imaginem modo per Baptismum, modo per Pœnitentiam Christus venit, ut peccatores vocaret, redderetque animas eorum, quales apud Davidem; *Filiæ regum in honore tuo*: & quales apud Basilium; *Filiæ quidem regiæ, quadā sunt generosæ, ac magnæ, regiaque animæ, quæ ob descensum ad humana noscentes Christum lætificaverunt eum in honore, in vera fide, ac charitate perfecta, ipsius divinitatem probantes.* Circa hunc ipsum cultum, & honorem humanitatis & divinitatis Christi animæ innovatæ gaudentes & exultantes occupantur, cum celebrant divina solennia. *Forma animæ restaurata per Pænitentiam.*

Verumenimvero cum ad perfectionem imaginis pertineat, ut ferre ætatem queat, providit Deus de sacra Eucharistia, ut imago innovatæ animę eius virtute maneat, duret & perseveret, cū dixerit Christus, *Qui mādu cat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Non cedit ætati imago, sed ætas cedit imagini. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ergo ut recepta imago integra & incorrupta duret & perseveret in 3. Part. quæ est de sacra Eucharistia, pro exemplo & exemplari Virgo & Virgines integræ & incorruptæ exhibentur, & deinde in sacro Sanctuario Crucifixi atque Cruciferi, qui mala tempora tolerarunt, & virtute Sacræ Eucharistiæ bene formatam suæ animæ imaginem conservarunt. *Patientia opus perfectum habet.* *Forma animæ conservata per Eucharistiam.*

Exitus acta probat.

CUm sacras exciperem Confessiones Excellentissimi Domini D. Francisci de Moncada, Marchionis Aytonæ, totius Belgij & Burgundiæ Gubernatoris; iuxta pium eius affectum in Davidem, censui, pro meo in tantum virum obsequio & simul officio, describendum ac depingendum, qualis esse deberet magna, generosa & regia anima eius, qui David esse Christianus vellet. Hic scopus, hic finis sacri Oratorij & Sanctuarij: quibus superadditæ sunt imagines, quas pijssime ille colebat: ut in expeditionibus Flandricis, ubi delubra non essent, esset tamen aliquod ædium sacrarum supplementum, nimirum Oratoriū & Sanctuariū.

Nouus profecto David erat insignis Marchio, cui adhuc tenello dicere aliquan-

Psalm. 116 aliquando licuit: *O Domine, quia ego seruus tuus: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Tenellus adhuc puer collocatus est in montis Serrati æde cælesti Reginæ sacra, ut sub umbra tantæ Matris degeret, & educaretur. Hic edoctus Christianè vivere: ubi & sanctus Patriarcha Ignatius didicit tam se quam alios excolere, & spiritaliter exercere, in eam omnino formam, quam ipsa sacrata Virgo servavit dum viveret. Confirmatur hoc ipsum divina revelatione, cuius meminit R. P. Ludovicus de Puentes in Vita venerabilis P. Balthasaris Alvarez cap. 43. §. 1. & quam verisimam & certissimam esse affirmat. Nomine igitur genitricis Dei Mariæ Angelus Gabriel missus ad quamdam virginem spiritalia S. Ignatij facientem Exercitia, virgini retulit: *Significat tibi Regina nostra se fuisse & esse tamquam patronam & fundatricem illorum spiritualium Societatis Exercitiorum; se invisse ac docuisse S. Ignatium, ut ita fieret: ideoque hoc nomine initium se dedisse huic operi: imo & se toto vitæ suæ tempore in sanctis huiusmodi Exercitiis fuisse occupatam.* Hæc eadem virgo principium dedit sacro Oratorio, in cuius 1. Parte prędita cognitione Creatoris sui in eadem alumnum suum instituit, & ad sui formam composuit in æterni Patris recognitione, & in Christiana suimetipsius imitatione.

Nouus David à teneris annis Marchio Aytona.

Composuit se ipse Christianus Mariæ alumnus ad pœnitentiam in 2. Part. Oratorij, in qua nouus David recitavit septem Psalmos pænitentiæ, præsertim quinquagesimum, *Miserere mei Deus*, quatuor partibus Sacramenti Confessionis respondentem, & non parum sibi placentem. Quoties magna negotia aggrediebatur, toties ferè confitebatur. Et vix è vivis abierat Serenissima Infans Elisabetha, cum eadem hora, & quidem antelucana, confessus est; ut, faustis auspiciis, totius Belgij gubernationem inchoaret.

Nouus David in sacris suis Confessionibus.

Tunc maximè erat sollicitus de puritate conscientiæ, cum esset sacram Synaxin accepturus. Hic purus, hic corde mundus fuit, quem Virgines suis insignibus ornatæ ac decoratæ 3. Part. Oratorij introduxerunt ad sumendam Eucharistiam: in cuius cōmunicatione ita pius erat, ut se intuentes excitaret ad devotionem: & quidem usque ad lacrymas excitavit, cum morti iam propinquus sanctum accepit Viaticum, non in lecto jacens aut sedens, sed totus procumbens in genua, & se in terram prosternens. Magnum pietatis & cultus erga veneranda mysteria argumentum, quod impedire non potuit tanta vis & gravitas ægritudinis.

Nouus David in sacra Communione.

Quod si 3. Par. Oratorij accessit Appendix, in qua regium cor Davidis appositum & appensum est; illud puta Davidici Marchionis fuisse: qui cū viuus adhuc esset, & suo ordine legeret Psalmos omnes, fuit ultimus, in quo desijt, Ps. 72. *Quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde!* cuius verba extrema sunt, & fuerunt nostri Davidis: *Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Nouus David præditus corde regio.

Huius tanti viri gratia compositum est Sanctuarium sacræ Crucis & patientiæ, perferendis & levandis laboribus vitæ ac mortis accommodatum. Indigebat hoc levamine nouus David, Heros gratissimus Deo, Regi & toti Flandriæ: summos quippe labores passus est, magnos tam domi quam foris hostes habuit, cum turbulentis temporibus Provincias acciperet gubernandas. Singulari sua prudentia atque patientia omnem patriam composuit & pacavit; magnaque virtute animi hostes debellavit, & varia ac diversa loca recepit, cum iam insolentes rebelles spe sua omnia de-

Nouus David in politico & militari suo regimine.

devorassent. Acceptas igitur fideles Provincias pacatiores & auctiores tradidit Serenissimo Ferdinando, sub cuius regiis & fortunatis auspiciis inclytus Gubernator totius exercitus anno 1635. de Hollandia & Gallia non unam uno anno, sed multas simul victorias reportavit. Cum esset tãtus triumphator, post captam munitionem Schenckianam, in castris iuxta Gog spatio septem dierum summum sui desiderium relinquens, Davidis instar, ingressus est universæ carnis viam. Sic erat in fatis dispositis & ordinatis beneplacito divino; cui conformatus more alterius Machabęi dicere vivens solebat: *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat.* & iam moriens repetebat: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Ingressus sic est in sanctuarium Dei, cui vere dicere licuit, & dixit extremo in Psalmo 72. *Labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei*, & addidit: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Cum gloria susceptus est, qui secundum artem bene viuendi vixit, & ita vitam suam depinxit. Magnum elogium Moysis, quo Philo eius acta conclusit, *Seipsum, suamque vitam quasi tabulam elegantissime pictam proposuit spectandam divinum opus imitationis posteris. Felices qui has figuras suis animis imprimunt, aut certe student imprimere.* Cum gloria susceptus est, sicut alter Rex David: quandoquidem ante ipsum nullus armorum Gubernator in Belgio manens, gloriosè migravit; solus noster Marchio Aytonæ gloriosus triumphator è vivis abijt,

Nouus David piè & feliciter obiens.

1. Mach. 3.60.

Matth. 6. 10.

Notus ubique Heros, Aytonæ Marchio, magnus
Franciscus, David moribus alter erat.
Hic vicit Gallos, Hollandos atque Suecos,
Rexit & hic Belgas, duxque paterque fuit.
Arbiter ipse Statu, felix Generalis in armis,
Victor apud Belgas solus & unus obit.
Phœnix & felix è castris astra subivit.
Hic erit & Phœnix, cum rediviuus erit.

Attende tibi, & doctrinæ.

1. Tim. 1. 16.

POstquam sibi sapiens attendit novam sibi imaginem efformando & imprimendo, attendere doctrinæ debet, ut secundum archetypos, ad quorum similitudinem cor suum & animam renovavit, reformet & alios. Hæc forma attendendi sibi & doctrinæ, & Apostolica quidē: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Unde & magnus prædicator, & non minor pictor mysticus 1. Cor. 15. præmittit: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes*; Concludit inde, *Igitur sicut & portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* Hæc imago renovata in anima immaculata est per Baptismum in similitudinem immaculatæ Mariæ, de cuius sacris privilegiis ac Festis tomo primo disseruimus. Item imago animę instauratur per Sacramentalem Pœnitentiam, quam Christus instituit, & Apostoli prędicarunt, cui instituto deseruit tomus secundus de Christo & Sanctis Apostolis. Cum autem Christus ęternitati pinxerit, & pingi voluerit animas per sacram Eucharistiam, circa illam totus hic tertius tomus versatus est. Versatur circa mensam & cœnam, de qua Tertull. in Apologetic. *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit, vocatur enim Agape,*

Ars bene docendi, et ars pingendi sibi mutuo respondēt.

Philip. 3. 17.

id

id est, dilectio. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes refrigerio isto iuvantur. Assonant igitur sibi argumenta picturę, & argumẽta doctrinę, quæ sic mutuo sibi respondent, ut cũ sacro Machabæorum scriptore concludere lubeat; *Sicut novæ domus architecto de universa structura curandum est, ei vero qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornandum exquirenda sunt: ita existimandum est in nobis.*

Existimandum itaque est ornari argumenta picturæ per argumenta scripturæ data & oblata viro sapienti, qui solus, & non alius sacra agit solennia, solus prædicat, ut lib, 2. de Abel & Cain, monet Ambrosius; *Festus dies Domini est, ubi perfectarum virtutum gratia est,* &c. *Solus itaque sapiens hanc celebrat solennitatem, nullus alius.* Solus celebrat solennitatem, & prædicat veritatem, *Nec tamen*, teste S. Aug. Serm. 23. de tempore, *contraria sunt veritas, & solennitas, quia quod semel est factum in rebus, veritas indicat: hoc sæpius celebrandum in pijs cordibus solennitas renovat. Veritas quæ facta sunt aperit, solennitas autem non ea faciendo, sed celebrando, nec præterita præterire permittit. Sic intelligi arbitror, quod in Ps. 75. scriptum est, cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem solennem agent tibi*: Quem ut nos ritè ac rectè ageremus ad maiorẽ Dei gloriã, Matris Dei, nati & incarnati Filij ac venerabilis Sacramenti pręmisimus solennes imagines, quarum ornamenta sunt ea, quæ de divinis & Marianis Solennibus, deque Solenni Convivio Sapientiæ scripta sunt, prius quidem ex parte dicta in regio Oratorio Ser. Principum Belgij, unde & Oratorium nomen accepit. Digesta tamen sunt in tres Partes picturæ argumenta, & argumenta scripturę in tres tomos divisa mystico numero sacrosanctæ Trinitatis consecrata, sub cuius nomine Solennia tripartita, sculpta, & scripta perficimus, si quid boni fuerit, accepto referentes sanctissimæ Trinitati ducti præclaro exemplo S. Patris nostri Ignatij, qui perpetuis tanti Numinis obsequijs hæc tria, se, sua, & suos pijssime devovit, ac devovere nos docuit ad majorem Dei gloriam.

gLorIa, patrI, & fILIo, & spIrItVI sanCto
sICVt erat In prInCIpIo, & nVnC, & seMper sIt
absqVe VLLo fIne. Amen.

DE SACRIS NOMINIBVS SOLENNIS CONVIVII CONDITI ET EDITI PER SAPIENTIAM PATRIS

DE

SACRIS NOMINIBVS

SOLENNIS

CONVIVII

CONDITI ET EDITI

PER

SAPIENTIAM PATRIS

DISSERTATIO PRIMA.

SVMMARIVM
SACRORVM NOMINVM
ET
SELECTORVM ARGVMENTORVM.

1. *Sacramentum.*	2. *Eucharistia.*
3. *Christus.*	4. *Communio.*
5. *Vita.*	6. *Salus.*
7. *Lux.*	8. *Signum.*
9. *Societas.*	10. *Commercium.*
11. *Nutrimentum.*	12. *Sacra.*
13. *Medicina.*	14. *Arma.*
15. *Fauus.*	16. *Mel.*
17. *Vbera.*	18. *Lac.*

SA-

SACRA NOMINA SOLENNIS CONVIVII SAPIENTIÆ PATRIS.

Sacramentum.

OLENNIS cultus divinæ Majestatis est plurimis eam nominibus commendare & celebrare. Quamobrem in sacris voluminibus varias divini Numinis appellationes esse deprehendimus, quibus vsi sunt veteres Patres, ut & Dei naturam indicarent, ac simul ejus divinitatem revererentur. Deus per se non indiget vllis nominibus, cùm sit vnus, satis sibi per se notus. Confirmat hoc ipsum Lactant. lib. 1. cap. 6. *Deo igitur nomen non est, quia solus est: nec opus est proprio vocabulo, nisi cùm discrimen exigit multitudo, vt vnamquamque personam sua notâ & appellatione designes, Deo autem, quia semper est vnus, proprium nomen est Deus.* Nos diuinis egemus nominibus & quidem varijs, ut varium Deo honorem, & observationem exhibeamus. Hanc etiam reverentiam & cultum exhibuit Isaias Propheta Christo infanti, cùm multis eum nominibus colit, ac colendum prædicit, ac prædicat, *Vocabitur nomen ejus Admirabilis Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Isai. 9. 6. Cùm igitur ea mens nostra sit, vt venerabile Sacramentum honoremus, & honorandum contendamus; abs re non erit varia, ac diversa Eucharistiæ nomina percurrere, quibus vsa Scriptura est, & quæ Patres olim usurparunt, ut augustum hoc mysterium declararent, & adorarent. Placet id quod est apud Galen. lib. 1. de methodo med. c. 7. *Decernere prius de nominibus oportet, quæ in habendo nobis sermone necessariò incident.* I.

Quærit Doctor Angelicus, 3. p. q. 63. a. 4. Utrum convenienter hoc Sacramentum pluribus nominibus appelletur, & quæsito respondet hunc esse usum fidelium, & semper fuisse, ut varijs, ac diversis titulis Eucharistiam cohonestarent: *Respondeo, inquit, dicendum, quod hoc Sacramentum habet triplicem significationem. Vnam quidem respectu præteriti: in quantum scilicet est commemoratiuum Dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium, ut supra dictum est, & secundùm hoc nominatur sacrificium. Aliam autem significationem habet respectu rei præsentis scilicet ecclesiasticæ unitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum, & secundùm hoc nominatur Communio, vel Synaxis: dicit enim Damasc. 4. lib. quod dicitur Communio, quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus ejus carne, & deitate, & quia communicamus, & unimur adinuicem per ipsam. Tertiam significationem habet respectu futuri: in quantum scilicet hoc* *Sacrificium, Communio, Viaticum*



Sacramentum est præfiguratiuum fruitionis Dei, quæ erit in patria. Et secundùm hoc dicitur Viaticum, quia hoc præbet nobis vitam illuc perveniendi. Et secundùm hoc etiam dicitur Eucharistia, id est, bona gratia, quia gratia Dei vita æterna. (ut dicitur Rom. 6.) vel quia realiter continet Christum, qui est plenus gratiæ. Dicitur etiam in Græco, Metalepsis, id est, assumptio, quia, ut Damascen. dicit, per hoc filij deitatem assumimus.

Ad istos tres significatus reducenda sunt omnia nomina, quæ nunc damus. Pertinebunt quoque ad sacrificium, communionem, & Viaticum omnia, quæ in 2. & 3. Dissert. erunt. Primum ergo nomen est Sacramentum.

Quamvis per cætera alia Sacramenta pertineat, & currat hoc nomen, singulari quadam ratione proprium est Eucharistiæ. Hæc ratio petenda est ex Concil. Trid. ss. 13. c. 3. *Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, Symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem: Verum illud in ea excellens, & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta,* Nomen excellentiæ. *tunc primum sanctificãdi vim habent, cùm quis illis vtitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est.* In unaquaque rerum conditarum classe summus artifex Deus voluit, ut singularis aliqua creatura cæteras excellentiâ suâ vinceret, sol quidem cætera luminaria, ignis elementa, aquila volucres, homo cuncta animalia superauit. Excedit quoque Eucharistia cætera Sacramenta, & propter suam excellentiam, & eminentiam singularem, antonomasticos dicitur Sacramentum.

Nec dubium quin sicut homo *microcosmos* est, & excellentiâ naturæ suæ complectitur res omnes mundi, sacra etiam Eucharistia contineat in se, quidquid gloriosum est in reliquis Sacramentis. Baptismus generat, Eu- Zach. 9. 17. charistia germinat: *Quid enim bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Confirmatio roborat, Eucharistia præstat vires: *Panis cor hominis confirmans.* Pœnitentia peccata donat, Eucharistia condonat, fit enim *in remissionem peccatorum.* Matrimonium copulat, Eucharistia conjungit. Ioan. 6. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Ordo sacrificat, in Eucharistia offert seipsum Christus: *Hoc est enim corpus meum. Hic est Calix sanguinis mei.* Extrema unctio mortis est inimica, Eucharistia est hostis: *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Quoniam homo continet res cæteras mundi; mundus dicitur, *microcosmos* dicitur, ad eandem quoque formam appellatur per excellentiam Sacramentum Eucharistia, complectitur enim quidquid laudabile est in cæteris Sacramentis.

Nomen secreti. Sacramentum est nomen magni cujusdam secreti, unde & Angelus cap. 12. Tobiæ dixit: *Etenim sacramentum Regis abscondere bonum est: opera autem* Tob. 12. 7. *Dei reuelare, & confiteri honorificum est.* Nullibi majus arcanum est, quam in Eucharistia, ubi sub accidentibus panis & vini latet ille, de quo locutus est Isai. 45. 15 Isaias. *Verè tu es Deus absconditus.* Latet absconditus Deus non umbraticè, quemadmodum in antiquis, & jam antiquatis Sacramentis; sed realiter, & Ioan. 6. 56. verè. *Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Latet illud manna mysticum, de quo Christus ait Apoc. cap. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Fides quidem valdè secreta est, custos, & custodia est arcanorum divinorum, immo & argumentum est rerum non apparentium, & nihilominus cum tot, ac tanta apud se servet, & custodiat secreta,

ta, hoc unum, quod in Eucharistia continetur, suum esse gaudet præ cæteris, ac proinde dicitur. *Mysterium fidei.* Quamvis Dei Secretarius Isaias nosset multa sibi esse credita sacramenta, nihilominus de singulari quodam arcano fassus est. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi*, ad eandem quoque formam fides Dei secreto uno contenta, quod est in hoc Sacramento, mysterium suum esse voluit. Isai. 24. 16.

Sacramentum est nomen juramenti, quod milites suo præstant Imperatori: cùmque vita hominis militia super terram sit: satis benè dixit Seneca lib. de vitâ beatâ: *Ad hoc Sacramentum adacti sumus ferre mortalia: nec perturbari iis, quæ vitare nostra potestatis non est.* Ad hanc quoque sacramenti significationem alludens idem Senec. epist. 65. scribit. *Sapiens assentatorq́ sapientiæ adhæret quidem in corpore suo, sed optima sui parte abest, & cogitationes suas ad sublimia intendit, & velut Sacramento rogatus, hoc quod viuit, stipendium putat.* Eucharistia divinum & humanum juramentum est, divinum quidem, cùm David canat, *Iurauit Dominus, & non pænitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: quodnam est hoc juramentum, nisi hoc Sacramentum panis & vini, præfiguratum prius in Melchisedecho? Humanum quoque juramentum est, cùm accedentes ad Eucharistiam, ad Sacramentum adigantur, ut milites fideles, ac probi sint. Cùm Deus confecit sacrosancta ista mysteria, seipsum ad Sacramẽtum redigit, venturum ad nos: *Vado & venio ad vos*: permansurum nobiscum: *Ecce ego vobiscum omnibus diebus sum usq; ad consummationem sæculi*: largiturum nobis cibum & potum: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: donaturum nobis divinam, & æternam vitam: divinam, *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me & ipse viuit propter me*: ęternam vero. *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ad hoc quoque nos Sacramentum adacti sumus ferre mortalia, & idcirco memores passionis, ac mortalitatis Christi communicamus, & ut ipsam mortem æquo animo feramus; cœleste hoc viaticum accipimus. Constringimur quoque hoc Sacramenmento, non perturbari humanarum rerum euentibus, sed divino beneplacito conformari, quamobrem in oratione Dominica Christus hæc duo coniunxit. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Panis hic quotidianus Eucharistia est, cui noster cum divinâ voluntate consensus pulchrè conjungitur.

Nomen juramẽti. Ps. 109. 4. Ioan. 14. 28. Matt. 28. 20. Ioan. 6. 56. Matt. 6. 11

Sacramentum est nomen sanctitatis, & Eucharistia non sanctum modò, sed etiam sanctissimum Sacramentum est. Legimus in scriptura sacra, Deum, Angelos, & homines sanctos, non sanctissimos appellari: gloriosus iste titulus huic augustissimo mysterio reservatus est. Mysterium Incarnationis nuncupavit Angelus sanctum: *Spiritus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoq; quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ecclesia verò afflata Spiritu sancto Sacramentum altaris sanctissimum appellat, nec immeritò. Etenim mysterium Incarnationis, & Communionis Auctorem ipsum gratię continet, cum hoc tamen discrimine, quod jam assigno. Misit Deus filium suum, in similitudinem carnis peccati, cùm factus est homo, quam quidem similitudinem tunc deposuit, cùm mortuus est. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur: quod autem mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo.* Cùm verò Christus consecratur in altari vivus Deo est. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me,*

Nomen sanctitatis Luc. 1. 35. Rom. 6. 9.

ter me, ac proinde caret illa peccati similitudine, quam habuit, cùm nobis similis apparuit. Cum illa careat, necesse est, ut Christus seipso sanctior appareat in Eucharistia, quam in ipsa œconomia jncarnationis. Quod ita sanctus tunc temporis non appareret, vitio vertendum non est,
Sap. 8. 20. sed summæ bonitati tribuendum: ait enim ipsë de se: *Magis cùm essem bonus, descendi ad corpus, incoinquinatum.* Deus quidem summè bonus est, & nequit sejpso melior esse, visus est tamen melior, quando suâ bonitate ductus speciem peccati induit, ut de peccato peccatum in carne suâ damnaret. Summè quoque sanctus Deus est, & seipso sanctior esse minimè potest, sanctior tamen elucet, cùm deposita peccati similitudine, consecratur, & offertur. Ex quo fit, ut cùm dixerit incarnatus: *Magis cùm essem bonus, descendi ad corpus incoinquinatum*, dicere queat jam oblatus. Magis cùm essem sanctus, descendi in corpus consecratum.

Nomen ineffabile. Sacramentum ineffabile sanctissimæ Eucharistiæ convenit solum in titulo cũ sanctissima Trinitate, cùm hæc, & illa sanctissimæ nuncupentur. Conveniunt inter se, & sibi mirabiliter respondent duo hæc Sacramenta, Trinitas, & Eucharistia. Trinitas potentia Patris est, sapientia Filij, & amor Spiritus Sancti. Hæc omnia tria reperiuntur in Eucharistia. Adest
Luc. 1. 51. divina potentia; *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, Esurientes implevit bonis, & diuites dimisit inanes.* Deus usus potentiâ suâ bonis Eucharistiæ replet esurientes, quapropter universa exclamat Ecclesia, *O quam suauis est, Domine, spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demõstrares, pane suauissimo de cælo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos diuites dimittens inanes.* Erra-
Ps. 77. 20. runt igitur insipientes, cùm dixerunt: *Numquid & panem poterit dare: aut parare mensam populo suo?* errarunt & insipientes cùm responderunt: *Quo-*
Ioan. 6. 53 *modo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Potest quidem, cùm non sit apud Deum impossibile omne verbum. Adest simul cum po-
Prou. 9. 1. tentia divina sapientia. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Accedit & amor divinus, *Ante diem festum paschæ sciens* IESVS, *quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Concludamus cum Concil. Trident. ss. 13. cap. 2. *Ergo saluator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo diuitias diuini sui erga homines amoris velut effudit.*

Cùm sic conveniant inter se sacrosanctæ Triados, & Eucharistiæ Sacramenta, satis benè, & oportunè Auctor Specul. Eccles. cap. 19. dicit Deo: *Reliqua Sacramenta, quæ tenentur in Ecclesia tua, Domine, stupenda sunt, & veneranda, sed istud tui Sacramentum præcellit universa. Hoc nempe tuæ individuæ Trinitatis mysterium, & illud cœlestis mensæ Sacramentum, quæ fideles & pias animas pascit carne, & potat sanguine, ut non esuriant, neq; sitiant in æternum. Præsta, Domine, ut ipso mentis palato sentiam, gustem, sapiam hæc ineffabilia Sacramenta: magna enim sunt, & mirabilia valdè, & ego paruulus in eorum consideratione deficio, quoties ad intuenda ea fidei oculos attollo. Supplex rogo tantorum auidus mysteriorum, lacta me, nutri me, & in mensuram ætatis usque ad perfecti viri meam extende exiguitatem, ut solidum hunc & perfectum cibum capere valeam.*

Eucharistia.

ISIDOR. lib. 6. Orig. c. 19. *Panis*, inquit, *& Calicis Sacramentum Græci Eucharistiam dicunt, quod Latinè bona gratia interpretatur. Et quid melius corpore, & sanguine Christi?* Ita reuera est, nihil est melius corpore, & sanguine Christi. Vidit Deus lucem, quod esset bona, & cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona, sed bonitati Eucharistiæ cedunt omnia, quandoquidem continet in se Deum, qui summê bonus est: *Deus summè bonus*, ut lib. de fide ad Petrum. cap. 4. dicit August. *dedit omnibus naturis, quas fecit, ut bonæ sint, non tamen tantum bonæ, quantum Creator omnium bonorum*: Eucharistiæ verò tantum bonum dedit, quantum ipse Creator est, ac proinde summè bona gratia est: nihil ergo melius corpore, & sanguine Christi: *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Magna profectò laus Eucharistiæ est, quod *bona* dicatur. Hûc pertinet quod asserit August. in Ps. 117. *Vt laudemus Deum, non potuit laus Dei breuius explicari, quam ut diceretur: Quam bonus! Quid sit grandius ista breuitate non video: cùm ita sit proprium Deo, quod bonus est, ut a quodam cum collaudabatur ipse filius Dei, cum audiret, Magister bone: ab eo scilicet, qui carnem ejus intuens, & diuinitatis plenitudinem non intelligens, solum hominem arbitrabatur, responderet: Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi unus Deus. Quod quid aliud est dicere, quam si me bonum vis appellare, intellige & Deum.* Quisquis igitur Eucharistiam laudat, bonam gratiam esse dicat. Quid sit grandius ista breuitate, non video. Cùm verò bonam enuntiet, meminerit spiritus diuinitatis Christi, quemadmodum meminit Ecclesia, cum exclamat: *O quam suauis est Domine spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cœlo præstito esurientes reples bonis!*

II. Bona gratia. Zach. 9. 17.

S. Th. 3. p. q. 73. a. 4. Eucharistiam vocari Sacramentum altaris, quia typus est & figura gloriæ cælestis, quæ erit in patria: *Et secundùm hoc*, inquit, *dicitur Viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perueniendi. Et secundum hoc etjam dicitur Eucharistia, id est, bona gratia, quia gratia Dei vita æterna, ut dicitur (Rom. 6.) vel quia realiter continet Christum, qui est plenus gratia.* Cùm Christus Sacramentum hoc promulgaret, & ab ejus colloquio, & consortio plurimi recessissent, dixit Apostolis: *Numquid & vos vultis abire?* uno ore Petri responderunt omnes. *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Nouerunt vitam æternam esse bonam gratiam huius venerabilis Sacramenti. Quia Christus plenus gratia continetur in mysterijs altaris, de plenitudine ejus omnes accipimus, & bonis ejus replemur. Ioan. 6. 68.

Est igitur Eucharistia imprimis nomen bonitatis diuinæ. Bonorum terrenorum amatores improperabant sanctis viris vanam esse eorum fiduciam, si quid boni à creatore, & non potius à creaturis expectarent. *Multi dicunt quis ostendit nobis bona?* Vaniloquos, ac maledicos istos homines redarguit David memor futuræ Eucharistiæ. *Signatum est*, inquit, *super nos lumen vultus tui, Domine: dedisti lætitiam in corde meo. A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt.* Quinam isti sint, exponit Ecclesia: *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati fideles in pace Christi requiescunt.* Frumentum, & vinum sunt bona Eucharistica, *Nomen diuinæ bonitatis.* Ps. 74.

quibus ditavit ac locupletavit fideles suos Deus, & simul obstruxit ora dicentium: *Quis ostendit nobis bona?* Ostendit nobis Christus, & unusquisq; Ps. 26. 13. nostrum Davidicam illam vocem usurpare potest, *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Exclamat in hūc locū Aug: *O bona Domini dulcia, immortalia, incomparabilia, sempiterna, incommutabilia, & quando vos videbo! O bona Domini credo videre, sed non in terra morientium. Credo videre bona Domini in terra viuentium. Eruet me Dominus à terra morientium, qui propter me dignatus est suscipere terram morientium.* Verumenimuero postquam instituta est Ioan. 6. 59 Eucharistia, terra hęc non est morientium, sed viventium. *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui mãducat hunc panem vivet in aeternum.* Vertitur in cœlum terra, teste Chrysost. hom. 24. in 1. ad Cor. *Dum in hac vita sumus, & terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium.* Quapropter particeps Communionis sacrosanctę dicere potest. *Credo videre bona Domini in terra viuentium:* potest & exclamare. *O bona Domini dulcia, immortalia, incomparabilia, sempiterna, incommutabilia.*

Nomen gratiæ. Eucharistia est nomen gratiæ. Multum quidem interest inter divinam & humanam gratiam, humana arcta est, & angusta: divina ampla, & augusta est. Hinc fit, ut si quis præoccupauerit terreni Principis amorem, solus ille gratiosus sit: apud Deum verò non ita contingit, cùm omnes justi, ac sancti homines gratiosi Dei sint. Divina gratia communio omnibus est, ac proinde Paulus rogat illud 2. Cor. c. vlt. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.* Pulchrum sanè prędictæ veritatis reliquit argumentum Deus in Eucharistia, quæ bona gratia est, & cunctis, ac singulis communicatur. *Sumit unus, sumunt mille: quantum isti, tantum ille, nec sumptus consumitur.* Si Rex tibi suam offerret gratiam, admitteres, non respueres: cùm igitur Rex omnium Deus bonam suam gratiam in Sacramento suo offerat, quid ni libenter admittas, & amplectaris? Nemo seipsum despiciat, cùm videat se non esse mag- Iacob. 4. 6 natem, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*: & gratiam suam in Eucharistia pauperibus, & humilibus servis elargitur. *O res mirabilis, manducat Dominum pauper, seruus & humilis.*

Nomen gratiarum. Gratias tres, omnes sorores, manibus implexis, ridentes, iuvenes, virgines, solutaque ac pellucida veste vetus philosophia constituit, quemadmodum lib. 1. de Beneficijs describit Seneca, & addit explicationem. Quare manibus implexis? *Quia ordo beneficij, per manus transeuntis, nihilominus ad dantem revertitur, & totius speciem perdit, si usquam interruptus est: pulcherrimus, si cohæsit, & vices seruauit.* Quare ridentes? *Quia promerentium vultus hilares sunt, quales solent esse, qui dant, vel accipiunt beneficia.* Quare juvenes? *Quia non debet beneficiorum memoria senescere.* Quare virgines? *Quia incorrupta sunt, & sincera, & omnibus sancta.* Quare soluta ac pellucida veste? *In quibus nihil esse alligati decet, nec adscripti, solutis tunicis utuntur. Pellucidis autem, quia beneficia conspici volunt.* Tres sorores sunt. Unam *qua det beneficium:* altera, quæ accipiat: tertia, *qua reddat.* Tres istas Gratias vetus Philosophia novit, Philosophia verò Christiana novit unam, quæ Eucharistia est, quæ bona gratia est, & in hac una tres quasi sorores concurrunt Diuinitas, Anima, Caro, tres nimirum substantiæ, quæ Christum construunt, & componunt. Dat beneficium Divinitas, quoniam Sacra- Ioan. 6. 46. mentum hoc opus est omnipotentiæ: accipit beneficium anima, quoniam opus spirituale est adaptatum potius animæ, quam corpori, *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Reddit caro beneficium, quoniam in gra-

gratiarum actionem offertur semper in altari,& in alimoniam fidelibus datur. Ad hanc gratitudinem pertinet præclarum testimonium Ambros. lib. de Incarnat. *Ex nobis accepit quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret de nostro,& quod non erat nostrum, ex sua nobis largitate conferret. Secundùm naturam igitur se obtulit nostram, ut ultra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium & de suo proprium, multaq; in eodem & secundùm naturam inveniẽs & ultra naturam.*

Tres istas gratias consertis manibus esse considera, quia beneficium ad dantem revertitur, solus Deus dedit, & ad Deum sacrificium & oblatio refertur. Quia verò Christus à nobis accepit carnem, ad nos etiam redit in cibum. Considera quoque ridentes, quia Christi, Dei nimirum & hominis hilares uultus sunt, quales solent esse, qui dant, vel accipiunt beneficia. Quod si flere cum flentibus,& ridere cum ridentibus nos oportet, ploremus cum Christo passo, cum Christo consecrato rideamus. Contemplare iuuenes gratias, quia beneficium in Eucharista non senescit, sed quotidie renouatur,& ne senescat apud nos, præmonuit Christus: *Hæc quotiescumq; feceritis, in mei memoriam facietis.* Contemplare virgines, quando incorrupta sunt hæc mysteria, sincera,& omnibus sancta. Meditare soluta, ac pellucida veste decorari, quoniam Christus in Eucharistia non adstringitur nec alligatur ullis legibus servitutis humanæ: immò se communicantes ab illis eximit. Pellucida accidentium tela redimitur, ut tantum beneficium conspiciatur, ad cujus conspectum invitat nos ille, qui dicit. *Gustate,& videte, quoniam suauis est Dominus.* Ps. 33. 9.

Tres illas gratias innominatas noluerunt esse Philosophi, & imposuerunt illis hæc nomina Aglaiæ, Euphrosynes,& Thaliæ, quas tres vulgariter Charites appellarunt, Aglaiam à splendore Græcia nominavit, quia talis est ille primus, qui donat: Euphrosynen à gaudio dixit, ut accipientis gaudium notaretur: Thaliam appellavit à germine,& fructu, quia nimirum germinat, & fructificat ad referendum. Nihil quidem magis idoneum est lætitiæ gignendæ, ac beneficentia, ideoque sapienter antiquitas tres prædictas Gratias nuncupavit *Charites*, quod nomen gaudium, & lætitiam sonat, ut in Commentarijs Senec notat. Lipsius. Divinitas Christi donat,& hæc splendor Patris,& figura substantiæ ejus est,& propter hanc cælestem donationem *splendidum in panibus benedicent labia multorum.* Eccl. 31, 28. Accipit anima Christi proprium sibi donum Eucharistiæ, quia spirituale est, & quidem cum summo gaudio. Alens. 4. p. q. 10. a. 2. probat Christum seipsum communicasse, & quia tanti mysterij summam habuit cognitionem, summam quoque sanctissima ipsius anima sensit delectationem: *quanto enim magis cognoscebat totam virtutem mysterij,& melius dispositus erat, tanto magis delectabiliter sumpsit.* Sanguis germinat, caro fructificat, *Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Frumentum electos, vinum virgines producit & germinat, ad referendum istas, & illos Deo. Hic effectus Communionis, ut qui per cibum alienati sumus à Deo, per alimentum Eucharistiæ reducamur ad Deum. Cùm verò nihil perinde sit generandæ lætitiæ, quam beneficentia,& hæc summa sit in Eucharistia; summum quoque gaudium & exultatio consecratum Christum sequitur, & inde ad sui laudatores, & convivas sese diffundit. De laudatoribus agens Ecclesia dicit: *Laudis thema specialis, panis viuus & vitalis hodie proponitur. Sit laus plena, sit sonora, sit jucunda, sit decora mentis iubilatio.* De convivijs verò canit.

Pinguis

Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus.

Hęc cùm ita sint, Eucharistia est bona gratia, quæ cum una sit continet, quas jam retulimus, & quas refert Gregor. Nyss. hom. 8. in Ecclesias: *Caro*, inquit, *Verbi & sanguis, qui est in hac carne, non unam habet gratiam, sed est suavis ijs, qui desiderant, & ijs, qui diligunt, amabilis.* Benè monet S. Th. Opusc. 7. quod est in Angelic. salutat. peccatorem in rebus quærere aliquando gustum, quem consequi non potest, consequitur tamen illum vir justus, dicente Salomone c. 13. Prou. *Custoditur justo substantia peccatoris.* Peccator quærit in carne voluptatem, & invenit dolorem: justus uerò voluptatem, & suavitatem invenit in carne Christi. *Exaltari tuo Christum sumimus, in quem cor, & caro nostra exultant.* Cùm suavis sit Eucharistia cunctis, qui capiunt illam, clamat David, *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.*

Iusto debetur & datur lætitia.

Quis negat appetibilem esse cibum, quem Deus ipse concupivit? *Desiderio*, inquit, *desideravi, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Quis non fateatur Christum amabilem in Sacramēto, cùm similitudo causa amoris sit, & caro & sanguis nobis similis sub speciebus panis, & vini contineatur? Ita certè amabilis est, ut licet homini sit innatum carnem, & sanguinem suum diligere, nemo quippe carnem suam odio habuit, abneget seipsum, desinat carnem suam amare, ut carnē Dominicam amet, quemadmodum Nyss. jam allegatus concludit: *Qui ergo hanc amat carnem, non est amicus suæ carnis, & qui in hunc sanguinem est affectus, mundus erit à sensili sanguine.*

Luc. 22. 15.

Nomen vitæ æternæ.

Eucharistia est nomen æternæ vitæ, cujus typus est & figura, quemadmodum testatur Ecclesia: *Fac nos, quæsumus, Domine, divinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri: quam pretiosi corporis, & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat.* Cùm David affirmet, in patria cælesti voluptatibus divinis ebrios futuros esse beatos. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, accedit Aug. in commun. Serm. 87. *Quo vino? Quo musto? Qua unda? Quo melle? Quo nectare? Quæris? Quoniam apud te est fons vitæ, Prabibe, si potes vitam, conscientiam para, non gulam, mentem, non ventrem.* Præbibenda vita æterna est in Eucharistia, qua prælibata, non erit difficile intellectu, quo vino, quo musto, qua vnda, quo melle, quo nectare mentes beatorum ebriæ fiant. Habet ebrietatem suam Eucharistia, quæ similis est cælesti, sicut in illud Marc. 14. *Accepit* Iesvs *panem*, notat Glossa, cujus verba recitat Alex. Alens 4. p. q. 8. a. 2. *Ebrietas felix, quæ quanto copiosius sumitur, tanto majorem sobrietatem mentibus donare dignatur.* Ebrietas felix est, quæ ponit hominem extra se, ut non de se, sed vivat potius de Christo: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

Ioann. 6. 58.

Eucharistia bona gratia est, & nomen habet à Christo, qui plenus est gratia. Hoc est illud verbum, de quo Ioannes ait. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi geniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis*: rursum: *De plenitudine ejus omnes accepimus.* In quem locum Cyrill. ait. *De plenitudine filij, quasi jugi fonte, gratiarum donum scaturiens in singulas animas, quæ dignæ sunt, defluit.* Iugis, ac perpetuus fons est in Eucharistia, Sacramentum perpetuum, & juge sacrificium. Dona gratiarum scaturiunt ex hoc fonte, quas omnes & singuli communicantes accipiunt. Defluit in animas, quæ dignæ sunt tanto beneficio, quæ indignę sunt, ab hac mensa procul facessant. Creavit Deus mundum hunc, & totum illum redegit in summam & compendium, quod est homo: sancivit legem, & totam illam in una dilectione resumpsit. *Plenitudo legis est dilectio*: produxit ex se varias gratias & cōpendium omnium illarum voluit esse Eucharistiam, quæ est plenitudo gratiarum.

Ioan. 1. 14

Iuge sacrificium.

Rom. 13. 10.

Christus.

Christus.

Ambrosius ad familiarem sibi virum scribens ait: *Malè de te indicas, nec melius de me, si aut tuam absentiam muneribus compensandam, aut me muneribus redimendum putes?* Verus, ac perfectus amor non tēdit in dona, sed in personam, inde fit, ut eius absentiam munera supplere nequeant. Christus amator suorum erat: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, Christus erat charus Ecclesiæ: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Malè igitur de se judicaret, & non melius de Ecclesia sua, si suam absentiam discessurus ex hoc mundo ad Patrem muneribus compensandam, aut Ecclesiam suam muneribus redimendam arbitraretur. Præsentia sua compensavit absentiam. *Ecce ego vobiscum sum*, & discessionem mansione sua supplevit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Cum homines ex mundo proficiscuntur, testamenta condunt, & bona legant suis cognatis, & amicis, ut melius ferant morientium absentiam: Christus uero testamentum suum condit, & ita novum, ut & ipse testator, qui transit ad Patrem in ipso testamento maneat: *Nouum testamentum est in meo sanguine.* Manet in testamento Christus, manet in Sacramento, & quoniam in eo continetur, à Christo nomen accipit Eucharistia, & Christus dicitur. Quamobrem in Missa sua Iacobus Apostol. *Taceant*, inquit, *omnes mortales, & stent cum metu, ac tremore, nihil terrenum cogitent, Rex enim Regum Christus noster erit, ut mactetur, & detur in cibum fidelibus* Confirmat hoc ipsum populus Christianus, qui dicit: *Ex altari tuo Christum sumimus in quo cor, & caro nostra exultant*: unde & Ambros. Sermon. 14. in Ps. 118. consequenter ait: *Quid sunt pascua nisi Christus?* Exclamat propterea Ecclesia, *O sacrum convivum in quo Christus sumitur.* III. Ioan. 13. 1 Cant. 2. 16. Matt. 28. 20. Ioan. 6. 57 1. Cor. 11 25.

Christus, ut dicit Isidor. lib. 7. Orig. cap. 2. à chrismate est appellatus, hoc est, unctus. Præceptum enim fuerat Iudæis, ut sacrum conficerent unguentum, quo perungi possent ij, qui vocabantur ad sacerdotium vel ad regnum: & sicut nunc regibus indumentū purpurę insigne est Regiæ dignitatis: sic illis unctio sacri unguenti nomen, ac potestatem Regiam conferebat, & inde dicti Christi a chrismate, quod est unctio: nam chrisma, Græce, Latinè unctio nuncupatur, quę etiā Domino nomen dedit, quia Spiritu unctus est à Deo Patre, sicut dicitur in Actibus Apost. *Collecti sunt enim in hac ciuitate adversus Sanctum filium tuum, quem unxisti*, nō utique oleo visibili sed gratię dono, quod visibili, significatur unguento. Divinitatis unguento delibutus Deus est in Eucharistia Christus, qui verè Deus est, & sic nominari debet. Hæretici, qui hoc non assequūtur mysterium, somniant esse ethnicismum, Christum sic appellari utentes testimonio Plutarchi lib. de Isid. & Osirid. *Rectissimè*, inquit, *apud Philosophos dicitur, qui vocabula, minus ritè discunt intelligere, eos etiam de rebus ipsis falli, quod usu venit e Græcorum, ijs qui ærea, picta, aut lapidea simulacra, cum assuevissent non imagines, & honores deorum appellare, sed deos: ausi sunt deinde dicere Minervam a Lachare fuisse exutam, Iovem Capitolinum sub bellum ciuile incendio perijsse.* subjacet huic errori picta & ficta cœna hæreticorum: Secus vero sacrum convivium, *in quo Christus sumitur.*

Christus nomen est chrismatis, & unguenti, cujus odorem perceperat sponsa in Canticis, ac dicebat. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum* *Nomen chrismatis* Cant. 1. 3.

rum tuorum. Attracta quidem cucurrit, & ut frueretur unguentis, in sacraria Eucharistiæ deducta est, cum statim dicat ipsa. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Quæ nam sunt Regis cellaria, nisi species panis, & vini, quibus suam carnem, sanguinemque celauit? *Trahe me post te.* Trahit sua quemque voluptas, & quænam potens sit, ut animas post se trahat, declarat August. hom. 12. in Ioan. *Est*, inquit, *quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est illi cælestis.* Ita videmus in Ecclesia, ita experimur, ut exposita venerabilis Eucharistia alliciat ad se fideles animas, & propterea cum eodem Augustino dicere licet: *Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam: nuces puero demonstrantur, & trahitur. Si ergo ista, quæ inter dilicias, & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est, trahit sua quemq; voluptas, non trahit reuelatus Christus a Patre? Quid enim aliud desiderat anima, quam veritatem?* Trahit Christus consecratus animas, & illæ, percepta sacrati chrismatis suavitate, post mysteria altaris currunt: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Non amat Deus animas tardê venientes ad Eucharistiam, amat diligentes, & currentes. Cùm venit Christus in mundum festinus venit.

Ps. 18. 7. nit. *Exultauit ut gigas ad currendum viam*: hic idem ipse est, de quo dixit
Cant. 28. Sponsa, *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, vnde & à celeritate nomen accepit. *Voca nomen ejus, Accelera, festina prædari.* Cùm esset
Isai 8. 3. celer, & uelox sibi similes dilexit, Matrem, quæ statim post ejus aduentum & conceptum *exurgens abiit in montana cum festinatione*: Delegit sibi Ioan-
Luc. 1. 39. nem, qui moras omnes rupit, & tempus natiuitatis, & usum rationis antevertit, ac propterea sui Præcursorem effecit: cumq; in ciuitate Bethleem, domo nimirum panis, nasceretur, traxit ad se non tardos, & morosos palatinos, sed Pastores festinos, qui cæleste pabulum in præsepio sumerent. *Hic est panis, qui de cælo descendit*, & hic panis, qui natus est in Bethleem, consecratur in altari non longo verborum tractu, sed brevissimi sermonis cõpendio. *Hoc est enim corpus meum. Hic est Calix sanguinis mei*, ut festinatô se descendere de coelo ostendat, & ad cursum excitat animas, quæ dicant una voce. *Curremus in odorum vnguentorum tuorum.*

Revocandum est in memoriam, quod legimus apud Marc. Euangeli-
Marc. 14. 3. stam de Maria Magdalena. *Cum esset* IESVS *Bethaniæ in domo Simonis, leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi: & fracto alabastro, effudit super caput ejus. Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes. Vt quid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim vnguentum istud venundari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus*: Prognosticon hoc erat multarum rerum mirabilium, quæ futuræ erant in passione Christi. Contigit hæc una, quam refero, & est mirabilis satis. Humanitas Christi instar alabastri erat, quod con-
Ps. 30. 13. tinebat in se pretiosum divinitatis unguentum, & propterea dixit Chri-
Diuisio sacra hostiæ. stus. *Factus sum tamquam vas perditum.* Fractum est in passione vas alabastri, & totus mundus repletus est ex odore unguenti, quem percipiens iuxta crucem Centurio dixit. *Vere Filius Dei erat iste.* Quod tunc temporis
Matt. 27. 55. factum est, singulis diebus renovatur in Ecclesia. Fractio vasis & alabastri repræsentatur, cum dicit sacerdos. *Accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem tibi gratias agens benedixit, fregit, deditq; Discipulis suis*: repræsentatur etiam, cum idem sacerdos consecratam iam hostiam dividit super calicem. Tunc repleta est tota domus ex odore vnguenti, quem percipientes omnes clamamus. *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, & deinde secrete

creto Sacerdos dicit: *Domine Iesu Christe fili Dei, vivi qui ex voluntate Patris,*
cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc
sacrosanctum corpus, & sanguinẽ tuum ab omnibus iniquitatibus meis, & universis
malis. Facessat hinc obtrectatio illa dicentium *ut quid perditio ista unguenti* Matt. 26.
facta est? Poterat enim unguentũ istud venundari, & dari pauperibus: pauperibus 8.
datur, *O res mirabilis manducat Dominum pauper servus, & humilis*. Impletũ est
Davidicum vaticinium, *Edent pauperes, & saturabuntur*: Et quidem nõ tam Ps. 21. 27.
divites & onustæ, quam pauperes & ab onere liberę animę dicunt: *Curre-*
mus in odorem unguentorum tuorum. Currunt pauperes ad Christum, in quo Cant. 1. 3
non solum panem, & vinum, sed etjam oleum repériunt: *A fructu frumen-* Ps. 4. 8.
ti, vini & olei multiplicati sunt.

Christus est nomen hominis, quẽ Deus assumpsit, & divinitatis eius oleo *Nomen humanũ.*
est delibutus. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Acce- Ps. 44. 8.
dunt homines ad Eucharistiam, capiunt Christum, & divinæ eius naturæ
consortes fiunt. Quamobrem Cyr. Hierosl. in Catech. Mystag. dicit, *Chri-*
stophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cum eius corpus & sanguinẽ in membra
nostra receperimus, atq; ita ut B. Petrus ait, divinæ naturæ consortes efficiemur,
Christiani per Baptismum sumus, Christophori per Communionẽ, & qui-
dem D. Martyri Christophoro similes esse debemus, sanctus iste procerus
est, & in humeris Christum infantem portat, & nobis dicitur, *Glorificate, &* 1. Cor. 6.
portate Deũ in corpore vestro, ut & ad ejus similitudinem spiritualiter cresca- 20.
mus, & magnificemur. Hoc epulum magnarum personarũ, & non pusilla-
rum est: *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me*, dixit Christus August.

Christus est nomen Regis, & Rex ipse nobis in epulum ministratur, quẽ- *Nomen Regium.*
admodũ in sua Missa Iacobus Apostolus promulgauit, *Taceant omnes mor-*
tales, & stent cum metu, ac tremore nihil terrenũ cogitent, Rex enim regum Chri-
stus noster erit, ut mactetur, & detur in cibum fidelibus. Rex piscium Cetus est,
rex volucrũ Aquila est, rex sylvestrium animaliũ Leo est, rex domesticorũ
animantiũ bos est, & solus iste comedi potest, Cetus, Leo, & Aquila, palato
humano non serviunt, & idcirco tria illa animalia arcentur à sacrificijs di-
vinis, cum tamen bos non solum aptus sit altari, sed etjam præsepio Christi,
quando nascenti infanti pręsens fuit, ostẽditq; nascentis Regis conditionẽ
eam esse, ut se mactandum, & se comedẽdum exhibiturus ipse foret. Cetus
Aquila, & Leo reges sunt, & nõ alunt subditos suos, immo eos vorant, & cõ-
sumũt, vorat Cetus pisces, aquila volucres, rapit, & diripit, leo discerpit ani
malia, & deglutit: quibus terreni principes assimilantur, sibi subjectos non
alunt, sed eos devorat. Lõge alia natura bovis est, nõ edit domestica animã-
tia, sed potius ipse homini servit ad escã. Hęc eadẽ est nobilis cõditio Regis
nostri, ut non mactet ipse homines, sed mactetur, & in cibũ fidelibus detur.

Christus est nomen sacerdotis, ac proinde cum in altari Christum sumi- *Nomen sacerdotale.*
mus, non solum carnem regalem, sed etjam sacerdotalem capimus. Audia-
mus, si placet. Aug. in titulum Psal. 26. *solus Christus sacerdos talis existit, ut*
ipse etiam esset sacrificium: quod pro nobis obtulit Deo, non alium quam seipsum.
Non enim invenit præter se mundissimam rationalem victimam tanquam agnus
immaculatus fuso sanguine suo redimens nos, concorporans nos sibi, faciens nos mẽ-
bra sua, ut in illo & nos Christi essemus. Coniungit, & concorporat nos secum
Christus per Communionem, ut & nos Christi simus, reges nimirum, & 1. Pet. 2. 9.
sacerdotes. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*. Quam obrem omnes
nos, qui Christi sumus, regalem, & sacerdotalem de nobis hostiã offeramus
ad cujus oblationem nos omnes hortatur Apostolus c. 12. ad Rom. *Obsecro*

itaq; vos fratres per misericordiã Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam vivẽtem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Christus sacerdos exhibet corpus suum in sacrificium, & alimentum: *obsecro itaq; vos fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivẽtem.* Noverat Christus quid esset futurum in Cruce, & quomodo vitam suam amissurus tunc tẽporis esset, cũ proprio sanguine baptizaretur. Ne mors in vitã ipsius, quod putabatur haberet dominiũ, jus omne vitæ suæ transtulit in Deũ per vivã hostiã Eucharistiæ, ac proinde non iure, sed injuria potius mortuus est. Quia verò factã injuriam resarcire oportebat, vita Christo restituta est. Nos omnes mortales sumus, & tandem aliquãdo morituri, cùm in illo nos Christi simus, vivam hostiã de nobis offeramus, omne jus vitę nostrę transferentes in Deũ, ut non tam iure, quam iniuria moriamur, & illatum injustè damnum per resurrectionem futuram reparetur. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non*
Sap. 3. 1. *tanget illos tormentum mortis*: Impiorum verò, qui vitas suas sibi retinuerũt,
Ps. 1. 5. longè alia conditio est, quandoquidem *non resurgunt impij in iudicio, vide-*
Ioan. 5. 29 *licet in resurrectionẽ vitæ*, quemadmodũ Christus dicit. Nec mirũ, quod vitę careant resurrectione, quorum animæ prius apud Deũ repositę nõ fuerũt.

Communio.

IV. S. Th. 3. p. q. 73. a. 4. docet Eucharistiam vocari Communionem, vel Synaxin, quia Ecclesiasticæ unitati homines aggregantur per hoc Sacramẽtum. Dam. li. 4. de fide c. 14. Communionem dictam putat, quia communicamus per ipsam Christo, & quia participamus ejus carne, & deitate, & quia communicamus, & unimur adinvicem per ipsã. Docet nos veritas scripturarum viatorem fuisse Christum. *Exultavit gigas ad cur-*
Ps. 18. 7. *rendam viam*: rogatque eum Ier. *Quare sicut colonus futurus es in terra, & sicut*
Ier. 14. 8 *viator declinans ad manendum?* Cùm viator esset, nostram humanitatem in-
Phil. 2. 7. venit, *Exinanivit semetipsum formã servi accipiens, & habitu inventus ut homo.* Quicquid olim in via reperiebatur, commune censebatur, & idcirco Sen. Ep. 119. de se scribit. *Quoties aliquid inveni, nõ expecto, donec dicas. In cõmune, ipse mihi dico, in commune*, Abijt hoc in proverbium, & moris erat, si quis aliquid in via reperisset, profari, *Communi Mercurio*, qui certè rei inventę conscius putabatur, ut qui in vijs versaretur, & rem inventam communem faceret. Propterea viator, qui in illam incidisset, clamabat, *Cõmunis Mercurius*, quasi diceret, & mihi pars esto. Invenit Christus naturam nostram, & perditam quidem invenit, dum esset in via ouem errantem, quę amissa fuerat, drachmam, quę fuerat perdita, prodigum filium, de quo jam esse actũ censebatur: revixit tandem ille, *perierat, & inventus est.* Cùm reperisset, potuit
Luc. 15. 24. dicere. *In cõmune*, & mihi pars esto. Accepit naturam humanã, sed nõ peccatum, accepit naturam ovis, sed non errorem, metallum drachmæ, sed non sordes, conditionem prodigi, sed non perversionem. *Non enim habemus*
Heb. 4. 15 *Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatũ autem per omnia pro similitudine absq; peccato.* Cùm non nasceretur peccator, sed viator, satis benè dixit Greg. hom. 8. in Euang. *Non in parentum domo, sed in via nascitur, ut profectò ostenderet, quia per humanitatem suam, quam assumpserat, quasi in alieno nascetur.* Aliena natura erat, sed fecit suã, quoniam invenit illam in via. Pastores inventorẽ ovis, Mater numisma cẽsus solvẽs, drachmę repertorẽ, filij verò prodigi, id est, populi gentilis receptorem agnoscunt, & adorant Reges. Hoc ipsum jus quod Deus habuit in nostram naturam, nos quoq; in Deum nostrũ habemus, quandoquidẽ nos omnes viatores sumus, & in ista via, per quam tendimus, Deum hominẽ factum invenimus. Non sine my-

sterio dictum est Pastoribus ab Angelo: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: Invenietis infantē pannis involutum & positū in præsepio.* Invenerunt quidē Deum, sed in via. *Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* Unde si Deus in via dicit homini. *In commune*, dicere quoq; potest homo Deo, Et mihi pars esto. *Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terrā? Defecit caro mea, & cor meū, & pars mea Deus in æternùm.* Hęc optima pars est quam elegit sibi Maria, & cuius alibi David meminit, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meā mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Miranda hæc inter Deum & homines cōmunicatio est. *O admirabile commercium: Creator generis humani animatum corpus sumens de virgine nasci dignatus est*, nempe in via, *& largitus est nobis suam deitatem*, quam reperimus in via. Hæc eadem Communio est, quam quotidie communicantes frequentamus, & celebramus. Luc.2.10. Ps.72.25. Ps.15.5.

Communio est nomen cōmunicationis cum Christo, tunc autem cōmunicamus cum Christo, quando corde, & voluntate cum illo conformamur, & eius Eucharistiam approbamus. Communicamus cum proximo nostro, *quando facto ejus consortium voluntatis, vel approbationis adiungitur*, ut definit Aug. li. 1. de verb. Domini, Ser. 18. ad eandem quoq; formā sumentes Eucharistiam nos gerere debemus, ut cū illo communicemus, opus est, ut velimus id fieri, quod Christus facit, & approbemus id, quod Christus pręstat. Cùm sacerdos in Missā sumit consecratam hostiam, ut illā edat, dicit. *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen*: & cum accipit calicem, ut ebibat, ait, *Sāguis Domini nostri Iesu custodiat animam meam in vitam æternam: Amen.* Vox autem, *Amen*. Hebræa est, & sonat, *Fiat, Efficiatur, vel firmum sit*, & hanc pronuntiat sacerdos, ut & in facto se convenire cum Christo, confirmare & approbare æternæ vitæ mysterium ostendat. Cū porrigit hostiam cōmunicanti dicit etiā Sacerdos. *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam: Amen.* Cujus vocis prolatione præfatā consensionē & approbationē à laico conatur elicere. Apud Amb. li. 4. de Sacr. c. 5. cum porrigeret sacerdos hostiam, vocem illam non enuntiabat, sed enuntiandam laico remittebat, ut & opus Christi benè factum esse sentiret, & ratum haberet. *Ergò non ociosè tu dicis Amen, iam in spiritu confitens, quod accipias corpus Christi. Dicit tibi Sacerdos, Corpus Christi. Tu dicis, Amen. Hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.* Hæc Ambros. *Nomen communicationis cū Christo*

Communio nomen est participationis Christi, quam participationē pręvidēs David ait: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*, Minatus est Christus Petro. *Si non lauero te, non habebis partem mecū*, id est: Non habebis partē mecum mei particeps Sacramēti. Divinitas, & humanitas totum Christum constituunt, & componunt, & utramq; sumpsit Petrus, & nos sumimus in Communione, quomodo ergo pars Communio dicitur, *Si nō lauero te, non habebis partē mecū*! Eucharistia Sacramentū est, & sacrificiū: quatenus est Sacramentū, ad nos pertinet, quatenus sacrificiū, tendit in Deū, cui soli nō Angelis, aut Divis offertur. Participamus igitur deitatē, & humanitatē Christi in Eucharistia sacramentali, relicta parte sacrificij, quę penitus illibata soli Deo reservatur. Hęc pars est, quā largitus est Christus Ecclesię suę, potior, & melior partibus omnibus, quas olim Synagoga, & filij eius omnes acceperūt. Huc pertinet, quod l. 1. Reg. c. 1. scriptū legimus. *Venit ergo dies, & immolavit Elcana, deditq; Phenenæ vxori suæ, & cunctis filijs eius, & filiabus partes: Annæ autē dedit partē unā tristis, quia Annā diligebat.* Elcana Christus Phenena *Nomen participationis Christi.* Ioan.13.8

nagoga, filij & filiæ, proles Hebręorum, Anna Ecclesia; quam unicè dilexit, partes Synagogæ figuræ veteres, pars vero tristis Eucharistiæ est, in qua mæror, & tristitia mortis, ac passionis Christi recolitur, & hæc obtigit Ecclesiæ, quę gestat in manu Calicem, ac dicit: *Dominus pars hæreditatis meæ, & Calicis mei.* Congruenter satis depingitur Ecclesia cum Calice, Calix enim pars tristis est, quam mystica Anna a suo accepit Elcana.

Nomen nexus & unionis. Communio est nomen communis unionis inter Christum, & eos, qui cibum Eucharisticum sumunt. Nisi corpus & anima uniantur inter se, nequit homo vivere, & si desit nexus, communionis inter Christi carnē & nos, vi-
Ioan. 6. 53 vere non possumus: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis non habebitis vitā in vobis.* Cùm deficit corporis & animę unio, mors est, & cum vinculū desit inter Christum, & hominem, interitus est, *Mors est malis, vita bonis.* Vivificatus quis à spiritu humano homo est, vivificatus vero à Christo, qui Deus
Ps. 104. 15 est, Christus est, *Nolite tangere Christos meos.* Deus est, *Ego dixi, dij estis.* Chri-
Ps. 115. 11. stus, ut ait Isid. li. 7. Orig. c. 2. *Dictus Deus propter unitam cum Patre substantiā:* igitur propter unionem substantiæ nostræ cum Christo, Christi sumus, & ejus Deitatis titulo vitę, ac rectè fruimur. Caue ne dū vitalem quęris unionem, & communionē, acquiras mortiferam. Benè monet Eccl. c. 9. *Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis, & si accesseris ad illum noli aliquid committere, ne forte auferat vitam tuam. Communionem mortis scito: quoniam in medio laqueorum ingrederis, & super dolentiū arma ambulabis.* Christus in venerabili Sacramento auctor est vitæ. *Qui*
Ioan. 6. 59. *manducat me, & ipse viuet propter me*; auctor quoq; mortis est. *Qui manducat, & bibit indignè iudiciū sibi manducat, & bibit non dijudicans corpus Domini. Ideo*
1. Cor. 11. 29. *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Longè igitur abesto ab homine potestatem habente occidendi, ne temerariè accedas, & vitalis cōmunionis loco, mortis cōmunionem habeas. Lex naturę est, ut cū defecerit cōmunis nexus inter corpus, & animam, communio mortis, hoc est, communis unio formæ cadaveris cum materia corporea succedat, lex pariter esto, ut deficiente unione cum Christo, communicatio mortis sequatur.

Nomen mutuæ conuersationis Communio naturæ inter nos cōmunicationis nomen est. Inducta cōvivia sunt, ut homines inter se conveniant, & familiarius agant, unde & Deus ipse, cum vellet se familiarem, & affabilem hominibus exhibere *venit manducans, & bibens* acceptās, & prębens cōvivia. Acceptavit in domo Simonis
Matt. 11. 19. & Mathæi, & aliās sæpe usq; ad invidiam illorum, qui dicebant. *Quare cum*
Matt. 9. 11 *publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* Præbuit epulū in deserto, & in cænaculo, cū agnum comedit, & seipsum comedendum tradidit Discipulis suis, ut familiarius cū illis ipse, & ipsi inter se communicarent. Cū Sacramentum Eucharistiæ sit ineffabile, habet hanc vim, ut homines affabiles, gratiosos, ac benignos reddat. Christus sacrosanctæ vitæ suæ annum Eucharistia clausit, & hostia sua coronavit, de quo cecinit David Ps. 64. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & cāpi tui replebuntur ubertate. Pinguescēt speciosa deserti: & exultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ouiū, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.* Cū natus est Christus *apparuit humanitas, & benignitas nostri Dei,* hujus benignitatis est clausus annus, cum in ultima cęna benedixit panem, ac fregit, deditq; Discipulis suis. tūc cāpi repleti sunt ubertate, & speciosa deserti facta sunt pinguia. *Pinguis*
Ps. 131. 9. *est panis Christi, & præbebit delicias regibus.* Tunc exultarunt colles, & arietes
Zach. 9. 17. ouiū, Apostoli vestiti sunt: *Sacerdotes tui induantur iustitiā.* Tunc abundarūt valles frumento. *Quid enim bonū ejus est, & quid pulchrū ejus nisi frumentū electorum,*

ctorum, & vinū germinans virgines? Tunc clamarunt, & hymnum dixerunt, quãdoquidem post cænã, *hymno dicto*, conclusa sunt Eucharistica mysteria. Tota vita Christi, annus est benignitatis, & tūc coronatus, cū institutū est Sacramentū, signū, ac signaculū sacrosanctę humanitatis, ac benignitatis ipsius. Quid autem benignitas sit lib. Diff. lit. B. declarat Isidorus, *Stoici*, inquit, *ita definiunt, quod benignitas sit virtus ad benefaciendū exposita, lenis, blanda, dulcis alloquio, ad omnium bonorum familiaritatem invitans*. Summa Christi benignitas est in Eucharistia ad benefaciendum exposita, & quæ benefacere docet, *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus*. Virtus est lenis, blanda, dulcis alloquio ad omnium bonorum familiaritatem alliciens quæ & homines sui similes reddit lenes, blandos, dulces, familiares, gratiosos. Nec dubium, quin Eucharistia cū bona gratia sit, efficiat per sui communicationem apud Deum & etiam apud homines amicitiam, & gratiam, cum c. 2. Act. scriptum esse legamus. *Quotidie quoq; perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Heb. 13. 16

Communio mutuę inter nos unionis nomen est. Primi Christiani, quorum iam meminit Lucas Euang. frangentes Eucharisticum panem unanimes omnes erant, *cor unum & anima una* pariter omnes erant. Auctor quidem venerandi Sacramenti Christus, cùm primum illud instituit, precatus est Patrem, ut sumpta Communio amabilem hunc unitatis, & unionis effectū sortiretur. *Sicut tu me misisti in mūdum, misi eos in mundum. Et pro eis rogo, sanctifica meipsum: ut sint & ipsi sanctificati, in veritate. Non pro eis autem rogo tantū sed pro eis, qui credituri sunt, per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Claritas hæc, quæ Apostolis data est, Eucharistica videtur esse, quandoquidem hoc Sacramentum vinculum mutuę unitatis est, sicut 1. Cor. c. 10. scribit Paulus. *Vt prudētibus loquor, vos ipsi iudicate, quod dico. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Cùm Deus sit unus in creatura rationali, quę imago Dei est, extulit unitatem, & idcirco voluit, ut omnes homines ab uno ortum haberent, præter ordinem cæterorum animantium. Aug. Serm. 5. de Penthec. *Nunquid Deus de una aue fecit cæteras aues? Nunquid de uno pisce omnes pisces? de uno equo omnes equos? de una bestia omnes bestias? Nunquid non multas plantas semel terra produxit, & fœtibus multa complevit? Ventum est ad hominem faciendum, & factus est unus: & de uno genus humanum. Nec duos facere voluit separatim: sed de uno unam. Quare sic, & quare ab uno genus humanum inchoatur, nisi quia generi humano unitas commendatur?* Hãc unitatem dissolvit prohibitus cibus, quē secuta est divisio inter Deū, & hominē, dissensio inter virum & uxorē, discordia inter proles, & cęteros posteros. Oportebat igitur, ut unus esset cibus, qui dãna illata resarciret, cōjungeret Deo hominē, reduceret ad cōcordiã cōjuges, & in pristinã amicitiã cūctos mortales revocaret, Sacramētalis esca hoc ipsum pręstat. Cibus ille vetitus multiplex fructus erat, nō unū solū, sed poma multa, quę invicem inter se divisa cernerentur: at cibus Eucharisticus unus est & individuus, & propterea divisionem ille, iste verò conjunctionē animorū facit Serpens, ne unitatis dictę ullū argumentū remaneret, à capite conatus est Gen. 35.

Nomen unitatis.

Ioan. 17. 19.

illam evertere deorum multitudinẽ inducẽs, dum ait, *Eratis sicut dij:* Christus vero firmat, & confirmat unitatem Dei per suam Eucharistiam, quam uni soli Deo obtulit ipse, offerendamque cæteris omnibus tradidit, & pariter docuit, ut in unum omnes conveniamus, quandoquidem participamus de eodem calice, & pane, quem uni soli Deo consecramus. Ita nos monent Patres Concilij Trid. ss. 13. c. 8.

Vita.

V. CONcilium Trid. ss. 13. c. 8. *Demum paterno affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes, & singuli, qui Christiano nomine censentur in hoc vnitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ Symbolo, iam tandem aliquando conueniāt, & concordent, memoresq; tantæ Majestatis, & tam eximij amoris* IESV *Christi, Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, & carnẽ suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra mysteria corporis, & sanguinis ejus fidei constantia, & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate, & cultu credant, & venerentur, ut panem illum supersubstantialiter suscipere possint, & is verè eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis* Corporea vita præuias dispositiones requirit, & vita Eucharistica fidei constantiam & firmitatem, devotionem, pietatem, & cultum amat, & si quis illas habeat, viuus & sanus totus erit.

Nomen vitæ perfectæ. August. lib. de verbis Apost. Serm. 2. *Manducent, qui manducant, & bibant, qui bibunt; esuriant, & sitiant, vitam manducent, vitam bibant. Illud bibere, quid est nisi viuere? Manduca vitam, bibe vitam, & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est, vita vnicuiq; erit corpus, & sanguis Christi, si quod visibiliter in Sacramento sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, & spiritualiter bibatur.*

Ps. 33. 13. Quærit Rex David: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* & volenti vitam respondet: *Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum. Diverte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.* Brevius, ac pressius Christus agens de Eucharistia respondit: *Ioan. 6. 64.* *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Non solum dixit vitam esse, sed spiritum, quia nimirum Eucharistia spiritualiter sumi debet, ut sit vitalis. Commune nobis est cum ceteris animantibus, externo cibo ali & sustentari: absit ut instar animalium ad Eucharistiam sine spiritu veniamus. Cùm panis è cælo descendit, bos, & asinus adfuerunt præsepio, absit à nobis, ut ita accedamus, sed instar Mariæ & Iosephi, sanctorumque pastorum, qui visibiliter Christum viderunt, & spiritualiter coluerunt.

Nomen vitæ diuinæ. Martialis Epist. ad Burdegalens. c. 3. *Sicut communio Dei viui est vobis vita, sic participatio mensæ simulacrorum erat vobis æterna mors, & infirmitates, & corruptiones, & nimiæ tribulationes huius sæculi.* Lampas ardens emortuam lampadem accendit: Deus ignis viuus est, & accedentem ad se illuminat, *Ps. 33. 6.* & accendit: *Accedite ad eum, & illuminamini,* & cùm lux & vita simul existat, *Vita erit lux hominum,* quem illuminat: viuificat. Quod cùm ita sit, necesse est, ut Communio Dei viui sumentibus Eucharistiam ad vitam animæ proficiat: *Mors est malis, vita bonis.* Ita quidem mors est, ut quod de idolotitis Martialis ait, dicere liceat indignè communicantibus, Participatio mensæ Christi erit vobis æterna mors & infirmitates, & corruptiones, & nimiæ tribulationes huius sæculi. Non ambiget hoc verum esse, qui *1. Cor. 11 29.* Paulum audiat dicentem. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nos ipsos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur.*

mur. Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Nec mirum, quod eadem infligatur pæna sumenti Sacramentum indignè, & participanti de mensa idolorum, cum non discernens, & non diiudicans corpus Domini, quod sub speciebus panis latet, non ad panem vivum, & verum, sed solum ad ejus simulacrum accedere videatur. Igitur cùm proponitur tibi Eucharistia, quæ bonis vita est, ut malis mors, dictum tibi puta ab Eccles. ca. 15. *Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi: quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.*

Vita nobis Eucharistia est, quamobrem sapientia, quæ ædificauit sibi domum, miscuit vinum, & proposuit mensam, misitque ancillas suas, ut ad prandium invitarent, illamet dicit invitatis suis: *Nunc ergò filij audite me,* Prou. 8. 34.
Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam & estote sapientes, & nolite abijcere eam. Beatus homo qui audit me, & qui Vigilat ad fores meas quotidie: & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem a Domino. Loquitur divina Sapientia cum fidelibus suis, qui templa obeunt, fores & postes eorum frequentant, & vitam Eucharistiæ promittit, *Qui me inuenerit, inveniet vitam.* Christus in Sacramento est, latet sub speciebus panis, & uini: quæri debet ut inveniatur. Nisi quæratur per fidem, non invenitur, unde Iudæis incredulis dictum ab ipso Christo est. *Quæretis me, &* Ioan. 7. 34.
non invenietis. Hinc fit, quod cum heretici careant fide, non inveniant carnem, & sanguinem Christi in Eucharistia, & consequenter vitam sibi non acquirant: Christiani vero non solum nomine, sed etiam moribus Christũ hîc esse credunt, & inveniunt, & per ipsum ad vitam veniunt: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino.* Qui nõ invenit puteum, non haurit aquam ex puteo, & qui non invenit Christum, non invenit puteum, nec haurit ab ipso salutem.

Vita hominis Eucharistia est, vnde scriptum legimus: *Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ potauit illum Dominus Deus noster.* Eccl. 15. 3.
Non tam vulgare dictum, quam dicterium illud est: *Aqua panis, vita canis*: immo potius vita hominis, quemadmodum c. 29. asserit Ecclesiasticus: *Initium vitæ hominis aqua, & panis.* Salutaris aqua Eucharistiæ, & panis cælestis Christi vita hominis est; *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter* Ioann. 6. 58.
Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Processit ex æterno Patre verbum, & processit per intellectum, ac proinde vitæ simul, & intellectus ipsius accepit essentiam. Igitur ut divinæ illius generationis formam homo referret, *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus.* Qualis vita, talis mens, Eucharistiæ vita supra naturam est, & supra naturam esse debet mens, qua percipienda est: *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.* Quod non assequitur humana mens, percipit intellectus fidei, quem suis cantoribus in multis psalmorum titulis optabat David, quem sibi ipsi petebat, *Da mihi intellectum,* quem ipsi Deus promittebat, *Intellectũ* Ps. 118. 34 Ps. 31. 8.
tibi dabo, & instruam te in via hac. Defuit homini mens hæc, quid inde? *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quamobrem benè David monet, *Nolite fieri sicut equus &* Ps. 31. 9.
mulus, quibus non est intellectus. Homines animales sunt, & intellectu carent, qui non percipiunt mysteria spiritualia Christi, quibus annumerandi sunt ij, qui indignè communicant, cum intellectum non habeant, ut corpus I. Cor. 11
Christi dijudicent, ac discernant: *Quicumq; enim manducat, & bibit indignè,* 27.
indi-

Act.17.23 *iudicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini.*

Deus ignotus in Eucharistia. Apud Athenienses ara constructa erat *Ignoto Deo*, quis autem ille esset, exposuit pro suggestu Paulus dixitque magistris, ac Doctoribus Academicis: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo sunt, hic cæli, & terræ cùm sit Dominus non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam, inspirationem, & omnia: fecitq. ex uno omne genus hominum habitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum si fortè attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longè sit ab unoquoq. nostrum. In ipso enim, vivimus mouemur & sumus: sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt, ipsius enim & genus sumus. Genus ergò cum simus Dei, non debemus æstimare, auro, aut argento, aut lapidi aut sculpturæ artis & cogitationis hominis divinum esse simile.* Nec mente, nec sensu humano percipitur in Sacramento Christus, ignotus Deus est, & ignoto Deo totius Ecclesiæ altaria dicata, & consecrata sunt. Hunc ignotum Deum nobis concionatus est Paulus, & adhuc cõcionatur, dum ait: *Ego enim accepi à Domino,* (1.Cor.11.23.) *quod & tradidi vobis.* Conveniunt Christo, quæ nunc dixerat Atheniensibus Paulus. Christus est, qui fecit mundum & omnia, fecit quidem in creatione, refecit in redemptione. Cæli, & terræ Dominus est. *Data est mihi* (Matt. 28. 19.) *omnis potestas in cælo & in terra*, & cùm sit Dominus omnium non in manufactis templis habitat, sed in sua Eucharistia: nec manibus humanis colitur, sed suis se manibus sub accidentibus collocat: nec indiget aliquo, cùm det omnibus vitam, inspirationem, & omnia: *Qui manducat me & ipse viuet propter me.* (Ioan.6.58) *Qui fecit ex uno omne genus hominum habitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum quærere Deum, & fortè attrectent eum, aut inueniant, quamvis non sit longe ab unoquoq. nostrum:* hic idem Deus susceptus in sacrosancta Communione ex uno Deo divinam dat cunctis originem. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem* (Ioan.1.12) *filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt:* hic idem Deus definit suis statuta tempora, & terminos habitationis eorum, ut sub velamine accidentium se quærant, si fortè attrectent, aut inveniant, quamvis non sit longè ab unoquoque nostrum. *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus*, cum sit ipse animarum nostrarum vita, & perpetua sanitas mentis. (Act.17.28) Cùm vero hinc vitam ducamus, necesse est, ut & genus ipsius Dei efficiamur, ac proinde non debemus Christum in Sacramento sculpturæ artis, & cogitationis hominum hæreticorum Divinum esse simile, sed verum in Eucharistia Deum esse, & veram ejus carnem, & divinitatem recognoscere.

Quomodo quis viuat in Christo. Vivimus in Christo, quem edimus, longè aliter quam in nobis ipsis vivamus. Humana vita plena miserijs est, & ipsa sui amatorem Serm. 7. & 8. Laurent. apud August. reprehendit, & arguit: *Clamat vita, fœda sum: & tu amas? dura sum: & tu amplecteris? volatilis sum: & tu sequi conaris? non tecum stabo, & si tecum aliquantulum ero, non tecum permanebo.* Infert inde August. *Quoniam ergò Christiani sumus, implorato adjutorio Domini nostri adversus blãditias malè amaræ vitæ, amemus pulchritudinem illius vitæ, quã nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Longe alia vita Eucharistiæ est, cui nulla miseria sed plena felicitas, perfecta beatitudo est, & accusans hominem clamat: Pulchra sum, & me non amas; blanda sum, & non me amplecteris: cælestis sum, & tu non sequi conaris: tecum semper ero, semper tecum permanebo. Quoniam ergo Christiani omnes vitam volumus,

vitam

vitam quærimus implorato favore divino adversus fraudes ac fallacias vitæ humanæ, diligamus pulchritudinem istius vitæ, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: Quotiescumque communicamus, cælestem hanc vitam participamus, Christo fruimur, *in ipso vivimus, movemur, & sumus*, vivimus per delectationem, movemur per actionem, sumus per contemplationem. Tria genera sunt vitæ, inter quæ quid sit optimum quæri solet, unum voluptati vacat, alterum contemplationi, tertium actioni, quisquis de Eucharistia viuit, voluptati, actioni, & contemplationi studet. Cùm Ioanne Euangelista, qui delibutus gaudio præ delicijs in cæna supra pectus Domini recubuit, vacat voluptati: cum Martha cui dictum est, *unum est necessarium*, nimirum alimentum Eucharisticum, incumbit actioni: cum Maria quæ à Domino sacro verbo pascebatur, studet contemplationi. Cùm dicit Ecclesia, *Ex altari tuo Christum sumimus in quem cor, & caro nostra exultant*, delicijs vacat; & ad delicias vocat: *In voce exultationis resonent epulantes in mensa Domini:* cùm ait, *Introibo ad altare Dei, sumam Christum, qui renovat iuventutem meam*, ad contemplandum ascendit: & cùm addit, *Paratur nobis mensa adversus eos qui tribulant nos*, ad actionem se componit, ac proinde non immeritò de illa scriptum est, *panē otiosa non comedit*. Hæc eadem Ecclesia est, quæ in honorem Eucharistiæ præcordia nostra pro gaudijs, corda pro contemplatione, & opera pro actione pariter à nobis requirit. *Sacris solenniis juncta sint gaudia, Et ex præcordiis sonent præconia, Recedant vetera, nova sint omnia, Corda, voces, & opera.* Tria hæc vitæ genera non solum cum Eucharistia, sed etiam cum ipsamet Ecclesia cæperunt, cùm de primis fidelibus c.2. Act. scriptum sit: *Quotidie quoq; perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis collaudantes Deum & habentes gratiam ad omnem plebem.* Sumebant cibum cum exultatione: ecce hæc voluptas est. In templo erant, & collaudabant Deum; ecce hæc contemplatio est. Frangebant circa Domos panem, ecce hæc operatio est. Vis nosse triplex hoc vitæ genus cum ipsa Eucharistia nativitatem habuisse: memineris quanto cum gaudio Christus Sacramentum instituerit, & invenies voluptatem, esto memor quomodo panem acceperit in venerabiles manus suas, ac fregerit, & actionem deprehendes, recordare elevasse Christū oculos suos ad Patrem suum omnipotentem, ut vacaret contemplationi. Nata igitur Eucharistica vita est cum voluptate, actione, & contemplatione.

Luc. 10. 42.

Ps. 31. 27.

Cùm Christus dicat, *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*: & iterum. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: & asserat e contrario: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, nō habebitis vitā in vobis*; Duplex in hoc mundo regio est, colentium Eucharistiam & non colentium, communicātium una, & altera non admittentium communionem, ista quidem mortuorum regio est, illa vivorum, una displicet, altera placet Deo. *Placebo Domino in regione viuorum.* Quem locum versans Ambros. lib. de bono mortis concludit, & nos simul cum illo concludamus. *Festinemus ergò ad vitam. Si quis vitam tangit, vivet. Deniq; tetigit illa mulier, quæ tetigit fimbriam eius, & à morte dimissa est, cui dicitur: Fides tua te salvam fecit, vade in pace. Si enim qui mortuum tangit, immundus est: sine dubio, qui viventem tangit, saluus est. Quæramus ergo viventem.* Viuit in cælo, vivit in Sacramento. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*, utrobique vitam quæramus, utrobique vitam tangamus, & vivemus. Et vita beata est, de cujus umbra dicere potuit Seneca epist. 44.

Ioan. 6. 58. 59.

Ps. 114. 9.

Ioann. 6. 51.

Si quid

Si quid est, quod beatam vitam potest facere, id est bonum suo jure: depravari enim in malum non potest. Quid est ergo in quo erratur? cum omnes beatam vitam optent, quod instrumenta ejus pro ipsa habent, & illam, dum petunt, fugiunt. Nam cum summa beatæ vitæ sit solida securitas, & ejus inconcussa fiducia, solicitudinis colligunt causas, & per insidiosum iter vitæ non tantum ferunt sarcinas, quam trahunt: Ita longius ab effectu ejus, quod petunt, semper abscedunt, & quo plus operæ impendunt, hoc se magis impediunt, & feruntur retrô. Quod euenit in labyrintho properantibus, ipsa illos velocitas implicat, Beatæ vitæ instrumentum Eucharistia est, & tamen, qui hanc pro beata vita habent, non errant. Festinemus ad hanc vitam, sicut festinavit Elias, nec nobis eueniet, quod euenit in labyrintho properantibus, ut ipsa velocitas implicet.

Salus.

VI. TOtum quod est amabile collegit, & congessit Deus in dilecta sua Eucharistia. Chara vita est, & chara salus, & utraque reperitur in hoc Sacramento. Dictum est iam de vita, quam salus consequitur, teste enim Chrysost. hom. 24. in 1. ad Cor. c. 5. *Ipsa mensa animæ nostræ salus est.* Consonat. Gregor. hom. de Paschat. *Dedit,* inquit, *nobis hoc Sacramentum salutis, ut quia nos quotidiè peccamus, & ille iam mori non potest, per istud Sacramentum remissionem peccatorum consequamur.* Accedit & Concil. Trid. ss. 13. c. 8. ubi desiderat panem altaris ita sumi à fidelibus, ut verè eis sit *animæ vita, & perpetua sanitas mentis.* Consequenter Sacerdos ait in oblatione: *Suscipe Sancte Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo, viuo, & vero, pro innumerabilibus peccatis & offensionibus & negligentijs meis, & pro omnibus circumstantibus, sed & pro omnibus fidelibus Christianis vivis, atque defunctis, ut mihi & illis proficiat ad salutem.* Rursus in Calicis oblatione dicit. *Offerimus tibi Domine, Calicem Salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinæ Majestatis tuæ pro nostra, & totius mundi salute, cum odore suavitatis ascendat, Amen.*

Nomen perfectæ salutis Perfecta salus in Eucharistia est, ut enim in Ps. 50. dicit August. *Salus perfecta in isto corpore cùm fuerit, corruptio non erit, ipsa enim est perfecta sanitas, corporis incorruptio. Nam quomodo sanum est, quod labitur, quod indiget, quod habet perfectam quandam ægritudinem famis & sitis?* Cùm perfecta sanitas incorruptio sit, hanc eandem Eucharistia secum affert, Crede Cyrillo lib. 3. in Ioann. c. 34. *Vt panis hic terrestris facit imbecillitatem carnis nostræ sustinens, & conservans, ita etiam & Eucharistia per Spiritum Sanctum spiritum nostrum vivificat, & corpus ipsum à corruptione liberat.* Eucharistia est, quæ labentem naturam nostram stare facit, tollit indigentiam, & perfectam ęgritudinem famis, & sitis aufert. Stat natura nostra per Eucharistiam. *Ecce ego vobiscum*
Matt. 28. 20. *sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi,* cùm esse desinet Eucharistia, desinet natura nostra. Tollit indigentiam. *Salus autem iustorum à Domino,* legit Origen. *apud Dominum* hom. 5. in Ps. 36. & dicit. *Nusquam potest esse tutior salus hominis, quam apud Dominum. Ille mihi locus, ille mihi domus, ille mihi mansio, ille mihi requies.* Nec dubium quin loco rerum omnium sit, &
Ps. 22. 1. tollat omnem indigentiam Christus in Eucharistia, cum canat David: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit. In loco pascuæ ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me.* Aufert quoque perfectam ægritudinem famis &
Ps. 80. 11. sitis, unde famelico ac sitibundo dicit Deus, *Dilata os tuum, & implebo illud:* consonat

consonat & illud Davidicum. *Edent pauperes, & saturabuntur:* & illud Virginum, *Esurientes implevit bonis.* Satisfactum sibi putabat David, si famis ac sitis suæ ægritudini provisum esset, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me*, nec mirum, quoniam nihil deest oui, cum pastum, & potum habeat. *Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius*, & cum nobis dicat cælestis Pastor, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, habemus sufficiens remedium pro medicamine & indigentiæ, & ęgritudinis nostræ. Quia vero famis,ac sitis morbus quotidianus est,quotidianum est Eucharistiæ medicamentum. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Huc pertinet id, quod præmittit sacerdos antequam percipiat Eucharistiam: *Perceptio corporis tui Domine Iesu Christe, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in iudicium & condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis & corporis, & ad medelam percipiendam.* Ad medelam percipiendam sumit Eucharistiam,ut nimirum menti,ac corpori salutem conferat.

Ps.21.27. Luc.1.53. Ps.22.1. Ps.22.1. Ioan.6.56 Matt.6.11

Totus homo valet,cùm corpore & anima sanus est. Imperfecta sunt opera hominum, ac proinde, nullus est medicus, qui corpus,& animam curare ac sanare noverit. Hæc ars Christi solius est, qui cunctos ægros, quos liberavit à morbo,tam corporea,quam spirituali salute donavit. Tribuit per Eucharistiam suam corpoream sanitatem,cùm dixerit paulo ante Cyrill. *Corpus ipsum à corruptione liberat.* Facit nobiscū David Ps. 40. *Beatus, qui intelligit super egenum,& pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conservet eum,& vivificet eum,& beatum faciat eum in terra,& nō tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: universum statum eius versasti in infirmitate eius.* Consulendus est Ambros. in hunc Psalm. cuius hæc expositio est. *Beatus quidem,qui compatitur pauperi,qui haurit eius necessitates. Sed quid sibi vult hoc exordium in passione Domini? Beatus qui intelligit super Christi inopiam,& paupertatem, qui propter nos pauper factus est,cum dives esset. Sed fortè dicas quomodo dives in paupertate Christus? quæ ergò est ista paupertas,quæ divites facit? Consideremus eam,intendamus in ipsum venerabile Sacramentum. Quid purius potest esse eo,atq; simplicius? Sed exiet, inquit, aqua cum dilectatione ex fontibus Salvatoris: & paratur in conspectu tuo mensa cælestis. & poculum inebrians,quam præclarum.* Qui attentus est Eucharistiæ, intelligit super egenum,& pauperem Christum,qui & suum devotum, cū malè habeat,ab infirmitate liberabit, conservabit eius vitam, & impertiet felicitatem,& interim dum in lecto est, stratum eius emolliet. Non sine causa cùm Reges,ac Principes malè habent,exponitur in Sacramento suo Christus. *Qui dat salutem regibus*,ut & eorum corpoream salutem hinc pēdere intelligatur,& pariter omnibus constet in Principibus, & in filijs hominum nullam esse salutem. *Nolite confidere in principibus: in filiis hominum, quibus non est salus:* Christus filius hominis est, quomodo ergo in omnibus filijs hominum salus non est? Respondet in citatum loc. Aug. *In uno filio hominis salus, non quia filius hominis, sed quia Dei filius, non propter id, quod suscepit de te, sed propter id, quod servavit in se.* Filius Dei & hominis auctor est salutis nostræ, eius potissimum, quæ ad animam pertinet.

Medicina corporis et animæ. Ps.143.10 Ps.145.3.

Laudandus David est, qui salutis animæ cupidus, consequenter ad ea, quæ iam retulimus ex Ps. 40. statim addit: *Ego dixi: Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.* Dixerat prius: *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eū Dominus*, & liberationē illam

Desideriū salutis.

&re-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& recreationem à morbo quasi non curās, licet tantus rex esset, dicit pauperi sub Sacramento Christo, *Sana animam meam quia peccaui tibi.* Prænouerat in remissionem peccatorum conficiendam esse Eucharistiam, & eius virtute culparum suarum condonationem fieri præoptabat. Habet suas febres anima, cum lib. 4. in Luc. c. 4. dicat Amb. *Febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est*, & omnes has febres una curat, & sanat Eucharistia: Tollit auaritiam, *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci*, ubi communio est, beneficentia est, & exulat avaritia, quemadmodum visum est in primęua Ecclesia, quę sacra communione refecta, tēporalia bona voluit esse communia. Tollit libidinem, ut testatur Cyrill. li. 4. in Ioan, c. 17. *Sedat*, inquit, *Christus, cum in nobis manet sævientem membrorum nostrorum legem.* Luxuriam extinguit. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Ambitionem procul adesse facit, & idcirco præmittit ante consecrationem vocem illam sacerdos, *Sursum corda*, & minister respondet, *Habemus ad Dominum*: unde & Iacobus Apostolus ante eandem cōsecrationem in sua Missa iussit illud intimari. *Taceant omnes mortales, & stent cum metu ac tremore, nihil terrenum cogitent.* Propulsat ex corde iracundiam, quapropter Bernard. Serm. 1. in cæna Domini. *Si quis vestrum*, inquit, *non tam sæpe modo tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniam virtus Domini operatur in eo.*

Hebr. 13. 16.

Zach. 9. 13.

Totus igitur homo valet per Eucharistiam, nec optandā major salus, quam ea quam impendit hoc Sacramentum. Crede Ambros. in Ps. 39. *Quæ igitur maior salus, quam esse cum Christo, & ei unitate quadam corporis adhærere, in quo nec macula sit ulla, nec fortitudo peccati*: pro fortitudine, deformitatem, aut formidinem peccati codices alij habent. Morbus quidem peccati fortis est, deformis est & formidolosus, sed in conspectu Eucharistię remittit morbus, deformitas disparet & cessat formido peccati. Cùm quis recreatur ex morbo, & perfectam valetudinem acquirit, alius à seipso est: & constat virtute venerandæ Eucharistiæ hominem à seipso differre, quemadmodum Serm. de Euch. Iustinian. dicit: *Huius sumptione efficitur homo alius, non per naturam, sed per gratiam, mutatusq́. totus in melius compescit linguā, amat silentium, orationi vacat, fraternitatis custodit unitatem, cordis sectatur munditiē: istiusmodo spirituales profectus Christi operatur præsentia, non tamen uniformiter, sed iuxta dispositionem uniuscuiusq́. sumentis, ipsiusq́. miserentis Christi, & hoc dixerim iustis, & sanctis, qui à mortali contagione immunes sunt.*

Excitatio spei. Ps. 3. 2.

Hęc cum ita sint, si quando contingat, ut de salute tua desperare hostes cogant, munitus Eucharistia clama, *Quid multiplicati sunt, qui tribulant me multi insurgunt adversum me? Multi dicunt animæ meæ, Non est salus ipsi in Deo ejus. Tu autem susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Nihil refert quod illi jactent, *Non est salus ipsi in Deo ejus*, hoc solum opto, & postulo, *Dic animæ meæ, salus tua ego sum*. ut & anima mea dicere queat, *Salus tua Deus suscepit me*: totusque valens ego, ac validus dicam: *Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?*

Ps. 26. 1.

Io. 13. 1.

Satis benè, cum instituta est Eucharistia, scripsit Euangelista, *cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Finis autem amoris salus est, incolumitas est. Habemus faventem August. lib. 50. Homil. 8. *Attendite ipsam amicitiam vulgari modo. Amat maritus uxorem, & uxor maritum. Sine dubio & ille illam, & illa illum saluum vult. Vult illum habere incolumem, vult illum habere felicem. Amat filios, quis non vult filios suos habere salvos? Amat amicum,* quis non

quis non nisi incolumem habere vult? adeò ut si fortè contingat illi aliquid, contremiscit, conturbatur, contristatur, currit, accedit, cum accesserit, plangit: Quid ergò vult? salvum habere: Christus igitur cum uxorem, filios, & amicos in finem dilexisset, sanos, & salvos esse voluit, & iuxta votum suum charis, & dilectis per sacrosanctum Eucharistiam, salutem impertivit. Mos est, in hisce præsertim regionibus septentrionalibus, ut sacra ciboria coronentur, non solum in ornamentum, sed etiam in monumentum collatæ salutis, non mortalis, sed immortalis. Quanti hæc haberi possit & debeat, ex his, quæ de temporali dixit Seneca lib. 1. de Clem. in fine colligi facile potest. *Felicitas illa, multis salutem dare, & ad vitam à morte revocare, & mereri clementia, civicam. Nullum ornamentum principis fastigio dignius, pulchriusque est quam illa corona. Ob cives servatos: Hæc divina potentia est gregatim, ac publice servare.*

Lux.

Consonant inter se salus, & lux. *Dominus illuminatio mea, & salus mea*; dixitque Christo Pater, *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ.* Quamobrem cum Eucharistia salus sit, animarum etjam nostrarum lux est, unde citatus Chrysostom. hom. illa 24. num. 1. ad Corinth. ait *Ipsa mensa animæ nostræ salus, & lux est.* Lux est, quæ nos illuminat, dicit enim Cyprian. de cæna Domin. *Sacramentum nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat.* Tantus splendor lucis est, quem ex se iaculatur Eucharistia, ut vel ad ejus aspectum, hostes ipsius debilitentur, frangantur, confundantur, & etiam aliquando resipiscant: qua propter Conc. Trid. ss. 13. ca. 5. confirmans, & pariter commendans solennitatem Corporis Christi, & publicas supplicationes, quę eo die fiunt, approbans, ait; *Sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & heresi triumphum agere, ut eius adversarij in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati, vel fracti, tabescant, vel pudore affecti, vel confusi, aliquando resipiscant.* Tantus splendor, & fulgor lucis Eucharistiæ inest, ut vel cælestes aquilæ, nimirum Angeli, nequeant tantam vim luminis sustinere, teste Chrysost. hom. 33. in Matt. *Veniat in mentem tibi, quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris. Ea namq; re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec absq; pavore propter fulgorem, qui inde resilijt, adspicere possunt, & nos in unam cum illo massam reducimur.*

VII. Ps. 26. 1. Isai. 49. 6.

Cùm Deus creavit lucem, *vidit lucem, quod esset bona*: cùm condidit lucem Eucharistiæ, vidit etiam lucem, quod bona esset; *Quid enim bonum eius est, nisi frumentum electorum?* Eucharistia quidem bona gratia est. Cùm bona lux sit, malos oculos non admittit, sed reijcit; ad eandem quoque formam Eucharistia summa Dei bonitate prædita convivas probos quærit, reprobos à se dimittit. Venit ad lucem Eucharistiæ nequam ille, cui dictum legimus. *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem.* Luit audaciæ suæ dignas pænas, quandoquidem ligatus manibus & pedibus mitti iussus est *in tenebras exteriores*: qui enim luce indignus est, dignus est tenebris. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Probet oculos conscientiæ suæ, utrum satis puri, ac mundi sint, ut tantum

Nomen bonitatis. Gen. 1. 4. Zach. 9. 17. Matt. 22. 12. 1. Cor. 11 28.

ſplendorem, ac fulgorem divinæ Majeſtatis intueantur. Semel probati
Pſ.33.6. accedite *ad eum, & illuminamini.* Accedite libero a carne, & omni peccato animo. Non eſt omnino abſimile, quod ſcribit Senec. Epiſt. 55. *Corpus hoc animi pondus ac pœna eſt, premente illo urgetur, in vinculis eſt, niſi acceſſit Philoſophia, & illum reſpirare rerum naturæ ſpectaculo iuſſit, & à terrenis dimiſit ad divina. Hæc libertas eius eſt, hæc evagatio, ſubducit iterum ſe cuſtodiæ, in qua tenetur, & cælo reficitur. Quemadmodum artifices ex alicuius rei ſubtilioris intentione, quæ oculos fatigat, ſi malignum & precarium lumen habent, in publicum prodeunt, & oculos libera luce delectant: ſic animus in hoc triſti, & obſcuro domicilio cluſus, quoties poteſt, apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requieſcit.* Maior Euchariſtiæ Lux, ad quam non humana Philoſophia, ſed fides diuina animum noſtrum vocat.

Septenarius dierum creationis numerus à luce principium, & exordium habuit, & cùm ſeptem ſint Sacramenta, princeps omnium Euchariſtia eſt. Non ſolùm numero, ſed etiam myſterio conveniunt ſeptem dies creationis cum ſeptem Eccleſiæ Sacramentis. Dixit Deus.
Gen.1.3. *Fiat lux, & facta eſt lux. Et vidit lucem, quod eſſet bona, & diviſit lucem à tenebris.* Conſonat opus primæ hujus diei Euchariſtiæ, quia non tam ordine, quam dignitate primum Sacramentum, & cæterorum om-
Gen.1.6. nium Sacramentorum ſplendida lux eſt. *Dixit quoque Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis:* totumque quidem opus ſecundæ diei aquarum Baptiſmum innuit. *Dixit verò Deus, congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, & appareat arida.* Quid hoc ſibi
Pſ.92.1. vult? *Firmavit orbem terræ, qui non commovebitur*, igitur Confirmationem Deus iam meditabatur. Die quarto dixit Deus, *Fiant lumi-*
Gen.1.14 *naria in firmamento cæli*, qualia ſint hæc myſtica luminaria, declaravit in Euangelio Chriſtus; *Vos eſtis lux mundi*: vos, quos Ordo ſacer
Matth.5.14 evexit. *Dixit etiam Deus, Producant aquæ reptile animæ viventis, & vo-*
Gen.1.20 *latile ſuper terram ſub firmamento cæli.* Piſces pænitentes ſunt, confeſſa-
Mat.4.19 rij piſcatores: *Venite poſt me & faciam vos fieri piſcatores hominum*: &
Pſ.123.7. aues ſunt, quæ virtute pœnitentiæ in altum volant: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Sexto die maſculum & fęminam creavit Deus, & eos matrimonio junxit. Septima autem die requievit ab opere ſuo Deus, & homini iam decedenti Sacramentum extremæ unctionis dat requiem, &
Pſa.4.9. pacem. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.*

Decor Sacramentorum eſt Euchariſtia. Igitur hoc ipſum, quod lux eſt comparatione rerum omnium creatarum; Euchariſtia eſt collatione reliquorum ſex Sacramentorum. Mundi totius ornatus à luce ſumpſit exordium, & omnium Sacramentorum decor Euchariſtia eſt. Baptiſmus ipſe quamvis verus ſit apud hæreticos, & illuminatio dicatur, nihilominus, quoniam Euchariſtiæ veritatem negant, & à ſe repellunt, Baptiſma apud eos ſplendorem Catholicum non habet neque decorem. Lux res omnes exponit, & declarat, & Euchariſtia virtutes omnium Sacramentorum manifeſtat. Docet in hoc Sacramento Chriſtus, quales eſſe Chriſtiani debeant, quales Sacerdotes, quales pænitentes, quales coniuges, & quales morientes, qui ex hoc mundo in patriam diſcedunt. Adventu lucis rebus etiam color redit, & adventu Euchariſtiæ cætera Sacramenta ſuos colores ſumunt. Baptiſmus candidum, Confirmatio igneum, Ordo aureum, Pænitentia cine-

reum,

reum, Matrimonium rosaceum, unctio pallidum resumunt.

Convenit nostro instituto, quod dicit Ambros. lib. 2. Exam. c. 9. *Qui adificium aliquod dignum habitaculo patrisfamilias struere desiderat, antequam fundamenta ponat, unde lucem ei infundat, explorat: & ea prima est gratia: qua si desit, tota domus deformi horret incultu.* Ecclesiæ domus, Dei est, *Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Hanc ædificandam sibi proposuit Christus, & in passione sua fundavit: tunc temporis velum templi scissum est, ut Ecclesiæ domus, quæ velata sub illo templo erat, declararetur. Antequam vero faceret fundamenta Ecclesiæ, unde ei lucem infunderet, exploravit: & ea prima est gratia, nimirum Eucharistia, quæ quidem si deesset, tota illa domus deformi horreret incultu. Satis hoc liquet in prophanis hæreticorum Ecclesijs, in quibus, deficiente Eucharistia, nulla species est, nullus decor, nullus ordo, sed magnus horror inhabitat. *Lumen ecclesiæ.* *Ps. 92. 5.*

Satis benè dicit citatus Ambros. *Diem sol clarificat, lux facit. Frequenter cælum nubibus texitur, ut sol tegatur, ne ullus radius eius appareat: lux tamen diem demonstrat, & tenebras abscondit.* Christus sol justitiæ est. Eucharistia verò lux, Christus clarificat diem, lux facit, nimirum salutis diem. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Christus in cælum ascendit, & sol obductus est nubibus, *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum,* nihilominus tamen Eucharistica lux diem salutis demonstrat, & tenebras abscondit. dies salutis humanę ne deficiat, permanet semper in mundo lux Eucharistiæ: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi,* cùm lux illa cessaverit, de die salutis actum omnino puta. *2. Cor. 6.* *Act. 1. 9.* *Matt. 28. 20.*

Lux hæc corporeis oculis non cernitur, sed vîsu fidei, *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.* Liceat igitur de luce Eucharistiæ dicere, quod de divino lumine. lib. Soliloq. cap. 3. profert August. *O lux quam videbat Tobias, quando oculis clausis docebat filium vitæ viam:* Clausis etiam oculis hæc etiam lux cernitur, & videtur. *O lux quam videbat interius, quando caligantibus oculis exterius filio futura narrabat:* caligat quoque hic visus exterior, interior verò mirum in modum illustratur. *O lux, quam Iacob videbat, quando tu intus docebas, filijs exterius futura prædicebat:* docet etiam per Eucharistiam Ecclesiam suam Deus, ut prædicat filijs suis id quod in cælo futurum est. *Illuminare ergo lux mea, illuminatio, mea. Illuminare, inquam, huic cæco tuo, qui in tenebris, & in umbra mortis sedet, & dirige pedes eius in viam pacis, per quam ingrediatur in via tabernaculi admirabilis usque ad montem Dei.* *Non cadit Eucharistia sub visum.*

Lux hæc, sub visum corporeum non cadit, nec cadit sub intellectum humanum, qui tantum fulgorem non capit, liceat ergo cum eodem Augustino lib. Meditat. cap. 2. sic affari: *Sicut infirmus oculis ad lucem solis, ita intellectus meus ad lucem tuam: nimis enim fulget. Non capit illam, nec suffert oculus animæ diu tendere in illam, reverberatur fulgore, vincitur amplitudine, confunditur capacitate. O summa & inaccessibilis lux, o tota & beata veritas, quam longè es à me, qui tamen prope sum. Quam remota es a conspectu meo, qui sic præsens sum in conspectu tuo. Ad te non possum accedere: inter me, & circa me es, te non sentio.* *Non cadit sub intellectum humanum.*

Signum.

VIII. AUgust. lib. 2. de doctrin. Christian. c. 1. signi naturam definit, & exponit exemplis. *Signum est res præter speciem, quã ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire: sicut vestigio viso transisse animal, cuius vestigium est, cogitamus: & fumo viso, ignem subesse cognoscimus: & voce animantis audita affectionem animi eius advertimus: & tuba sonante milites vel progredi vel regredi, & si quid postulat pugna, oportere noverunt.* Omne Sacramentum signum est sensibile gratiæ invisibilis, cumque Eucharistia nobilitate excedat reliqua Sacramenta, necesse est, ut præ cæteris omnibus signum esse dicatur. Prȩter species quidem panis & vini, quas sensibus ingerit, in carnem & sanguinem Christi nostram cogitationem deducit. Quæ simul duo magnæ significationis opera sunt, nec enim solùm verba, sed etiam opera ipsa significantia sunt signa. *Nam & odore vnguenti*, dicit postea Aug. *Dominus, quo profusi sunt pedes eius, signum aliquod dedit & sacramento corporis & sanguinis sui prægustato significavit, quod voluit. Et cùm mulier tangẽdo fimbriam vestimenti eius salva facta est, nõnihil significat.*

Vestigiũ Saluatoris Signum est vestigium hominis, & Eucharistia vestigium est salvatoris. Cùm Christus passus est, intravit mare. *Omnes fluctus tuos induxisti super me*: ebibit amaras aquas, *Intraverunt aquæ usque ad animam meam*: & aquis maris sepultus est. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Hinc fit, ut quis ille esset, in passione non appareret. *Semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur,* Vestigia quippe eorum, qui super aquas gradiuntur, in aquis non manent impressa. Priusquam Christus mare passionis suæ ingrederetur, dum adhuc esset in littore, vestigium sui relinquere volens, reliquit nobis Sacramentum Eucharistiæ, ut ex eo signo nosceremus, quonam ipse tenderet. Qui vestigium istud consideret, facilè deprehendet versus crucem, & passionem ire, quandoquidem Eucharistia & crucem signat, & passionem significat. Cùm vero sacrosanctũ mysterium Incarnationis in eo consistat, ut nostra humanitate sit calceata divinitas, ac proinde Ioannes dixerit, *Non sum dignus ut solvam corrigiam eius calceamenti*, efficitur, ut Eucharistia & ipsius Incarnationis, & cæterorum mysteriorum Christi vestigium existat. Nec dubium, quin omnes gressus Servatoris ex Eucharistia, veluti ex certo quodam vestigio, dignoscantur. Novimus hinc œconomiam verbi Incarnati. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Novimus gressus passionis, Ascensionis, & Resurrectionis eius, quandoquidem in memoriam sacrarum istarum viarum, Eucharistiã offerimus, & recolimus Christi itinera, ut vestigia eius sequamur.

Ps. 67. 8. Ps. 68. 2. Ps. 68. 3. Ps. 76. 20. Ioa. 1. 27. Ioann. 6. 58.

Fumus sacr. Signum ignis fumus est, cumque Ephræm lib. de Natura Dei cap. 5. asserat, *Ignem, & spiritum manducandum & bibendum præstitit nobis, corpus scilicet & sanguinem suum*, necesse est, ut ex isto divino igne fumus procedat, quo tota domus Dei repleatur, & simul impleatur mysterium, quod c. 6. prævidit Isa. *In anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominũ sedentem super solium excelsum & eleuatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphin stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*

plena

plena est omnis terra gloria eius. Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo. Veterum certè sacrificiorum, & holocaustorum fumus inanis erat, & templum non implebat, sed divinus huius sacrificij vapor non solum implet, sed replet totam Ecclesiam. Seraphicis alis Deus tunc velabatur, qui nunc etiam in mysterijs obtegitur: & cui tũc Seraphini applaudebant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*: in eandem quoque formam sacerdos applaudit. Cùm vero clamarent alter ad alterum, & non dicatur à voce clamantium, *sed à voce clamantis* superliminaria cardinũ esse commota, satis innuitur non cælestium spirituũ sermone, quam verbo sacerdotis consecrantis ac dicentis, *Hoc est enim corpus meum.* Demissa vox consecrantis Sacerdotis est, & tamen alta est, elevata est, cælum ascendit, & ascendit ad thronum Dei, quem in terras nostras dimittit: quid ergo mirum, ut virtute tanti clamoris tanta quanta Ecclesia est, moveatur?

Signum affectionum animæ vox est, & Christus ardentissimi affectus sui significationem dedit, cùm Eucharistiam instituit. *Hostia vociferationis* est Eucharistia, in qua melius, & potentius sanguis Christi clamat, quàm olim cruor innocentis Abelis e terra clamabat. Huc pertinet quod dicit Paul. c. 12. ad Heb. *Accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Ierusalem cælestem, & multorum Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.* Hostia vociferationis erat, quam martyr Abel immolavit olim Deo, clamabat, & vociferabatur, ut signum daret eius affectionis, quam erga vindictam fratris habebat. Hostia vociferationis immolatio Christi est, siue cruentam, siue incruentam consideres, & tam in cruce, quam in altari non clamat pro vindicta, sed provenia: in cruce dicit, *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*, & in altari consequenter ait: *Hic est Calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remißionem peccatorum*, ac proinde melius pretiosus eius cruor loquitur, quam Abel sanguis, iste enim vindictam signat, ille verò veniam, & amorem significat.

Significatio affectus Christi. Ps. 26. 6. Luc. 23. 34.

Signum nomen est militare, tuba enim sonante, milites vel progredi, vel regredi, & si quid postulat pugna, oportere noverunt. Militares omnes sumus, & ad militiam Christianam vocavit nos Christus, cui & nomen dedimus in Baptismo. In hac militia quot sunt Sacramenta, tot sunt bellica, tot sunt militaria signa. Baptismus excitat nos ad pugnandum cum antiquo serpente. Confirmatio vocat nos ad ineundum cum tyrannis, & hostibus fidei certamen. Pænitentia bellum inducit peccatis. Ordo monet nos, quo pacto templi debeamus tractare militiam. Matrimonium contra ignes & flammas concupiscẽtiæ institutum novimus, Extrema unctio dat animos, ut contra ipsam mortem præliemur. Eucharistia veró promulgat bellum falsitati & mendacio, ac proinde dicit Christus. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Accedit & Conc. Trid. ss. 13. c. 5. ubi statuit Eucharistiam *de mendacio triumphum agere.*

Militaris tuba. Ioann. 6. 56.

Quod si certatores bellico signo moniti progrediuntur, regrediuntur & pugnant, docet hæc tria Eucharistia. Postquam in ultima cæna communicarunt Apostoli, statim sunt iussi progredi, & cum Christo progressi sunt, ut militari Eucharistiæ signo pariter obedirent. Quia verò futurum erat, ut ad pergendum, & progrediendum excitaret Eucharistia, decretum est, ut Hebræi viatores, & in manibus baculos tenentes agnum mysticum

comederent. Hac etiam de causa postquam Elias jacens sub umbra juniperi pransus & potus est, perrexit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Oreb. Non solum progressum, sed & regressum docet Eucharistia, quandoquidem dicit Christus: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare & vade prius reconciliari fratri tuo.* Nec dubium quin Eucharistia receptui canat, cùm sit nemo, qui post acceptam Communionem ad agẽdas Deo gratias intra se, non se recipiat, unde & Sacerdos ex Ecclesiæ pręcepto, sumptis ambabus partibus hostiæ, iungit manus, & quiescit aliquantulum. Canit etiam receptui Eucharistia, ut, relictis rebus terrenis, quis vitam religiosam professurus abscedat in monasterium: *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. Regem videbunt in decore suo oculi eius, cernent terram de longê.* Vocat ad solitudinem, vocat ad desertum, vocat ad clausuram religiosam Eucharistia, quoniam & ipsa solitudo, desertum, & clausura ipsius Dei est, Hæc eadem excitat milites suos ad pugnam. Miles Chrysostomus erat, qui commilitonibus suis hom. 61. dicit: *Tanquam leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles.* Huc spectat, quod accidit Gedeoni Iud. c. 7. Cùm venisset Gedeon de nocte ad castra Madianitica, colloquebatur miles cum socio, atque dicebat. *Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcineritius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere, cumq; pervenisset ad tabernaculum, percussit illud atq; subvertit, & terra funditus coæquavit. Respondit is, cui loquebatur; Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis, filij Ioas, viri Israelitæ: tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia castra eius. Cumq; audiisset Gedeon somnium, & interpretationem eius, adoravit: & reversus est ad castra Israel, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian.* Typus Eucharistiæ panis ille erat, per quem excitatus est Gedeon ad prælium, ex quo victor gloriosus euasit.

Mat. 5. 23.

Isai. 33. 14

Monumẽtum perpetuum. Signum Eucharisticum gloriosum esse c. 45. vaticinatus est Isaias: *Pro saliuncula ascendet abies, & pro urtica crescet myrtus, & erit Dominus nominatus in signum æternum.* Signum perpetuum est venerabile Sacramentum, in quo Dominus ipse continetur. Chald. vertit. *Pro impiis consurgent iusti, & pro peccatoribus consurgent timentes peccatum, & erit coram Domino in nomen, in signum sempiternum, quod non cessabit.* Cessare nequaquam potest, cum dixerit ipse Christus. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi.* Cętera signa terrena facilè intereunt, quapropter Eucharistia potius cum superioribus signis, quam cum istis inferioribus convenit. *Dixit autem Deus. Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.* Cælestia ista signa perpetua sunt, & Eucharistia signum æternum est.

Matt. 28. 20.

Sol Eucharisticus. In hoc cęlesti signo Deum esse prædicat Isaias, quemadmodum & sol in signis sublimioribus est. Christus verus est sol, *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitia*, cui cælestis assimilatus est, iste per discursum anni modò est uno signo, modò in alio, modò in Geminis, modò in Virgine, jam in Libra, jam in Leone: iste semper in suo signo, quod æquivalet omnibus cęteris. Semper est in Geminis. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne est, ac proinde manet Christus in utroque. Semper est in Virgine, quia semper est immaculata hostia, & semper Christus, cùm accipitur, suam integritatem, ac per conse-

Melach. 42.

Ioan. 6. 8

consequens suam Virginitatem seruat: *Assumente non concisus, non confractus, non divisus: integer accipitur.* Semper in Libra est, cùm sit sacrificium iustitię. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ : statera facta corporis* crux fuerit, & eius in Eucharistia mysterium recolatur. Libra justitiæ deesse nequaquam potest. Semper est in Leone, caueat sibi indignus communicator. *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ps. 50. 21. 1. Cor. 11 29.

Magnum hoc signum Regis est, ac proinde omnes clamemus, sicut olim Magi clamarunt, cum stellam in Oriente spectarunt, & in festo Epiphaniæ sancta Ecclesia commemorat, *Magi videntes stellam dixerunt ad invicem: Hoc signum magni Regis est: Eamus & inquiramus eum, & offeramus ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Benè Cassiodor lib. 12. Variar. epist. 1. *Necesse est, ut res magna, competentia semper præmittat indicia. Venturum diem Lucifer demonstrat exortus: serena secutura fervens ventus ostendit: imminentia bona quadam animi præsagione dignoscimus: & difficilè magna res geritur, quæ signorum præcursione minimè declaratur.* Rectè igitur inferunt Magi. *Hoc signum magni Regis est.* Regibus illis tribus similes omnes sumus, *Vos autem genus electum, regale sacerdotium:* videntes igitur fulgentem, ac radiantem stellam venerabilis Sacramenti mutuò nos ipsos excitemus, & una sit vox cunctorum. *Hoc signum magni Regis est.* Principes alij varia, atque diversa regni ac principatus sui stemmata desumpserunt, modò Aquilas, modò Dracones, modò Pilas acceperunt, Christus accepit suum Sacramentum, quod est signum magni Regis. *Eamus, & inquiramus eum: Eamus* ad illum, qui de cælo ad nos quotidie venit: *Inquiramus* eum, qui nihil aliud in mundo, quam nos quærit: Pastor bonus, qui quæsivit errantem ouem in deserto, nihil aliud præter ouem voluit, nec vult: quando nos carne & suo sanguine reficit. Quapropter solēne erat olim in sacris vasis hunc cælestem Pastorem cum sua inventa oue frequenter insculpi. *Offeramus ei munera aurum, thus, & myrrham:* colamus eum tamquam Regem, & tunc aurum litabimus, veneremur divinitatem ipsius, & incensum consecrabimus: recolamus ipsius crucem, & passionem, & myrrham dedicabimus. Reges Orientis videntes stellam *gauisi sunt gaudio, magno valdè,* Maiorem nobis præbet causam lætitiæ divinum hoc signum, ad eius aspectum gaudeamus. *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus.* Reges Orientales non alibi, quam in Bethleem, domo scilicet panis, mysticas suas oblationes reddiderunt, reddamus & nos in sancta Ecclesia, quę sola domus est cælestis panis. Postquam ibi fuerunt reges illi priores, *per aliam viam reuersi sunt ad regionem suam:* revertamur & nos, quandoquidē teste Iustian. serm. de Euchar. huius Sacramenti sumptione *efficitur homo alius non per naturam, sed per gratiam, mutatus totus in melius.* Regale insigne. Matt. 2. 10 Matth. 2. 12.

Societas.

VII. DEus noster amator est societatis, sine qua nec ipsa eius divinitas est, cum sit in ea trinitas divinarum personarum. Cùm fabricavit hunc mundum; nullam creaturam solam, sed associatam semper illam condidit. Non unam condidit arborem, sed multas, multas plantas, multa animalia, multos pisces, & cū hominem creasset, & solus esset, dixit Deus, *Non est bonum homini esse solum,* & dedit illi comitem Euam. Creavit & luminaria Gen. 2. 18

minaria cælestia, quæ cuncta perpetuo vinculo, ac nexu Societatis copulavit. Quod si primo die lucem produxit, & vidit lucem, quod esset bona, non erat sola, quandoquidem se cæteris creaturis sociam dabat. & illustrabat per sui communicationem cælum, terram, & reliqua elementa. Lux ne sola sit, latere sub modio non fert. *Nec accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Cùm sit Deus tantus Societatis amator, sanxit ut hanc eandem coleremus in Eucharistia, quoniam & ipsa Societas est, cum Tract. num. 26. in Ioan. dicat Augustin. *Hunc itaq; cibum, & potum Societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum, quod est Sancta Ecclesia in prædestinatis, & vocatis, & iustificatis, & glorificatis sanctis, & fidelibus eius.* Concil. quoque Trid. ss. 13. c. 2. promulgat Eucharistiam esse *symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuiq; nos tamquam membra arctissima fidei, spei, & charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus. Nec essent in nobis schismata.*

Matt. 5. 15

Societas gratiæ.

Eucharistia per gratiam associat cum Deo hominem. Homo per naturam efficitur Dei socius, quando bonis moribus excolitur animus. Ad hāc Societatem invitans Seneca Epist. 31. scribit. *Quomodo, in quis, istò pervenitur? Non per Pescinum, Graiumve montē, nec per deserta Candaviæ, nec Syrtis tibi nec Scylla, aut Charibdis adeundæ sunt: quæ tamen omnia transisti pretio. Tutum iter est, iucundum est, ad quod natura te instruxit: Dedit tibi illa, quæ si non deserueris, par Deo surges. Parem autem Deo pecunia non faciet, Deus nihil habet. Prætexta non faciet, Deus nudus est. Fama non faciet, nec ostentatio tui, & in populos nominis dimissa notitia: nemo novit Deum; multi de illo malè existimant, & impunè. Non turba servorum lecticam tuam per itinera urbana, ac peregrina portantiū: Deus ille maximus, potentissimusq; ipse vehit omnia. Nec forma quidem & vires beatum te facere possunt, nihil horum non patitur vetustatem. Quærendum ergo quod non fiat in dies deterius, cui non possit obstari. Quid hoc est? Animus. Sed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud vocas hunc, quam Deum in humano corpore hospitantem?* Pulchra hæc Societas est, sed pulchrior est illa, quæ per gratiam fit, quoties sumitur Eucharistia, cùm hæc accepta nihil aliud sit, quam Dei ipsius apud nos hospitium, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Quomodo, inquis, istò pervenitur? Non est opus ascendere sublimia cælorum fastigia, nec merita cælestium Angelorum habere, nec deserta heremitica colere, nec scyllas, & charibdes martyriorum pertransire. Tutum iter est, iucundum est, ad quod te instruit, & informat gratia, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Dedit quidem tibi illa, quæ si non deserueris, par Deo surges, paritate nimirum illa, quam Christus assignat. *Sicut misit me vivens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Parem autem Deo pecunia non facit, Deus enim in Eucharistia nihil habet. Pretiosa vestis nō facit, Deus enim hìc nudus est. Fama non facit, nec ostentatio tui, cùm Deus hìc totus existat humilis. Non turba terrestrium servorum, cum ita sit solus, ut secum esse substantiam panis minimè patiatur. Nec forma, nec vires beatorū te socium facere queunt, cùm hæc omnia vetustatē patiantur. Quærendum ergò, quod non fiat indies deterius, cui non possit obstari. Quid hoc est? Ita certè rogarunt quondam Hebræi, cùm Deus illis pluebat manna. *Quid hoc*, quæsito respondet Christus. *Hoc est Corpus meum, &, Hic est Calix sanguinis mei.* Hæc quidem Eucharistia est, cuius sumptione fit tibi Deus ipse socius simul & hospes.

Ioan. 6. 57

1. Cor. 11. 28.

Ioan. 6. 58.

Eucharistia Christo veluti capiti annectit mystica membra. *Dando, & accipiendo*

accipiendo inter se hominum Societas nectitur. li. 1. de diverſ. qq, ad Simplician. q. 2. dicit Auguſtin. Dedit nobis Deus divinitatem ſuam, accepit à nobis humanitatem noſtram, & ſocij facti ſumus: Societas hæc capitis cum mẽbris eſt. *Chriſtus eſt caput corporis Eccleſiæ*, & nos ſumus *membra de membro.* Eph. 5. 23
Dicit caput membris ſuis. *Ecce ego vobiſcum ſum* comes, & ſocius *uſque ad* 1. Cor. 12
conſummationem ſæculi. Chriſtus nobiſcum eſt per Euchariſtiam, & ita ſe 27.
nobis annectit, ut perpetuam nobiſcum ſtabiliat ſocietatem. Cùm ſic annectat ſecum Eccleſiam Chriſtus, & tale habeat Eccleſia caput, perſeverante Euchariſtia, capitis diminutionem nequit pati. Quæ ſit capitis diminutio, & quotuplex illa ſit, lib. 1. Inſtitut. tit. 16. Iuſtinian. explanat. *Eſt autem capitis diminutio, ſtatus mutatio, eaq́; tribus modis accidit. Nam aut maxima eſt capitis diminutio, aut minor (quam quidam mediam vocant) aut minima.* Non mutat ſtatum Eccleſia, quæ ſtat ſemper in Domino, cujus vox illa eſt, *Ego* Malach.
Dominus, & non mutor. Tunc temporis maxima capitis diminutio eſt, ut de- 3. 6.
finit Iuſtinian. *cùm aliquis ſimul & civitatem & libertatem amittit, quod accidit in ijs, qui ſervi pœnæ efficiuntur, atrocitate ſententiæ: vel libertis, vel ingratis erga patronos condemnatis: vel ijs, qui ſe ad pretium participandum venundari paſſi ſunt.* Eccleſia hæreticorum excommunicatur, ingrata cenſetur, & venundata ſub peccato, ac proinde maximam capitis diminutionem patitur, amittit civitatem, & libertatem, quam habet Congregatio fidelium, dum Euchariſtiam apud ſe habet, cujus virtute iura cæleſtis libertatis, ac civitatis inviolata ſemper manent. Hûc pertinet illa poſtulatio: *Tu qui cuncta ſcis, & vales: qui nos paſcis hîc mortales, tuos ibi commenſales, cohæredes, & Sodales fac ſanctorum civium.* Minor ſive media capitis diminutio eſt, *cum civitas quidem amittitur, libertas vero retinetur, quod accidit ei, cui aqua, & igni interdictum fuerit: vel ei qui in inſulam deportatus eſt.* Communitas peccatorum Catholicorum, patitur prædictam capitis diminutionem, qui jus civitatis, Ieruſalem cæleſtis amiſerunt, ac proinde aqua gratiæ, & igne Spiritus Sancti ipſis interdictum eſt: quique exules a cæleſti patria, in terram hanc quaſi in inſulam deportati degunt: Eccleſia verò ſanctorum & aqua gratiæ, & igne divini amoris potitur in hoc Sacramento, rituque cæleſti vivit, unde præfatæ capitis diminutioni non ſubjacet. Minima capitis diminutio eſt, *cum civitas retinetur & libertas, ſed ſtatus hominis commutatur, quod accidit in his, qui cum ſui iuris fuerint, cœperunt alieno iuri ſubjecti eſſe, vel contra, velut ſi filius familias à patre emancipatus fuerit, eſt capite diminutus.* Hæc minima diminutio capitis his convenit, qui cum ſui juris eſſent, & ſibi imperare noverunt, levibus poſtea ſuis affectibus ſerviunt: populus vero perfectus, qui affectionibus ſuis dominatur, capite diminutus non eſt, ſed ſimilis capiti ſuo, & coniunctus cum Chriſto, qui ſub Euchariſtia, nec ſtatum, nec ſtaturam mutat; *Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura: qua nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur.*

Firma hæc Societas eſt, nec poteſt dirimi, vel in his caſibus, quos idem Societas
Iuſtinian. lib. 3. Inſtitut. deſignat, *Solvitur ſocietas morte ſocij, quia qui ſocieta-* perpetua.
tem contrahit, certam perſonam ſibi eligit. Sed & ſi conſenſu plurium ſocietas contracta ſit, morte unius ſocij ſolvitur, & ſi plures ſuperſint: niſi in coeunda ſocietate aliter convenerit. Item ſi alicuius rei contracta ſocietas ſit, & finis negotio impoſitus eſt. Publicatione quoq́; diſtrahi ſocietatem manifeſtum eſt: ſcilicet ſi univerſa bona ſocij publicentur. Item ſi quis ex ſocijs mole debiti prægravatus, bonis ſuis ceſſerit, & ideo propter publica aut privata debita ſubſtantia eius veneat: ſolvitur ſocietas, ſed hoc caſu, ſi adhuc conſentiant in ſocietatem, nova videtur incipere ſocietas. Im-

tas. Imprimis morte Christi non est soluta Societas cum Ecclesia, quandoquidem cum illa mansit in Eucharistia: Societas Christi nobiscum consensu plurium, divinarum personarum, Angelorum, & hominum celebrata est, & adhuc uno socio mortuo, qui est Christus, stetit societas in hoc Sacramento. Contracta fuit societas rei, cum iam contracti erant dies vitæ Servatoris. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiam illum*: & finis impositus est negotio redemptionis nostræ, cum obijt in cruce; *Consummatum est*: nihilominus tamen sacramentalis adhuc societas perseveravit. Propter nos homines voluit Christus haberi reus Majestatis divinę, ac proinde omnia bona eius publicata sunt in passione, omnia scilicet usque ad vestes ipsas, quas inter se milites diviserunt: & tamen societas soluta non est, quia non est soluta Eucharistia. Mole debitorum gravatus est Christus. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue gravatæ sunt super me.* Suscepit in se debita peccatorum, & ut satisfaceret pro nobis cessit omnibus bonis, & seipsum vendi passus est: & ne societas nobiscum cessaret, eadem bona, quibus cessit, & suam eandem personam in mysterijs altaris, conservavit. Quæ cum ita sint, ritê ac rectê dicere Christus potest omnibus suis socijs. *Ecce ego vobiscum sum*, perpetuus, & æternus socius, quoniam perpetua, & æterna Eucharistia mea est.

Luc. 12. 30.
Ioan. 15. 30.
Ps. 37. 5.
Matt. 28. 20.

Societas Christi Eucharistica

Aliud quidem est esse hominem socium Christi in sua passione, aliud vero in Eucharistia: In passione sua Christus *Crucifixus est ex infirmitate*: In Eucharistia vero semper Christus valet, cui dicit Ecclesia, *Tu qui cuncta scis, & vales* Valebat quidem Christus ex se, & natura sua, voluit tamen esse caput hominum peccatorum, qui dum salutem hauriunt à capite, reddunt infirmum illud, immo & mori cogunt. *Inclinato capite emisit spiritum:* & membra Christi pariter cum illo intereunt. Probat hoc assumptum Paul, 2. Cor. 5. *Charitas Christi urget nos æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo & omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus: ut & qui viuunt non sibi viuant, sed ei, qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit.* Etenim si unumquodque membrum, ut lib. 3. off. ait Tull. hunc sensum habeat, ut putet se posse valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxerit, debilitari, & interire totum corpus necesse est: igitur cum hoc ipsum contigerit in passione Christi, & traduxerint in se membra salutem capitis sui, necessum fuit, ut & Christus moreretur, & cum illo membra ejus mystice morerentur. Valet Christus in Eucharistia, & non infirma sed bene valentia membra requirit, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Caveat sibi homo, ne velit esse socius Christi sub Eucharistia, quemadmodum in passione fuit, hoc enim quid aliud esset, quam velle rursum caput suum infirmare, & simul occidere? unde & consequenter dicit Paulus: *Itaque quicumq; manducaverit panem, & biberit calicem Domini indigne reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Quam ob caussam idem ipse, qui tam pius fuit in crucifigentes se, ut veniam postularet: pro Iuda, qui communicavit indignê, hoc ipsum pręstitisse nusquam legimus. Legimus potius Ps. 54. graves illas Christi querelas contra Iudam proditorem, perfidum socium: *Quoniam si inimicus meus maledixißet mihi, sustinuißem utiq;. Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuißet, abscondissem me forsitan ab eo, Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus: Qui simul mecum dulces capiebas cibos in domo Dei ambulavimus cum consensu. Veniat mors super illos: & descendant in infernum viventes.* Loquitur de malo socio Iuda Christus more humano, de quo Tull. orat. pro Rosc. ait. *Tecti ad alios esse possumus*

2. Cor. 13. 4.
Ioan. 19. 30.
1. Cor. 11. 28.

sumus, socium verò cavere qui possumus? quem etiam si metuimus, jus officij lædimus Ne lędat Christus jus societatis cum Iuda, & alijs eius consortibus, dissimulare novit.

Eucharistia cibus & potus est, ex qua provenit mutua societas, quā habet omnis Ecclesia fidelium. Tolle societatem à civitate, non erit ciuitas, tolle societatem à castris, non erit exercitus, aufer ab Ecclesia cōiunctionem, conventionemque socialem, esse desinet Ecclesia. Quemadmodum grana, nisi coeāt inter se, nec panem, nec vinum efficiunt, ad eādem quoq; formam, nisi connectantur inter se Christi fideles, Ecclesiam non componunt, & idcirco sapienter suprà dixit Augustinus: *Hunc itaq; cibum, & potum societatem vult intelligi corporis, & membrorum suorum.* Habebat Resp. Romana socios suos ex omni gente, & natione selectos, quos iuvabat, & à quibus invicem iuvabatur, ut vastū suū imperium conservaret. Multo magis fideles, ac benevolos habet socios Ecclesia Romana, cuius imperiū augustiûs diversas gentes, nationesq; cōplectitur, & tamen omnes indissolubili Eucharistiæ nexu, ac vinculo cōnectuntur. *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum hi fuerunt illic.* Fuerunt quidem illic non secus ac sunt grana, quę licet ad diversa prædia ac vineas, ad varias spicas, racemosque pertineant, ita coeunt in unum panem, & vinum, ut nulla sit sibi discrepantia, nulla distinctio. Coeunt in societatem ita strictam omnes Christiani populi, omnes nationes, ut conveniant in unum, in cor unum & animam unam, ubi verò tanta unitas est, nequit esse distinctio. *Non est distinctio Iudæi, & Græci.* Hanc societatem significat Eucharistia, & quia id efficiunt Sacramenta, quod significant, tribuendum est Eucharistiæ prædictæ conventionis miraculum. Nulla quidem est Iudæi, & Græci, Romani, & Barbari, servi, ac Domini distinctio apud Deum etiam in Sacramento, quandoquidem sine ulla prorsus discrepantia. *Sumit unus, sumunt mille, tantum iste, quantum ille, nec sumptus consumitur.* Miraculum igitur societatis illius resplendet prius in causa, & dein in effectum prodit, prius resplendet in Eucharistia, & postea redundat in universam Ecclesiam.

Fons & origo Societatis.

Ps. 86. 4.

Rom. 10. 12.

Commercium.

X.

SAcramentum Incarnationis mirandum quoddam commercium est. *O admirabile commercium! Creator generis humani animatum corpus sumens de virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine largitus est nobis suam deitatem.* Satis mirabile commercium est, quandoquidem teste Aug. Serm. 9. de Natiu. *Mercatus est à nobis Christus quod hic abundat nasci, & mori, resurgere & in æternum vivere non hîc erat. invenit hic merces viles terrenas, & terrestribus attulit peregrinas, & cælestes.* Hæc eadem commercia Verbi incarnati, & nati celebramus etiam in Eucharistia, de qua in prima Nativitatis Missâ dicit Ecclesia: *Accepta tibi sit, Domine quæsumus, hodiernæ festiuitatis oblatio, ut tua gratia largiente, per hæc sacrosancta commercia in illius inveniamur forma, in quo tecum est nostra substantia.* Rursus feria 4. post Dom. 2. Quadrag. *Per hæc sancta commercia,* inquit, *vincula peccatorum nostrorum absolve.*

Emporium orientalis negotiationis Tyrus erat, quemadmodū describit Ezech. c. 24. & ut omittam alia commercia, quæ ibidem referuntur, cōmemoro illa duo, *Iuda & terra Israel ipsi institores tui in frumento primo balsamum, & mel, & oleum, & resinam proposuerunt in nundinis tuis. Damascenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diversarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi.* Tyrus quidem cum negotiatione sua reperitur in medio Ecclesiæ. *Ecce alienigenæ & Tyrus, & popu-*

Frumentū pingue.

Ps. 86. 4.

& populus Æthiopum, hi fuerunt illi: Frumentum primum, & pingue vinum Eucharistia est, in qua negotiatur Christus. Non dedit olim Deus primum triticum in deserto, sed primum præbet nobis in Sacramento. Non propinavit filijs Israelis vinum, sed puram aquam, nobis autem porrigit pingue vinum, quod prægustavit David, & exclamavit, *Calix meus inebrians, quam præclarus est!* Negotiabatur cum Tyro Israel, videns scilicet Deum, & exercet sui panis mercimonium Christus cum Ecclesia, qui & videns Deum semper fuit, & tunc temporis oculos suos in cælum, & cælestem Patrem levavit, cum Eucharistiam consecravit, ut Israëlem se esse ostenderet primi frumenti, primarijque panis mercatorem. Deferebat Tyro merces suas Damascenus, id est, saccum sanguinis secum portans, portavit & Christus, qui iuxta nominis ethimologiam verè Damascenus est, & propterea scriptum legimus prouerb. c. 7. *Non est vir in domo sua, abijt via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit in die plenæ lunæ reversurus.* Hunc virum Christum esse, docet Bonau. c, 7, Speculi: vir Damascenus est, *mulier circumdabit virum*, via longissima venit, quoniam de cęlis in terras descendit, tulit secum saccum pecuniæ, nimirum pretiosi sanguinis sui, quo sumus omnes re-
1. Cor. 6. 20. dempti, *Empti enim estis pretio magno*: reversus est in die plenæ lunæ, cum redijt ad Patrem. Liceat ergò dicere Ecclesię. *Damascenus negotiator tuus, in multitudine operum tuorum, in multitudine diversarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi.* Negotiator Christus fuit toto tempore, quo vixit, cæ-
Act. 1. 1. pit ab operibus suam negotiationem, *Cæpit Iesus facere & docere*, post opera ostendit opes sapientiæ suæ, cum docuit: venit post hæc omnia tempus passionis, & nocte cænæ negotiatus in vino pingui, cum Calicem consecravit: & tandem in passione tamquam ovis ad mortem ductus est, & coram tondente se non aperuit os suum, ut vellere exutus suo, noster Damascenus in lanis coloris optimi, quibus nvditatem primi hominis tegeret, negotiaretur.

Regnum cælorum venale est Regnum cælorum venale est, alioquin Christus non diceret. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem cum invenit homo, vadit & vendit omnia, quæ habet, & emit agrum illum.* Regnum hoc venditionibus, &
Matt. 13. 44. emptionibus valet, vendit Deus, emit homo. Deus est qui dicit hominibus,
Isai. 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite; venite, emite absq; argento, & absq; ulla commutatione vinum, & lac. Quare appenditis argentum non in panibus? & laborem vestrum non in saturitate?* Vendit Christus, non pecunia, nec argento, sed debitę dispositionis pretio cæleste pabulum, vendit tamen, & qui habere voluerit, illud emat, necesse est. Nec tamen opus est summa dispositione, quamvis summum sit Sacramentum, quod nobis præbetur. Summistarum aphorismus est ille: *Licite emis rem communi pretio, etiamsi scias latere in ea aliquid pretiosum, ut in fasce herbarum, agro, aut domo.* Benè nosti rem omninò pretiosissimam divinitatem, & humanitatem Christi tegi, & occultari sub accidentibus panis; & vini, nihilominus tamen communi animę pręventione licitè emis, communis autem dispositio illa est. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo*
1. Cor. 11. 28. *edat, & de calice bibat.* Caue ne indignus accedas & sumas, id enim non est
Ioan. 12. 8. emere, sed furari, quod & Iudas fecit, *fur erat & loculos habens*, & furtum egit, cum indignè communicavit. Cum Christus Eucharistiam sine præfato pretio non præbeat, non habet Ecclesia veniã, ut furto exponat, quãobrem scriptum de ea legimus. *Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum.* Navis mercatoris Christi est Ecclesia, quæ destrahit pro debito

bito pretio panẽ,cives ſacroſãcta cõmercia recognoſcit,ſervat,&celebrat

Pulchra res eſt negotiari cũChriſto,qui parvo pretio contentus dat nobis magnas merces,quales ſunt merces Euchariſticę.Cęleſtes ſunt iſtæ,&, more celeſti,nobis illas diſtribuit. Conſuetudinem cęli novit Apoſtolus raptus ad ſydera,*Momentaneũ*,inquit,*& leue tribulationis noſtra æternũ gloria pondus operatur in nobis*:rurſus:.*Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam,qua revelabitur in nobis*.Contractus iſte cæleſtis ſervatur in cõmunione Euchariſtica,quandoquidẽ pro momentanea & leui diſpoſitione noſtra datur nobis æternũ pondus panis glorioſi;& pro exiguo labore,ac merito nobis prębeturCalix ſanguinis pretioſi.Qui vendit ſciens, & volens,pretio viliſſimo donare præſumitur, quod deeſt iuſto pretio, ac proinde Chriſtus mercator,&donator cenſendus eſt tã cum beat,quã cum paſcit.Sciens,& volens viſus eſt in nocte cænæ, volens cũ ait,*Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum*: ſciens, cum ait Euangeliſta de ipſo, *ſciens quia dedit ei omnia Pater in manus,& quia a Deo exivit,& adDeum vadit*, ut & ſciens,& volens appareret dareEuchariſtiam ijs,qui levi pedũ lotioni,& confeſſioni peccatorum ſubiacerent. Myſterium tanti commercij Simon Petrus non aſſequebatur: & idcirco lavarı ſe à Chriſto non permittebat,permiſit tamen, & lotus donatus eſt Euchariſtia.

Bona cum Chriſto negotiatio
2.Cor. 4. 17.
Rom.8.18
Luc.22.15.
Ioan.13.3

Pulchra res eſt cum Deo contrahere.Lex illa contractus eſt, ut ex contractu prædeceſſoris facto nomine dignitatis,teneatur quiſquis in ea ſucceſſerit.Contraxit nobiſcum Deus,cum factus eſt,homo, qualis,& quãtus fuerit ille contractus oſtendit Ambros in Exord.l. de fide Reſurr. *Deniq; numquam magis quanta & clementia & potentia Redẽptor noſter abũdaret apparuit,quam cũ myſteriũ Incarnationis aggreſſus eſt,ut ſuſcipiendo ſcilicet noſtrã ſubſtantiam,& patibuli,& tumuli iura ſuſciperet.Noſtris ergo proſperis adverſa ei impẽſa ſunt,& divina,atq; humana in Redemptoris noſtri natura quoddã inter ſe ſacrum iniere commercium:ut teſtimonium ab humanitate diuinitas,pramium a divinitate ferret humanitas.Hoc eſt,vulneribus corporis Deus noſter magnitudinem erga nos ſui amoris oſtenderet,& cõſortio divinitatis recompenſari ſibi obedientia gratiam,& animus noſter & corpus agnoſceret. Qua igitur fide,quave devotione huic Domino tantorum in nos donorum munifico adharere,ac ſervire debeamus,intuendum eſt,qui ita nullum largiendi modum habuit,ut tantum fidelibus donaret in pramio,quantum ipſe poſſederit in regno.*Tantus quantus eſt iſte contractus nomine dignitatis,& divinitatis Dei cum homine celebratus eſt , unde & Angelus dicit Virgini,*Aue gratia plena,Dominus tecum*: & Virgo reſpondit Angelo:*Ecce ancilla Domini.Fiat mihi ſecundum verbum tuũ*.Celebratus eſt à Chriſto,qui ſempiternum habet ſacerdotium,ſacerdotium videlicet Melchiſedech,qui panem obtulit,& vinum,*Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*.Hinc fit,ut neminem ſui ſucceſſorem habeat, ſed ipſe potius ſibi in ſacerdotibus ſuccedat,& ſemper initum contractũ nomine dignitatis cõtinuet in Euchariſtia.Chriſtus eſt qui loquitur in ſacerdote& dicit,*Hoc eſt enim corpus meũ*,&,*Hic eſtCalix ſanguinis mei*.Cũ inſtituitSacramẽtũChriſtus,Apoſtolis ait.*Vos mevocatis,Magiſter,&Domine,&bene dicitis, ſum etenim:*conſequenterq; PaulusApoſtolus ſcribit,*Dominus quidẽ Ieſus,in qua nocte tradebatur accepit panẽ*,ut contractum iam factũ nomine dignitatis Dominicæ firmum & ſtabilem,in Euchariſtia futurum eſſe oſtenderet.

Optimum eſt cum Deo contrahere.
Luc.1.28.
Pſ.109.4.
1.Cor.11 23.

Quod ſi nuſquã maior clementia,& potentia Dei noſtri reſplenduit,quã in cõtractu Incarnationis,nuſquam maior benignitas,& poteſtas refulſit, quam in commercio Euchariſtiæ,poteſtas quidẽ in conſecratione, benig-

Benignitatis & potentia ſpecimen.

nitas verò in cõmunione. Cum Deus factus est homo, suscepit nostrã substantiam, & cum illa simul iura patibuli & tumuli, in Eucharistia verò susceptam substantiam nobis reddidit, patibulo, & tumulo solũ ipse cõtentus. Largitus est nobis prospera, adversa sibi reservavit. Testimoniũ humanitatis, & præmium divinitatis ipsius nobis accessit. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus,* hoc testimonium humanitatis est, illud vero divinitatis præmiũ. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Condidit autem suũ Sacramentũ Christus in eam formam, ut & animus noster, & corpus agnosceret sui erga nos amoris, & charitatis excellentiam, quam ex se diffundunt, & spirãt semper sacrosancta Eucharistiæ commercia. Cum per modum contractus fiant Incarnatio, & Communio, tam in una, quam in altera contrahens Deus dicit homini, cum quo agit, *Do, vt des.* Quid nos dabimus? Qua fide, qua devotione huic Domino tãtorũ donorũ munifico largitori adhęrere, & servire debemus, qui nullum largiendi modũ habuit, cũ seipsum nobis donavit?

Ioa. 6. 56.

Pulchrũ est à Deo emere.

Pulchra res est à Deo emere. Non licet carius vendere hospitibus, quã indigenis. Nos quidem in hoc mundo hospites sumus, cum ciuitatem permanentem non habeamus, sed inquiramus futuram, interim verò peregrinamur à Domino. Indigenę cęlestis patrię sunt omnes Angeli, qui semper faciem Dei patris contemplantur. Tam hospitibus, quam indigenis, tã hominibus, quam Angelis præbet Christus alimentum, & uno, eodemq; pane cum Angelis communi cibat hominem, *Panem Angelorũ manducavit homo.* Poterat mercator Christus dicere, Nõ carius vendo panem Angelis, quam hominibus, sed pretio pari hospitibus, & indigenis; qui velit Eucharistiam, mente, & corpore sit totus cælestis & Angelicus, aliàs communione privetur. Non ita loquitur vẽditor pijssimus, sed ait: *Probet autem seipsum homo,* nõ angelico, sed more humano, *& sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Tantum abest, ut carius vendat hospitibus, quam indigenis. Maiori pretio panis iste cælestis stat Angelis, quam hominibus. Non est Christus de numero mercatorum, qui carò res suas vendunt, sed vili pretio. Quam obrem ille Philosophus, qui in publico theatro promisit divinaturum se, quod omnes adstantes haberent in animo, & dixit. *Vultis carò vendere, vili emere,* quãvis esset verus vates in aliis, nõ esset in Christo, cuius cogitationes sunt multo diversæ, non enim vult carò vendere, qui paruo pretio cupit, ut Eucharistiã habeamus. Quisquis ad emendum venit, facit id, quod dicit Salomon ca. 20. Pro. *Malum est, malum est dicit omnis emptor, & cũ recesserit, tunc gloriabitur.* Licet sibi placeant merces, improbat tamen illas, ut de æstimatione, & pretio earum simul minuat: & cum iam merces habuerit, in earum emptione, & possessione sibi cõplacet, & gloriatur. Qui negotiatur cũ Christo, ut pretiũ remittat, non est opus ista industria, vendit exiguo pretio merces Eucharisticas, ac proinde non dicit emens, *Malũ est, malum est*, immo potius bonũ est. bonum est, dicit enim. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines,* dicit. *Mihi autem adhærere Deo bonum est,* & simul exclamat. *Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi.* Quod si emptor cum recesserit, gloriatur, non ita accidit ei, qui venit ad Communionem, nusquam ille magis gloriatur, quam cum suo Christo est, ut & Paulo similis sit, qui scribens ad Philipp. ca. 3. dicit. *Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu.* Protulit Christus merces suas, cum dixit in Euangelio. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* ingratæ fuerunt ijs, qui retro abierunt dicentes

Psa. 77. 25

1. Cor. 11 28.

Zach. 9. 17.

Psa. 72. 28.

Ps. 12. 6.

Ioa. 6. 56.

Ioan. 6. 60

tes, *Durus est hic sermo & quis, poterit eum audire?* Cum illi recederent, manserunt Apostoli; quibus ait Christus, *Numquid & vos vultis abire?* respondet Christo Petrus, *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Non recesserat ille, sed adhuc in oculis mercatoris, & aspectu mercium erat, & iam gloriabatur in mercibus. Hæc est beatitudo cælestis, ut in divino conspectu, sitam suam gloriam habeant, & beatitas vitæ huius collocatur in eo, ut quis adspectu & præsentia Eucharistiæ perfruatur. Hûc spectat illud Deut. c. 33. *Habitabit Israel confidenter, & solus. Oculus Iacob in terra frumẽti, & vini, caliq; caligabunt rore. Beatus es tu Israel: Quis similis tui popule: qui salvaris in Domino?* Huc etiam spectat oraculũ S. Theresię, quę iam cælesti donata beatitudine, sicut eius narrat Historia, uni ex sacris filiabus apparuit, & docuit comprehensores, & viatores consonare inter se debere, ut quemadmodum beati circa Deum se haberent, mortales circa Eucharistiam se gererent. Beati quidem accedentes, & adhærentes per visionem Dei, in Deo gloriantur: ad eandem igitur formam, gloriari debent in Eucharistia, dum accedunt, dum adhærent Christo, qui de altari eius participant. Ioa. 6. 60.

Gloriosa sunt ista commercia non solum filijs, sed & Sanctæ matri fidelium omnium Ecclesiæ, quæ mystica Ierosolyma est. Civitas in qua floret commerci adiues est, frequens est populo, simul & melius Ecclesia Christi dives est, *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Hæc quidem opulentia nata est ex cõmercijs Eucharisticis, in quibus, qui dives est in misericordia Christus, ut ait Conc. Trid. ss. 13. c. 2. *divitias sui erga homines amoris velut effudit.* Ecclesia Christi frequens populo est, *Euntes docete omnes gentes*, concursus vero gentiũ ex istis etiam cõmercijs factus est, unde c. 35. dixit S. Isai. *Faciet Dominus exercituũ omnibus populis in monte hoc cõvivium pinguium:* & Ecclesia, *communione Calicis, quo Deus ipse sumitur, nõ vitulorum sanguine, congregauit nos Dominus.* Ecclesia valet diversis linguis, de quibus Christus ait, *linguis loquentur nouis*: & Sacramentalia cõmercia varijs linguis celebrãtur, & in singulis Missis non una loquela est, sed diversa. Sua quidem lingua sacerdos loquitur, *Suscipe Sancte Pater omnipotens, æterne Deus hanc immaculatã hostiã, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo viuo, & vero.* Suo quoq; stylo verba facit Ecclesia usa numero plurali. *Offerimus tibi Domine calicem Salutaris.* Loquũtur Angeli una voce dicentes, *Sãctus, Sanctus, Sanctus.* Loquitur quoq; Christus ipse: *Hoc est enim corpus meũ. Hic est Calix sanguinis mei.* Novas linguas, & voces affert secum istud commercium, quandoquidem canitur, & auditur in choris. *Sacris solennijs iũcta sint gaudia, Et ex præcordijs sonent præconia, Recedant vetera, nova sint omnia. Corda, voces, & opera,*

Gloria Ecclesiæ. Pr. 31. 29. Matt. 28. 19. Marc. 16. 18.

Nutrimentum.

XI. SOlennis naturæ lex est, ut quam parens prolem genuit, illam nutriat. Lex quoque gratiæ est, ut qui sumus geniti in Christo, ab ipso Christo nutriamur. Accipimus nutrimentũ à Christo, cũ eius sumimus Sacramentũ, quemadmodum Ser. de Euch. Concionatus est Iusti. *Præbuit namq; se, ut te elevaret ad se, te nutriret de se.* Consonat Aug. l. Solil. *Intima mihi Domine voce grandi, & forti in interiorem aurem cordis mei, doce me, & salva me, & collaudabo te, qui creasti me, cum nihil essem, qui visitasti me, cum mortuus essem, & qui pascis me à iuventute mea omnibus bonis tuis. Hunc inutilem vermem fætentem in peccatis nutris opimis bonis tuis.* Hæc bona opima, quibus nutritur homo, Eucharistica sunt. *Quid enim bonum eius est, & quid* Zach 9. 14.

& quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.

Homines instar arborum nutriuntur. Omnes arbores à radice sua, quæ tecta, & occulta est, accipiunt nutrimẽtum, ut in altum assurgant. Homines instar arborum sunt, & idcirco sæpê in sacro eloquio cũ arboribus comparantur. Christus, *radix David*, nuncupatur, quæ nutritionem præbet, ut homo nutriatur, & assurgat in altũ: *Præbuit se, ut te elevaret ad se, te nutriret de se.* Cùm ergô de sancto viro dicatur, Apoc. 5.5 Ps. 1. 3. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo: Et folium eius non defluet, & omnia quæcumq; faciet, prosperabuntur*, à radice, qui Christus est, tota ista arboris prosperitas provenit. Ps. 91. 13. Cùm scriptum sit de homine iusto, *Iustus ut palma florebit, sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabitur*, à radice Iesse palma floret, cedrus augetur. Radix illa Iesse carne nostra tecta processit, nata est in Civitate Bethleem, domo panis & nutrimẽti, & ibi nutriebat, & erigebat palmam, & cedrũ, Mariam, & Iosephum, sustentabat & elevabat Pastorum, Magorumq; pulcherrimas arbores. Hæc eadem radix tecta sub accidẽtibus est, cuius virtute cælestes 1. Cor. 3. 7 plantę iustorum augentur, & crescunt. *Neq; qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Deus est, qui dat nutrimentum, cum nobis Eucharistiam præbet.

Christus similis vermi. Ps. 21. 7. Quid hoc! Fętentem vermẽ in peccatis nutrit Deus opimis Eucharistię bonis. Christus vermis est, *Ego sum vermis, & non homo.* Vermis est, qui viventem Ionę hederam arefecit, & ejus rei mysterium l. de sex. qq. ad Deogratias q. 6. sic Aug. exponit. *Ipse vermis Christus, ex cuius ore, Euangelio, diffamato cuncta illa, quæ temporaliter apud Israelitas velut umbratili prius significatione viguerunt, euacuata inardescunt. Et nunc ille populus amisso Ierosolymitano regno, & sacerdotio, & sacrificio (quod totũ umbra erat futuri) in captivitate magno æstu tribulationis aduritur, sicut Ionas.* Vetus sacerdotium, sacrificia, & sacramenta carnalia, fastum, & ostentationem quandam præ se ferebant, & propterea cum frondosa hedera consonabant. Venit Christus in humilitate sua, venit mysticus vermis, sustulit fastũ, & induxit humile Sacramẽtum, Prou. 9. 4. ad cuius sumptionem inuitat parvos, *si quis est paruulus veniat ad me*, inuitat vermes, ut cibo suo Eucharistico sustẽtentur, & nutriãtur. Legimus Exod. c. 16. quid contigerit filijs Israelis, cum in sequentem diẽ vellent reservare Exod. 16. 20. manna, *scatere capit vermibus, atq; computruit.* Desinebat manna in vermes, quia futurum erat, ut unus vermis Christus per suam Eucharistiam mãna illud esset aboliturus, quemadmodum abolevit: *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternũ.* Præterea vermes illud manna manducabant, & ex eo nutriebãtur, ut quid esset futurum die sequenti gratiæ cognosceretur, quo die Christus manna suo cælesti vermes humanos pascit, & nutrit.

Homo vermis Ps. 77. 25. Cùm homo sit vermis, *panem Angelorum manducavit homo.* Nulla creatura nobilior, nulla sublimior Angelo est: nulla minor, nulla abiectior vermiculo est. Distant extreme inter se, quemadmodũ Tract. 1. super Ioann. asserit Aug. *Omnia facta sunt per Verbũ; quæcumq; facta sunt naturaliter, quæcumq; facta sunt in creaturis, quæ volitant sub cælo, & quæ mouentur in universa natura rerũ. Dicã planius, ut intelligatis, ab Angelo usq; ad vermiculũ. Quid præclarius Angelo in creaturis? Quid extremius vermiculo? Per quẽ factus est Angelus, per ipsũ factus est & vermiculus.* Extrema sunt inter se hyssopus, & cedrus; & tamen eadem nutriuntur aqua, & licet ita differant inter se Angelus & homo, providit Christus, ut uno eodemq; pane sustentarẽtur, nõ ut Angelus fieret vermis, sed ut vermis cresceret, & adoleret in Angelum. Prosequitur August. *Sed*

Angelus

Angelus dignus cælo, vermiculus terra. Qui creavit, ipse disposuit. Si vellet Angelos nasci de putrescentibus carnibus, reprehenderes: Et tamen pro te facit hoc Deus, & non est reprehendendus. Nam omnes homines de carne nascentes, quid sunt nisi vermes? Et de vermibus Angelos fecit. Quem fecit Angelum, more Angelico alit, & nutrit, *Panem Angelorum manducavit homo*: item, *Angelorum esca nutrivisti populum tuum.* Sap. 16. 20.

Quod sapit, nutrit; quapropter eos, quibus bene sapit Eucharistia, nutriat necesse est. Prima omniū, quæ panem de cælo labentē accepit, Maria fuit; & benè illa nutrita est, quoniā dulcis cibus fuit, *Magnificat anima mea Dominū, Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Satis bene educata est Ecclesia per Eucharistiā, cuius gustu mirificè recreata prorumpit in vocē illā; *O quam suavis est Domine spiritus tuus, qui ut dulcedinē tuam in filios demonstrares, pane suavißimo de cælo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.* Ne fastidiamus hūc cibū, sed cum iucunditate sumamus, & nutriamnr, monet nos David, *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus.* Monet quoque nos Ecclesia, cujus vox materna est illa: *sit laus plena, sit sonora: sit iucunda, sit decora mentis iubilatio.* Mater omnium fidelium est, & eos Eucharistia sustentat, & postquam educaverit, usurpat illam vocem c. 4. Baruch. *Nutrivi eos cum iucunditate*, quam ego nutrix accepi, & quā ipsi, ut nutrirentur, perceperūt. Hūc pertinet illud. *Parasti in dulcedine tua, pauperi Deus*, ut pauper benè nutriatur: & illud: *Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia*, ut benè nutriti crescant, & augeantur.

Sapit & nutrit Eucharistia. Luc. 1. 47 Psa. 33. 9. Ps. 67. 11. Psa. 67. 4.

Quæ vivunt, sumunt exterius cibum, interius vero nutriuntur: si verò vivere desinant, licet capiant cibum exterius, interius non accipiunt nutrimentum. Communicant exterius tam iusti, quam iniusti homines, sed interius boni solum nutriuntur, quia vitam gratiæ habent: mali verò cum privati sint gratia, mortui sunt, ac proinde nutriri nequeunt. Euchatistia cibus est animarum, quo, more vitali, nutriuntur. Sunt, quæ per congeriē, & accumulationem quandam augentur, ignis quidem per ignem, & aqua per aquam, viventia *per intus sumptionem*, ut loquuntur Philosophi, educātur. Ad formam viventium anima sustentatur non quidē per multitudinē, & cumulum communionum, sed per interiorem Eucharistiæ sumptionē, qua sola crescit anima, & qua totus homo divinus efficitur. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me & ipse viuet propter me.* Divinum verbum, missione interna processit ex Patre, & interna communione, non solum externa vivit anima Christiana.

Forma nutritionis. Ioa. 6. 58.

Communis alimoniæ nutritio, sicut docet Philosophia, & confirmat experientia, tempus suum petit, & postulat successionē, unde paulatim assurgit homo, & statura procerus fit. Nemo fit repente altus, nemo fit repentè summus. Nutritio vero Eucharistica momentanea est, instantanea est, uno momento, uno instanti crescit homo, assurgit in altum, & de terra in cælum ascendit. *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Cōmunicamus omnes in memoriam Resurrectionis, & Ascensionis Christi, & virtute Cōmunionis resurgimus, & ascendimus cū illo in cælum, ut omnes sublimes simus. Non potest non pati dispendia substātię suæ, qui cibo corporeo nutritur, cum inter alimentum vitæ, & viventem dissidium, & lucta fiat. Nutrimentum Eucharisticum ita fit, ut nihil detrimenti patiatur ille, qui reficitur Eucharistia. Nemo iacturam patitur, qui cū Deo cōmunicat, multo minus ille, qui Deū ipsum cōmunicat. Noverat Paulus, quantū esset lucrū in Christo, scribit enim ad Philip. c, 3. *Sed quæ fuerunt mihi lucra hæc arbitratus*

sumi propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Hoc idem nos lucrum quæremus, quod in Eucharistia est, purum & putum lucrum sine ullo damno, sine ullo prorsus dispendio. *Labores manuum tuarum, quia manducabis beatus es, & benè tibi erit.* Non satis benè habet ille, qui capit hoc nutrimentum, & non sentit emolumentum.

Ps. 127. 2.

Nutritio generalis est.

Naturale nutrimentum per omnia pertinet membra: cumque Sacramentum altaris, nutritio sit corporis, & animæ, nihil esse debet in homine, quod non perficiatur virtute Eucharistiæ, & in ęternam vitam nutriatur. Perfici debet anima, & pariter cum ea memoria, mens, & voluntas: perfici debet corpore, & cum corpore sensus omnes corporales, ut & hoc pacto totus homo Eucharisticus fiat. Cum nutrimentum per omnes pertineat corporis artus, eam facit in homine mutationem, ut alius à seipso esse videatur: videtur & alius, qui nutritur, & alitur Eucharistia: Credo Iustiniano Serm. de Euchar. *Huius sumptione Sacramenti efficitur homo alius non per naturam, sed per gratiam, mutatusq; totus in melius, compescit linguam, amat silentium, orationi vacat, fraternitatem custodit, cordis sectatur munditiem, istiusmodi spirituales profectus. Christi operatur præsentia.*

Appretiatio Eucharistiæ.

Absit, ut Christus ad nutriendas animas impudicas mysterium hoc virginitatis reliquerit, cum scriptum sit proverb. 29. *Vir qui amat sapientiam, lætificat patrem suum, qui autem nutrit scorta, perdit substantiam.* Non perdit Christus substantiam suam, quæ tota est in hoc Sacramento, ille conatur perdere, qui cum non sit mundus, sed sordidus accedit ad Communionē. Fornicatio, quædam spiritualis hæresis est, & cum illa ingruit simul abnegatio sacrosancti huius mysterij, hoc ipsum permittente Deo, ne quis putet scorta hæretica se nutrire, imo potius horrere se illa, quę deserit, ne substantiam suam perdat. *Qui vescebantur voluptuosè interierunt in vijs, qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora.*

Cibus Fortium.

Absit ut Christus hoc nutrimentum reliquerit ad delicatos reddendos milites suos, cum c. 29. proverb, traditum sit. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.* Non est delicatus cibus, qui secum crucem, & passionem secum portat. *Hæc quotiescumq; feceritis in mei memoriam facietis.* Non est delicatus cibus, qui totus militaris est, & in ipso hostium conspectu nobis prębetur. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Inter media fercula Eucharistię, Christo ad arma pulsatum est, à mensa venit ad castra, ad luctam in horto, ad pugnā in consistorio, ad conflictum in monte Calvariæ. Nos quoque vocamur ad arma, ad luctam, ad pugnam, ad conflictum: ita monet Chrysost. hom. 61. ad popul. *Tamquam leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus facti diabolo terribiles,* Annona ista militari nutriti martyres, fortes facti sunt in bello, castra euerterunt tyrannorum, & totius Orbis viribus superiores evaserunt. Non alit contumaciam Eucharistia, sed penitus tollit.

Ps. 22. 5.

Ecclesia est mater.

Cave de eorum numero ne sis, quos Baruch. cap. 4. reprehendit. *Obliti estis Deum, qui nutrivit vos & contristastis nutricem vestram Ierusalem.* Mystica Ierusalem Ecclesia est, quæ nutrit nos cælesti Eucharistia, quam accepit à Christo, ut nos omnes sustentaret: mæret, & dolet, cum Dei immemores nec celebramus, nec communicamus. Dolet nutrix cum infantulus nutrimentum lactis non haurit, sed diu remuit, quia videt certum esse argumentum ægritudinis: dolet & Ecclesia sancta, cum ingrati tanto beneficio

nescio homines obliviscātur ad altare, & communionem accedere, quod gravis infirmitatis, & morbi mortalis solet esse indicium.

Quod si te ipsum amas, Eucharistiæ nutrimentum ama: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam.* Christus Dominus *non sibi placuit*, sed potius displicuit, ita sanctissimam carnem suam maceravit, ut illam non amasse, sed odisse videretur. Cum autem nemo sit, qui carnem suam odio prosequatur, ostendit Christus non ex mala voluntate erga suam carnem, sed ex pietate, & charitate erga nos, sibi displicuisse: ostendit autem, cum suam dilexit Ecclesiam, *quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & ossibus eius.* Non odit carnem suam, qui Ecclesiam suam adamavit, cum tamen hæc sit caro de carne eius, & tunc tēporis maximè adamavit, cum instituit venerabile Sacramentum. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Legitima est illa consecutio Concil. Trid. ss. 13. cap. 2. *Ergo Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit.* Igitur quotusquisque cupit amare, fovere, & nutrire carnem suam, quemadmodum Christus diligit, fovet, & alit Ecclesiam suam, sacram Communionem accipiat.

Amanda Eucharistia. Eph. 5. 29 Rom. 15. 3. Ephes. 5. 30. Ioan. 13.

Sacra.

XII. Missa, quid nisi sacrum sonat? Mysteria altaris sacra sunt per excellentiam, ita dicta à Sancta Ecclesia, Dom. 1. Advent. *Hæc Sacra nos Domine potenti virtute mundatos ad suum faciant puriores venire principium.* Cùm flumina de mari prodeant, & ad mare revertantur, si quis patiatur se à flumine duci, necesse est, ut veniat ad mare. Conveniunt inter se flumen Dei, & cibus Eucharisticus, *Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum in tempore.* Flumen Dei flumen gratiarum est, quod ex Deo manat, diffluit per totum terrarum orbem, & tandem ad Deum regreditur, & qui permittit se divina gratia duci, ducitur necessario ad Deum ipsum. Cibus Eucharisticus non ex terra, sed ex cælo provenit, *Panem cæli dedit eis*: non ex creatura procedit, sed ex Deo ipso, qui dicit, *Hoc est enim corpus meum. Hic est Calix sanguinis mei:* reditque ad ipsum Deum, & ideo Sacerdos dicit post Consecrationem. *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinæ maiestatis tuæ.* Cùm redeant ad suum principium Eucharistica mysteria, si quis illis adhæreat, eo veniat necesse est, sicut venit in montem Dei Elias, & divinam gloriam contemplatus est, quoniam prægustavit Eucharistiam. Sapienter igitur Ecclesia sancta dicit. *Hæc sacra nos Domine potenti virtute mundatos, ad suum faciant puriores venire principium.*

Ps. 64. 10. Ps. 77. 24

Hæc sacra sunt, quæ puros & mundos reddunt homines, & nequeunt à peccatoribus inquinari. quemadmodum dixit olim Deus Malach. c. 1. *Ab ortu solis usq; ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Sacra semper mensa Christi est, nunquam potest esse prophana, pura semper, nec impura potest esse, licet sacerdos indignè celebret, licet laicus indignè communicet. Secus olim fiebat, mensa panis, & ignis, quæ erant in templo contaminabantur ab ijs, qui sordidi & turpes erant. Iam verò quotusquisque dicere ausit inquinari posse Eucharistiam, magnā infert iniuriam Dei nomini, & polluit

Hostia pura

 illud

illud, factus de numero eorum, quibuscum statim Deus ipse loquitur apud Malachiam: *Et vos polluistis illud in eo, quod dicitis, Mensa Domini contaminata est: & quod superponitur contemptibile est, cum igne, qui illud devorat.* Qui fieri potest, ut mensa Domini contaminetur, cum tota cælestis sit? Qui fieri potest, ut contemptibile sit, quod in ea ponitur, cum pretiosum Christi corpus, & sanguis eius pretiosus offeratur? Qui fieri potest, ut ignis non æstimetur, cum igne Spiritus sancti cibus iste consecretur, immoletur, & suscipiatur? Legimus Threnor. cap. 4. magnis clamoribus sordidos, & immũdos propulsatos fuisse. *Recedite polluti, clamaverunt eis, recedite, abite, nolite tangere:* arcebantur ne sacra contaminarent. Nostra vero sacra extra hoc periculum prorsus sunt, & nihilominus monentur omnes, ut si fuerint polluti, recedant, & tangere non audeant, nisi prius seipsos purgaverint. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit non dijudicans corpus Domini.* Corpus Domini coinquinari non potest, potest tamen inquinari homo, qui pollutus ad illud accedat.

[Malach. 1. 12.] [1. Cor. 11. 28.]

Sacrum Deo debetur. Rectè hæc sacra dicuntur, quæ soli Deo sunt consecrata, teste enim Isidoro lib. Diff. lit. S. *Sacrum vocamus quod ad Deum pertinet: religiosum, quod ad homines justos; sanctum vero quo aliquid sancitur, quoq; violato pœna committitur.* Voluit Deus homines habere religiosos, & idcirco condidit monasteria: voluit habere sanctos, & firmavit in ipsis gratiam: voluit habere sacros pertinentes ad Deum solum, & instituit hæc sacra, quorum hæc virtus est, ut soli Deo devotos illos reddat. Hæc est vera devotio Communionis, ut te totum mancipes Deo, quemadmodum lib. de orando Deum definit Augustinus: *Devotio est mentis conversio in Deum, pio, & humili affectu: humili quantum ad considerationem propriæ infirmitatis, pio quantum ad dulcedinem divinæ clementiæ.* Christus ipse, cum in Eucharistiæ consecratione levavit in cælum oculos, monuit, ut & mentem tuam in Deum converteres: Christus ipse, cum se dedit in cibum abiectis, & vilibus piscatoribus, monuit, ut humilis esses. Christus ipse, qui tantam suavitatem ac dulcedinem reposuit in hoc Sacramento, ut te recrearet, hoc præstitit, ut te excitaret ad pietatem. Cum hæc sacra participas, sacer esto, ut & dicere queas Deo, *Quid mihi est in cælo: & à te quid volui super terram?* .

[Ps. 27. 25]

Rite, ac recte hæc sacra dicuntur, quæ pertinent ad solum Deum: Cum semel tentaretur Christus quæstione de tributo reddendo Cæsari, numisma postulavit, rogavitque, *Cuius est hæc imago, & superscriptio?* Dicunt qui aderant, Cæsaris esse: conclusitque Christus, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quid est Eucharistia? Non est imago carnis & sanguinis, sed veritas ipsa superscripta sanguine Christi, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus* : Igitur cum veritas Dei sit, & simul superscriptio, non datur divisioni locus, quemadmodum in numismate Cæsariano inveniebatur, totum quippe ad Deum pertinet, ac proinde soli Deo reddendum est. Et quidem Deo, tamquam servitutis nostræ tributum, reddimus Eucharistiam, unde & in Canone Missæ asserimus. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accepias.* Accipit tributum Deus, ut de tributo nos alat. Hæc est boni principis cõditio, ut quæ accipit vectigalia, nõ disperdat, sed in usum utilitatemque populi sui refundat.

[Matt. 22. 20.] [Ioan. 6. 56.]

Sacrorũ usus. Cum hæc ita sacra sint, curandum est, ut in usus sacros, & non in prophanos erogentur. Qui celebrat, aut communicat, ut vir probus habeatur,

hic

hic prophanat Euchariſtiam. Qui communionem præbet publico peccatori, prophanat Euchariſtiam. Qui filiorum panem canibus erogat, & proijcit margaritas ante porcos, ſacrilegus & prophanus eſt. Hæc ſacra, ſacris aptanda ſunt uſibus, quos præſcribit Euangelium, ut nimirum maneamus in Chriſto, & Chriſtus in nobis. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*; ut vivamus in Chriſto: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me:* tandem, ut æternam vitam habeamus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ioan. 6. 59

Sacra hæc tota reſplendent in auro, aurum deitatis edimus, aurum divinitatis potamus: auri ſacra fames, huius certè auri ſacra eſt, non execrãda. Communis auri fames execranda eſt, quia metallum hoc non ſatisfacit eſurienti, ſed relinquit hominem magis famelicum. Mydas quidem eſuriebat copioſum aurum: quod ſuppetebat, nihil proderat, immo famem augebat. Non tollit eſuriem aurum vulgare, & idcirco fames auri ſacra, & execranda eſt. Aurum vero Euchariſticum famem extinguit & ſitim; & propterea eius fames ſacroſancta eſt: *Edent pauperes, & ſaturabuntur*: eſurienti quidem & ſitienti Deus dicit, *Dilata os tuum, & implebo illud*: implebo illud auro pretioſo divinitatis: promiſit, & promiſſis ſtetit. *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes.* Dimiſit inanes eos, qui temporale aurũ famebant, & cùm eſſent divites, & copiam opum haberent, nihilominus inanem, & ieiunum ſtomachum ſentiebant. Eſurientes implevit bonis Euchariſtiæ, quæ aurea cum ſit, implet animam & ſatiat. *Satiaſti Domine, familiam tuam muneribus ſacris.*

Aurea Sacra. Pſ. 21. 27. Pſ. 80. 11. Luc. 1. 53

Vetus illud manna ſacrum non erat, & idcirco ſacro die nec dabatur, nec colligebatur. Conſecraverat ſibi Deus ſabbatinum diem, & ne feſtum illud violaretur. *In die ſexta collegerunt cibos duplices, id eſt, duos gomor per ſingulos homines: venerunt autem omnes Principes multitudinis, & narraverunt Moyſi. Qui ait: Hoc eſt quod locutus eſt Dominus, Requies Domini ſanctificata eſt Domino cras;* Hæc in Exod. c. 21. ſacra verò Euchariſtia non violat feſtum diem, ſed facit, quamobrem canit Eccleſia, *Sacris ſolenniis iuncta ſint gaudia;* rurſus: *Laudis thema ſpecialis, panis viuus, & vitalis hodie proponitur. Quem in ſacra menſa cœnæ, turbæ fratrum duodenæ, datum non ambigitur. Sit laus plena, ſit ſonora, ſit iucunda, ſit decora mentis iubilatio. Dies enim ſolennis agitur, in qua menſæ primo recolitur huius inſtitutio.* Accedit & Concil. Trid. ſſ. 13. cap. 5. *Declarat præterea Sancta Synodus, pie & relligioſè admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, ut ſingulis annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione, ac ſolennitate celebraretur, utq; in proceſſionibus reverenter, & honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur*: Sacrum hoc feſtum indixit olim Paulus Apoſtolus: *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis noua conſperſio. Etenim paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus. Itaq; epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ: ſed in azymis, ſinceritatis, & veritatis.* Ante diem feſtum ſolent purgari domus: & emundatione malitiæ iubet nos Paulus prævenire ſolenne paſcha Euchariſtiæ. Hoc ipſum feſtum publicaverat, & ad eius ſolennitatem antè multò Spiritus ſanctus Cant. ca. 3. invitarat: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua, in die diſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Synagoga quidem non tam mater, quam nouerca Chriſti eſt, Eccleſia verò mater eſt, cùm ſemper faciat id, quod lubet Deo: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Hæc mater coronat Chriſtum in Euchariſtia, quando- Matt. 12. 50.

Manna vile quid erat.

quidem

quidem per consecrationem, sacrosanctum eius corpus sub accidentibus hostiæ, quæ diadema refert, collocat, & constituit. *Nomen coronæ hac ex causa vocatum, quod initio circa aras curreretur, atq; ad imaginem circuitus vel chori est formata & nominata, corona.* Hæc Isidor. lib. 19. Orig. cap. 30. Currit circa
Ps. 26. 6. aras Ecclesia, facit circulos & circuitus, ut & dicere queat. *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis*: & tandem hostia consecrata, regem meum Salomonem coronavi. Quo die? *In die desponsationis illius, & lætitiæ*: dies Communionis, dies desponsationis, dies Eucharistiæ, dies lætitiæ. Non violat Sabbatum Eucharistia, cum sit requies nostra, *A fructu frumenti, & vini multiplicati fideles in pace Christi requiescunt*: requies Christi in
Ioann. 6. 58. nobis est, & nostra in Christo. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Medicina.

XIII. Ceruus, cum vulneratum se sentit, statim currit ad aquas: & instar cerui cum esset David, affectus vulneribus recurrebat ad Deum.
Ps. 41. 2. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Quis iste Deus fortis vivus est, nisi Christus, & quidem in Sacramento Eucharistiæ? Cum
Ps. 6. 3. vivus esset inter homines, infirmus erat, & Patri suo dicebat. *Miserere mei*
Isai. 53. 10. *Domine, quoniam infirmus sum*; dicebat & de eo Isaiàs. *Dominus voluit conterere eum infirmitate*, ex infirmitate crucifixum prędicat Paulus. Tunc temporis factus est fortis, cum adhuc vivus & infirmus seipsum consecravit: quandoquidem consecratus, nec passioni, nec morti subiectus est. Hunc Deum fortem appetebat David, ut acceptis vulneribus medicinam adhiberet: nec mirum, cum lib. 2. de verb. Dom. Serm. 5. dicat Augustinus. *Qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est, cæleste, & venerabile Sacramentum.*

Honorata medicina. Seneca lib. 1. de Clement. *Medicina*, inquit, *apud ægros usus, apud sanos honor est.* Cum igitur Eucharistia medicina sit, habet utrumque, habet usum apud ægrotos, apud sanos honorem. Omnes quidem mortales ęgrotamus.
1. Io. 1. 8. *Si dixerimus quia peccatum non habemus: ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, nobis velut infirmis convenit vsus Eucharistiæ. Omnes quotquot iam in cælo facti sunt salui, omnino sani sunt, & ijs honor Eucharistia est. Quapropter dicit in Missa Sacerdos, *Suscipe Sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, Resurrectionis, Ascensionis Iesu Christi Domini nostri: & in honore B. Mariæ semper Virginis, & Beatæ Ioannis Baptistæ, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & istorum, & omnium Sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem.* Salus quidem omnium est, & eius usus non solum vivis, sed etiã ipsis mortuis proficit, quando locum refrigerij, lucis, & pacis, animabus defunctorum indulget. Honor quidem est omnium benè valentium, non tantum hominum, & Angelorum, sed etiam ipsius Dei, quandoquidem in divinam eius gloriam hoc Sacramentum conficitur, & offertur.

Medicina Christi. Eucharistia medicina Christi est, sub qua tectam nobis præbet carnem suam, ac simul pretiosum sanguinem, ne sacram medicinam horreamus. Benè Theophil. in c. 14. Marc. *Quia panis, & vinum ex ijs sunt, quibus assuevimus, ea non abhorremus: sanguinem vero propositum, & carnem videntes non ferremus*

ferremus, sed abhorreremus: idcirco misericors Deus nostræ infirmitati condescendens speciem quidem panis, & vini servatā in virtutem carnis, & sanguinis trāselementat: Aiunt, ut lib. 3. de Ira Seneca refert, Medicum cum regis filiam curare deberet, nec sine ferro posset, dum tumentem mammam leviter fouet, scalpellum spongia tectum induxisse. Repugnasset puella remedio palàm admoto, eadem, quia non expectavit, dolorem, tulit. Novit bonus medicus Christus hominum conditionem, novit & infirmitatem eam esse, ut sine carne & sanguine ipsius sanari nequirent. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*. Quid ergò fecit? dum infirmum leniter fovet. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, corpus & sanguinem tectum accidentibus panis & vini, largitus est. Repugnasset homo remedio palàm admoto, dixissetque, *durus est hic sermo, & quis potest eum audire*? Ne hoc diceret, occultavit carnem, & sanguinem, applicuit homini, cum minus expectavit, & infirmus convaluit. Ioan. 6. 54 Ioan 13. 1 Ioan. 6. 61

Eucharistia medicina brevis, & facilis est: Medicina quondam paucarū fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paulatim, deinde in hanc pervenit multiplicem varietatem. Nec est mirum, tunc illam minus negotij habuisse, firmis adhuc, solidisque corporibus, & facili cibo, nec per artem, voluptatemque corrupto. Contigit hoc ipsum in medicina spirituali, quę sub lege naturæ paucorum præceptorum erat, deinde vero pervenit in illam multiplicem varietatem præceptionum, victimarum, & hostiarum, quas lex Mosis præscribebat hominibus; per mille vitia corruptis. Venit tandem Christus, ut de peccato damnaret peccatum in carne sua, nostramque reformaret naturam: iam vero reformata non indiget multis medicamentis, sufficiunt facilis cibus, & potus carnis, & sanguinis Christi. Quod si renovata per Baptismum natura, iterum per scelera corrumpatur, reliquit Christus Sacramentum Pænitentiæ, quo rursus reparetur, & reficiatur, & tunc temporis facili isto remedio utatur, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*. Quia vero Corinthiorum multi, prius se non renouabant per Pænitentiam, sed accedebant ad Eucharistiā sine debita dispositione, debilos erant, infirmabantur, moriebantur. *Medicina brevis & facilis.*

Eucharistia medicina perfecta est. August. lib. de vera Innoc. c. 31. *Sicut sunt duo officia medicinæ, unum, quo sanatur infirmitas, aliud, quo custoditur sanitas: ita sunt duo dona gratiæ, unum quod aufert carnis cupiditatem, aliud quod facit animæ perseverare virtutem* Hæc duo officia exercet, & hæc dona præbet nobis Eucharistia. Sanat animæ infirmitates, *Panis cor hominis confirmet*: custodit sanitatem, quatenus efficit, ut maneamus, & perseveremus in Christo, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*. *Medicina perfecta.* Ps. 103. 15 Ioan. 6. 55

Hæc lex medicinę est, ut & infirmus iubeat medicum venire ad se, & medicus ęgroto præcipiat, quid facto opus sit. Quamobrem Seneca lib. 6. de Benef. ait, *Itaq; medico, qui nihil amplius, quam manum tangit, & me inter eos, quos perambulat ponit, sine ullo affectu facienda, vitandave præcipiens, nihil amplius debeo, quia me non tanquam amicum vidit, sed tanquam imperatorem*. Imperator ęger est, qui medicis imperat iuxta illud Varronis. lib. 1. de Rep. Rom. *Coloni habent anniversarios vicinos, quibus imperant, medicos, fullones, fabros*. Hæc quoque lex in Eucharistia servatur: imperator est homo debilis, & infirmus, qui per verba consecrationis iubet de cælo venire Christum in mundum, venit Christus ad imperium Sacerdotis, & vicissim iubet ipse. *Comitas Christi.*

Hæc

Hæc quotiescumq; feceritis in mei memoriam facietis. Venit quidem Christus non solum nomine sacerdotis, sed etiam cæterorum fidelium offerentium vocatus, omnes Christo imperant, & omnibus ipse præcipit, & iniungit medicinam suam, cui singuli dicunt ante Communionem. *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur anima mea.* Divinus hic medicus non solùm tangit manum, sed animam, perambulat aras, perambulat crates communicantium, & quidem cum magno affectu, & cum summa charitate videt, & invisit amicos. Iuxta proverbium, *Amicus usq; ad aras*, & Christus amicos suos laicos ad aras, sacerdotes vero intra ipsas aras ponit. Magnum hoc beneficium, magnum debitum.

Ps. 115. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?*

Euchari-stia sumi-tur de ma-nibus Christi. Hæc lex medecinæ Eucharisticæ est, ut ex Christi manibus accipiatur. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno, Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Quamobrem Christus pridiê quam pateretur accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, levatisque in cælum oculis Patri omnipotenti gratias agens,
Ps. 144. 15 benedixit, fregit, dixitque Discipulis suis dicens: *Accipite, & manducate ex hoc omnes.* Simili modo postquam cænatum est, accipiens in sanctas ac venerabiles manus suas præclarum Calicem, & rursus agens gratias, benedixit, deditque Discipulis suis dicens. *Accipite, & bibite ex eo omnes.* Medicus quidam ægrotanti dederat pharmacum, eoque sumpto convaluit ægrotus. Evenit, ut aliquantô post idem morbus recurreret, ægrotus, cum ad idem pharmacum, quo prius convaluerat, confugeret, nec sentiret remedium, accersit medicum admirans quî factum esset, ut eadem medecina, quæ prius depulisset morbum, postea magis aggravaret? Huius rei causam sciscitanti, medicus facetè respondit. *Fateor idem fuisse pharmacum, sed ideo non profuit, quia ego non dedi.* Sentiens medicorum esse dare pharmaca, qui norunt quando, & quomodo dandum. Quæ prosunt iuveni, nocent seni: & contra, quę cælo tepido iuvant, frigido lædunt. Medicus Christus est, qui nouit quando danda sit Eucharistia. *Tu das illis escam in tempore opportuno.* Tunc prodest medicina Eucharistiæ, cum per manus eius venit, venit autem per eius manus, cum eius vicarius, qualis est confessarius, monet esse communicandum. Quod si pænitens, pro arbitratu suo sumat Eucharistiam, & remedium non sentiat, quod alias experiebatur, cum tamen idem esset Sacramentum, a Christo sibi dictum esse putet, Fateor idem pharmacum fuisse, sed ideò non profuit, quia ego non dedi. Nec tamen ille, qui cepit, & non profecit, derogat medicinæ vel medico; *Medicus*, ut inquit Quintilian. lib. 2. Institut. cap. 17. *sanitatem ægri petit, si tamen aut valetudinis vi, aut intemperantia ægri, aliove casu summa non contingit: dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicina fine non excidit.*

Arma.

XIV. Militaris Ecclesia est, & eius armamentarium sacramentorum septennarium est, proinde Tract. de Symbol. cap. 1. dicit, & monet Augustinus. *Optimi jam tyrones Dei, fortes milites Christi, dum arma sacramentorum suscipitis, pugnam adversus diabolum indicitis: dum eius operibus renuntiatis, vehementius in vos eius furias provocatis. Sed non metuat miles Christi: induemini enim ipsum Iesum Christum, ut per eum velociter superetis adversa-*

rium

sarium vestrum diabolum. Licet reliqua Sacramenta pulchra sint arma fidelium, pulchriora sunt arma Eucharistię, quæ terrena non sunt, sed potius cælestia, cum dicat Ecclesia. *Sacramentis Domine, muniamur acceptis, & Sanctorum Martyrum tuorum Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apuleij intercessione contra omnes nequitias irruentes armis cælestibus protegamur.*

Contigit Ecclesiæ cum armis carnalibus Synagogæ, quod contigit Davidi cum armis regis Saulis, egressuro ad ineundum prælium cum Philistheo: indutus est armis Saulis, & incedere non poterat, sicut etiam Ecclesia pressa pondere, & onere antiquæ legis, cum esse inciperet, & uti vellet ritibus eius, gradum facere non poterat. Quamobrem Petrus totius Ecclesiæ caput nomine ipsius ait Act. capitulo 15. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Exvit se David armis Saulis, exuit se Ecclesia cæremonijs Synagogæ: accepit David arma sua baculum, peram, lapides, & fundam, & prostravit Philistheum, accepit & arma Sacramentorum suorum Ecclesia, victoriamque de hoste reportavit. Hæc sunt arma spiritalia, quibus induta Ecclesia dicit, quod 2. Corinth. 10. scripsit Paulus, *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam:* Hæc arma Sacramentalia sunt, sed præsertim Eucharistica, quibus armata Ecclesia destruit munitiones errorum, & omnem elationem hæreseos, & redigit in captivitatem mentem humanam. *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.* Omnem vero inobedientiam vlciscitur, quando volentem indignè communicare pellit, & excommunicat. *Arma Ecclesiæ.*

Hæc veri Davidis arma sunt. Arma Davidis baculus, pera, lapis, funda. Baculus veri Davidis est, ubi Eucharistia est, *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt, Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Conveniunt inter se mensa Eucharistiæ virga crucis, & baculus pastoris nostri, unde fit, ut Crux debeat esse præsens in altari, & toties Sacerdos signo Sanctæ Crucis non solum seipsum muniat, sed etiam benedicat oblationem. Cum accipit Hostiam, & Calicem, signum Crucis efformat, & cum præbet sacram Communionem, hunc eundem ritum servat. Ubi Eucharistia est, pera Christi etiam est. Pera saccus, & Christi saccus humanitas est, *Concidisti saccum meum: & circumdedisti me lætitia*, pera hæc est, *Caro meis vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Lapis deesse non potest, si non desit Eucharistia, *Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra mella saturavit eos.* Quod si funda à fundendo dicitur, & Christus dicit, *Hic est Calix sanguinis mei, qui pro vobis & pro multis effundetur*, usus quoque fundæ in hoc Sacramento est. Accipiamus armaturam istam, & simul documentum, ac monitum Augustini libro contra quinque genera hęreseos circa princip. *Promissus dies pugnæ illuxit, nos quoque impigrè ad certamen, Domino iuvante, processimus. Adiutorium nostrum à Domino, qui fecit cælum & terram. Donabit certanti victoriam, qui certandi donavit* *Virga & baculus.* *Ps. 22. 4.* Ps. 92. 12. Ioa. 6. 56. Psa. 80. 17.

navit audaciam, Non nos hostium turba, non nos bellantium revocet forma, non quasi fulgentia vitrea terreant arma. Goliam magnum, robustum, terribilem, ingentique turba munitum, David solus puer paruus atq; inermis uno lapidis ictu prostravit, totaq; Allophylorum castra turbavit, atq; fugavit. Uno quidem ictu Eucharistiæ Princeps mundi huius deijcitur, & vincitur totus mundus. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*: fidei vero nostræ mysterium
1.Ioa.5.8. Eucharistia est.

Arma hæc non sunt carnalia, sed spiritalia. *Verba, quæ ego locutus sum*
Arma spiritalia. *vobis, spiritus & vita sunt.* Habemus intra nos perpetuam luctam, *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem.* Caro contra spiri-
Ioa.6.64. tum quatuor elementis armatur, habet in se terram, ut spiritum gra-
Gal.5.15. vet, & deprimat: habet aquam, ut illum submergat: continet aerem, ut illum extollat: continet ignem, ut illum comburat. Postquam primus homo peccavit, spiritus mansit inermis, & inermis cum armato corpore certat, inde malum, unde & idem Apostolus ait, *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* Providit Christus de armis spi-
Ro.7.24. ritalibus, quibus spiritus noster munitur, cum carne elementari decertaret, providet de armis Eucharisticis, quæ maiora, & superiora omnibus elementis sunt. Satis benè, satis pulchrè Theophilactus in capitulo 14. Marc. dixit, *Misericors Deus nostræ infirmitati condescendens speciem quandam panis, & vini servans in virtutem carnis & sanguinis transelementat.* Transelementat Eucharistiam, ut nulla illi noceant elementa, & contra omnia spiritus noster virtutem, & armaturam accipiat. Etenim spiritus armatus Eucharistia, terrena non curat, fluxas voluptates contemnit, non inflatur vento superbiæ, extinguit omnem ignem concupiscentiæ. Quapropter Bernardus Sermone in Cæna Domini congruenter rogat, ac simul respondet, *Quis poterit tam efferos motus frangere? Quis pruritum vlceris ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis, Sacramenti Dominici corporis, & sanguinis pretiosi investituram habetis.* Investitura nostra, & armatura nostra Eucharistia est, & quidem talis est spiritalis armatura, ut in eius commendationem cum Augustino libro de Salutaribus documen. cap. 12. dicere possimus. *Hæc sunt arma, quæ animos nostros confortant, & muniunt, atq; nobilitant: hæc sunt arma, quæ nobiscum sunt & intra nos, Deo donante.*

Hæc arma lucis sunt. Armavit nos Christus contra principes tene-
Arma lucis. brarum, quibus cum nobis continua lucta est, *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & rectores te-*
Ephes. 6. 12. *nebrarum harum.* Cum venimus ad altare, & accedimus ad Communionem, cogitemus procedere nobis obuiam Paulum Apostolum, dicentem, ac monentem: *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur ar-*
Rom. 13. 12. *ma lucis, sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs: non in contentione, & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum.* Dixerat prius Paulus: *Induamur arma lucis*, & deinde, *induimini Dominum Iesum Christum*, ut lucis armaturam in Christo ipso sitam esse cognosceremus. Huc spectat, quod Psalmo secundo legimus. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, Apprehendite disciplinam*: versiones duæ aliæ aiunt, *armamini filio, armamini frumento.* Filio Dei armamur & frumento, cum sumimus Eucharistiam, ut to-

ut tenebrarum omnium principi bellum inferamus: *Tanquam leones igitur ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus facti diabolo terribiles,* ut homilia 61. ad pop. nos monet Diuus Chryſoſtomus. Nec ſilentio præteundum cenſeo, quod David reges, ac iudices prius timidos, ac trepidos velit, antequam ſumant Euchariſticam armaturam. *Servite Domino in timore,* Pſal 2.11. ait, *& exultate ei cum tremore,* & deinde, *armamini filio.* Magnanimus Cæſar Carolus quintus, cuius ea conditio erat, ut antequam ſe armis indueret, metueret, ſed ſumptis armis reſumebat animos, & Leo Hiſpanus erat, quemadmodum ſcriptores tradiderunt. Cum timore ac tremore communicandum eſt, ſed poſtea, *Tanquam leones ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles.* Simus omnes inſtar Davidis, & ſinguli cum eo dicamus. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea:* Pſal.26.1. *quem timebo? Dominus potector vitæ meæ: à quo trepidabo? Dum appropiant ſuper me nocentes; ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei: ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt. Si conſiſtant adverſum me caſtra: non timebit cor meum. Si exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo.*

Hæc arma cæleſtia ſunt, quibus adverſus omnes nequitias irruentes, *Arma cæleſtia.* Eccleſia militaris protegitur. Cælum ipſum militare eſt, & eius aſtra ſemper in caſtris ſunt, ſervant ſtationes ſuas, & bellum gerunt. *Stellæ* Iud.5.20. *manentes in ordine, & curſu ſuo adverſus Siſaram pugnarunt.* Credamus & Plinio libr. 2. Hiſt. cap. 57. *Armorum crepitus, & tubæ ſonitus auditos è cælo Cimbricis bellis accepimus, crebroſq; & prius, & poſtea. Tertio vero conſulatu Marij ab Amerinis, & Tudertibus ſpectata arma cæleſtia, ab ortu, occaſuq; inter ſe concurrentia, pulſis, quæ ab occaſu erant.* Rarò hæc prodigia ſpectata ſunt, quotidie iam ſpectantur arma cæleſtia ſine crepitu, & ſonitu, ſenſimque pellunt ab ortu uſque ad occaſum arma errorum, quę veritatem carnis & ſanguinis Chriſti deſtruere, & evertere contendunt. His cæleſtibus armis indui, non exui debet miles Chriſtianus, non ſolum quamdiu vivit, ſed etiam quando è vivis decedit, ut ſtipendium accipiat æternæ vitæ. Moris in militia eſt, ut cum milites luſtrantur ad mercedem capiendam, cum armis ſuis appareant. Luctantur in morte homines, ut appareant quales ſint, & qualis meriti, ut pro meritis accipiant ſtipendium æternum. Stipendium, ut ait Iſidor. lib. 16. Orig. cap. 17. *a ſtipe pendenda nominatur. Antiqui enim appendere pecuniam ſoliti erant, magis, quam annumerare.* Penditur æterna vita iuxta illud Paul. *Momentaneum, & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: ac proinde nomen ſtipendij habet. Qui velit illud accipere cæleſtibus appareat in armis: appareat in armis Euchariſticis, *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Ioa.6.60. Æternum pondus, & ſtipendium accipiet per manus S. Michaelis, qui ob hanc cauſam ritè, ac rectè cum trutina, ac bilance deſcribitur.

2. Cor. 4. 17.

Fauus.

LEo de tribu Iuda Chriſtus eſt, mortis eius typus enecatus à XV. Sampſone Leo fuit, cuius cadaver apes elegerunt, ut in eo mi- Iud. 14. randum fauum mellis fabricarent, inde problema Samſonis or- 14. tum habuit. *De comedènte exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo* Problema

blema hoc totum Eucharisticum est, & ita Eucharisticum, ut nullus ambigendi locus relinquatur; quin fauus ille mellis certum fuerit præsagium Eucharistiæ. Exponit prædictum problema Ambrosius in prohæmio libri secundi de Spiritu Sancto, & exclamat, *O divinum mysterium, o evidens Sacramentum, in salutem pericula, in suavitatem amaritudo convertitur. Gratia ex offensione processit, potentia ex infirmitate, vita de morte.* Passus est pericula Christus, & ex eius periculis salus. In
Ioa. 18. 8. medijs periculis erat, & dicebat, *Si me quaritis sinite hos abire.* Hos nimirum, quos ego bonus Pastor paulô ante mea carne, & sanguine paui. Amarus in passione Christus, dulcis & suavis in Eucharistia est,
Ps. 33. 9. *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* Gratia ex offensione processit, bona scilicet gratia Eucharistiæ ex iniurijs, & opprobriis passionis: potentia ex infirmitate, potentia consecrantis ex infirmitate patientis: vita de morte, de crucis morte vita æterna communicantis.
Ioan. 6. 60 *Qui manducat hunc panem vivet in aternum.* O divinum mysterium, o evidens Sacramentum.

Cibus Christi patientis Thren. 3. 30. *De comedente exiuit cibus.* Christus Dominus cum esset in passione sua sacerdos summus, peccata populi comedebat, comedebat etiam opprobria, *Saturabitur opprobriis*: & tandem mortem ipsam gustavit, ac deglutivit. Comestor validus erat: & de comedente valido cibus Eucharisticus prodijt. *Et de forti egressa est dulcedo.* Christus ex infirmitate crucifixus fuit: quî fieri potest, ut de forti fuerit egressa dulcedo?
1. Cor. 1. 25. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*, unde licet Christus infirmus esset in passione, sua virtute, ac fortitudine totum universum superabat. *De amaro egressa est dulcedo*, versio aliorum est.

Datum est acetum Christo, & ex eius amaritudine novit Christus, dulcedinem Eucharistiæ producere. Novit Christus aquas in dulce vinum convertere, novit & acetum in suavem liquorem commutare. Aqua vino contraria est, acetum à vino deficit, & proditoriè vino adversatur. Novit Christus traditionem ac proditionem vertere in Eucharistiam, *Dominus* IESVS *in qua nocte tradebatur accepit panem.* De traditionis amaritudine protulit dulcedinem Eucharistiæ.
1. Cor. 11 23.

Samson similis filio Dei. Patri, & Matri Samson dedit de fauo suo, sed quomodo conditus ille fuisset, parentibus non indicavit, ut similis esset Dei filio, qui
Ioan. 6. 56 genitus ex Iudæis obtulit illis fauum, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*, modum tamen Eucharistiæ non exposuit. Voluerunt quidem Hebræi sapere plus, quam sapere oporteret, dixerunt-
Ioan. 6. 54. que, *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Rogarunt, & peccarunt, non enim rogandum est, quomodo res suas efficiat Deus, nec factorum divinorum ratio curiosè petenda est. Rogant illi, *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?*
Luc. 1. 34. Maria interrogat, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* & nihilominus ille peccant, Maria non peccat. Maria quidem non quærit, quo pacto fit à Deo miraculum Incarnationis patrandum: Sed quomodo possit ipsa tanto cooperari mysterio, cum virgo sit, & virum non noverit. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* De se Maria rogavit, & de se responsum accepit, Iudæi vero non interrogant de se

de se, quomodo dignè queant tantum accipere Sacramentum, sed quomodo Deus possit dare carnem suam ad mãducandum. Si rogassent, quomodo quis dignè posset edere divinam carnem? habuissent illud responsum. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat.* Si quęsissent, quo pacto liceret homini pauperi tantum excipere hospitem? responsum à Christo esset. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo.* Si petijssent, qua ratione terrenus homo sibi vitam divinam acquireret? Audiissent. *Sicut misit me vivens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Si voluissent tandem scire quomodo mortalis homo possit immortalis fieri, satisfactum illis fuisset, dictumque. *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Istæ, & aliæ similes interrogationes bonæ sunt, laudabiles sunt; hæc autem. *Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum?* vitiosa est, ac reprobanda. Comedis fauum, quem apum ministerio tibi natura dedit, nec quęris quomodo sit à natura fabricatus: accipe fauum Eucharistiæ, gusta, nec curiosè scruteris quomodo possit Deus tantum Sacramentum condere, conscientiam potius scrutare, & simul purga, ut suavem hunc cibum sumere, & edere queas. 1. Cor. 11 28.

Fauus olim illustravit oculos Ionathæ, quemadmodum 1. Reg. cap. 14. traditum est, *Ingressus est itaq. populus in saltum, & apparuit fluens mel, nullusq. applicuit manum ad os suum, timebat enim populus iuramentum. Porro Ionathas non audierat, cum adiuraret Pater eius populum: & convertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Prius gustavit, & deinde sunt illustrati oculi eius. Fauus quoque Eucharisticus hoc ipsum habet, ut prius edendus sit, & deinde lumen ab eo sit sperandum & accipiendum, *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*: gustare prius oportet, quam videatur Eucharistia: accedere prius oportet ad Communionem, quam homo illuminetur, *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Moris est, ut quos cibos comedimus, prius visus illos examinet, antequam veniatur ad gustum, fauum vero Eucharisticum præire visus non debet, nec debet examen eius subire: *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem.* *Eucharistia illuminat oculos.* Ps. 33. 9. Psa. 33. 6.

Fauus componitur ex melle, & cera. Cera quidem fovet lumen, & hoc Sacramentum fouet lumen fidei. Si desit cera lumen candelæ extinguitur, si desit hoc Sacramentum, cum mysterium fidei sit, fides pereat, necesse est: unde hæresis ex negatione Eucharistiæ promanavit. In Templo veteris legis oleum, non cera lumen fovebat: in Ecclesijs vero nostris cereæ candelæ semper ardent in altari, dum mysteria celebrantur, ut quod cera luci candelæ præstat, lumini fidei Eucharistiam præstare dignoscamus. Fovetur & animatur in candelis per ceram lumen, animatur etiam, & fovetur per Eucharistiam fides, & idcirco sapienter Ecclesia fidem animosam vocat, quando canit de Eucharistia, *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides.*

Fauus opus est multarum apum; Ad componendam ergo conficiendamque Eucharistiam convolant excellentię divinæ. Convolant instar apum, charitas, misericordia, sapientia, potentia, iustitia, virtus, ac fortitudo Dei, reliquumque examen attributorum divinorum. Præcedit charitas, *in finem dilexit eos*: adest misericordia: *Memoriam fecit mirabilium* *Excellentia Eucharistia.* Ioan 13. 1. Ps. 110. 5.

 suorum

suorum misericors & miserator Dominus. escam dedit timentibus se. Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia eius. Confluit Sapientia, *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Concurrit potentia; *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis.* Convenit iustitia; *Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Coeunt fortitudo, & virtus, virtus quidem. *Panis cor hominis confirmat.* Fortitudo vero, *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Hic est ille panis, in cuius virtute, ac fortitudine venit, & pervenit Elias in montem Dei. Quod si fauum ex floribus apes legunt, excellentiæ quoque divinæ habent in Christo ipso multos flores, unde colligunt Eucharistiam, cum de illo dicat Pater; *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni:* & asserat de seipso. *Pulchritudo agri mecum est.* Totus floridus est, & totus flos, *Ego flos campi, & lilium convallium,* ac proinde totus mellifluus & melleus.

Prou. 9. 1. Luc. 1. 15. Ps. 103. 16 Gen 27. 27. Psa. 49. 11. Cant. 2. 1

Euchari-stia simi-lis militia

Fauus species quædam castrorum est. Ambros. lib. 5. Exam. cap. 21. *Quid enim est aliud fauus, nisi quædam castrorum species?* Fauus Eucharisticus nisi bellica castra referret; David non diceret, *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Tunc temporis apparent Eucharistica castra, cum circa hunc dulcissimum fauum instar examinis apum fideles assistunt, assistunt & Angeli, qui Principem militiæ suæ comitantur è cœlo venientem, vigilias agunt, & corpus eius custodiunt. Quod si speciosa res est videre castra, pulcherrima res castrensem contemplari Eucharistiam. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Psal. 21. 5. Zach. 9. 17.

Euchari-stia omni-bus data.

Fauus communis est cibus sublimibus, & abiectis, Regibus, & subditis, Dominis, & servis: Ambros. iam allegatus, *Fauus ab omnibus desideratur, & quæritur, nec pro personarum diversitate discernitur, sed indiscreta sui gratia Regibus pariter & mediocribus æquali sua arte dulcescit.* Sublimes Angeli sunt, abiectus homo, nihilominus tamen communis est utrique fauus, *Panem Angelorum manducavit homo.* Cibus est regius, *Pinguis est panis Christi, & præbebit delitias Regibus*: cibus est pauperum subditorum, *Edent pauperes, & saturabuntur.* Cibus magnorum est, *Cibus sum grandium,* dixit Christus Augustino: cibus quoque servorum humilium est, *O res mirabilis! manducat Dominum servus pauper & humilis.* Cum fauus communis sit, sapientia divina non unum vel alterum, sed omnes invitat ad epulum, *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini: spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum.*

Ps. 77. 25. Ps. 21. 27. Eccl. 24. 26.

Euchari-stia est sa-lutaris

Fauus non solum dulcis, sed etiam salutaris est. Ambros. rursus ait, *Nec solum voluptati, sed etiam saluti est. Fauces obdulcat, & curat vulnera, internis quoque medicamentum infundit ulceribus.* Ad sumendam Eucharistiam puta te invitatum a Salomone cap. 24. Proverb, cum dicit. *Comede fili mi mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo.* Nec solum fauces dulces, ac suaves reddit, sed etiam vulnera sana reddit, cum lib. 2. de verb. Dom. Serm. 5. dixerit Augustinus; *Qui vulnus habet, medicinam requirit, vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est cæleste, & venerabile Sacramentum.* Ulcera interna sunt, lex interna culpæ, & fomes peccati, pro quibus medicamen est Eucharistia, quemadmodum lib. 4. in Ioan. cap. 17. tradit Cyrill. *Sedat, cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem; pietatem corroborat; perturbationes animi extinguit.*

Cum

Cum fauus mellis Eucharistia sit, necesse est, ut labia consecrantis Ecclesię distillent, & fundant fauum, quando verba consecrationis enuntiant. *Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua.* Ecclesia, cuius labia fauum istud non proferunt, vera non est, hæretica est. Cum fauus mellis Eucharistia sit, quoties Ecclesia communicat, fauum manducat, *Comedi fauum cum melle meo.* Fauus cum melle verus cibus est, verus potus est: & de melliflua sua Eucharistia dicit Christus, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Pransa, & pota fauo suo Ecclesia: statim invitat familiares suos ad escam, *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Desiderat ut usque ad satietatem fauum illum gustemus. Satiatur Ecclesia & inebriatur. *Satiasti, Domine, familiam tuam muneribus sacris:* saturantur & eius amici. *Edent pauperes, & saturabuntur,* nec tamen hîc locum habet illa sententia. *Anima saturata calcabit fauum.* Fauus iste cælestis est, & eius delitiæ cælestes sunt, spirituales sunt, *Deliciæ* autem *spiritales,* ut docet Gregor. hom. 36. in Euang. *augent desiderium in mente dum satiant: quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod auidius ametur.* Facessat hinc ille aphorismus medicorum. *Omnis saturitas mala, pessima vero panis.* Omnis saturitas cælestium voluptatum bona est, saturitas vero panis, & faui sacramentalis optima est.

Labia cōmunicantis. Cant. 4. 11. Cant. 5. 1. Ioann. 6. 56. Ps. 21. 27. Pro. 27. 7.

Mel.

XVI.

CUm Christus nascitur, meritò canit Ecclesia, *Hodie melliflui facti sunt cæli.* Cęlos consulunt astrologi, ut cognoscant, & euulgent genium, & ingenium infantum, qui proferuntur in lucem. Cælorum oraculum Sancta consultat Ecclesia, & ex eorum illapsu colligit, & enuntiat melleum esse, mellifluum esse infantem, qui nascitur. Mellis liquorem modò candor, modò rubor venustat, & utroque melleus puer decoratur, *Dilectus meus candidus, & rubicundus:* candidus est divinitate, rubicundus vero humanitate, cuius mel rubrum, ac roseum nobis in Eucharistia præbetur, cum scriptum sit, *Cibavit eos ex adipe frumenti: & de petra melle saturavit eos.* Delibutus istius mellis dulcedine lib. Contemplat. Christi cap. 12. D. August. exclamat, *O Charitas Deus meus, mel dulce, & lac niveum! cibus es grandium, fac me crescere in te.* Hoc eodem melle Iustinian. de casto connub. cap. 24. recreatus ait. *In hoc Sacramento quædam vivificantis spiritus, & melliflua suavitatis degustatur emanatio.* Prȩfatum mel rubeum est, cum sit caro, & sanguis Christi.

Cant. 5. 10 Ps. 80. 17.

Nemo est, qui nesciat præmaturam Iosiæ mortem fuisse olim lamentabilem, quam Ieremias Propheta in Threnis, & lamentationibus deploravit. Licet eius obitus tristis ac lugubris toti eius regno fuerit, nihilominus eius memoria quam fuerit grata & iucunda, Ecclesiast. cap. 49. declaravit. *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & ut musica in convivio vini.* Quam fuerit mæsta, ac deplorabilis mors Christi, non solum filiæ Ierusalem lamentantes declarabant, sed terræ lapides, qui præ dolore confracti sunt, velum templi, quod a summo usque deorsum disruptum est, & quod amplius est, cælum ipsum, quod totum tenebris obductum, & caligine totum atratum est. Noverat Christus dolores, & merores, qui futuri erant in morte, & passione sua, & ut eius memoria læta, & iucunda foret, in memoriam

Memoria Christi.

moriam sui condidit Eucharistiam. *Hæc quotiescumq; feceritis in mei memoriam facietis.* Hæc memoria quam sit iucunda, & festiva norunt omnes, cum omnibus intimetur, ut epulentur, & exultent in divino conspectu, dicatque cunctis Ecclesia. *Sit laus plena, sit sonora, sit iucunda, sit decora, mentis iubilatio.* Memoria igitur Iosiæ nostri in compositionem odoris facta opus pigmentarij, quatenus in Eucharistia sacrificium est, quod in odorem suavitatis offertur Patri. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, quia Sacramentum est, quod ab omnibus editur. Quasi musica in convivio vini est propter armoniam & consonantiam, quæ est inter panem & vinum, inter carnem, & sanguinem Christi, quem omnes in Eucharistia sumimus.

Bonum mel Eucharistiæ. Prou. 24. 13. Zach. 9. 17. Isai. 3. 10 Psa. 127. 2.

Mel bonum est. *Comede, fili mi, mel, quia bonum est.* Eucharistia quoque bona gratia est. *Quid enim bonum eius est, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Bonum est, quo benè se habet iustus, Miserat Angelos, miserat nuntios suos Deus, ut significarent aliquando iustum benê habiturum. *Dicite iusto, quoniam benè.* Hoc ipsum, quod Deus olim promiserat, implevit in Eucharistia, *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es: & benè tibi erit.* Sancti sunt in cælis beati, quia summo bono fruuntur: beati quoque sunt eodem fruentes bono communicantes. Beatis benè in cęlo est, est etiam & benè mel Eucharistiæ comedentibus. Comede igitur mel Eucharisticum, non solum quia bonum est, sed etiam quia benè habebis, & benè tibi erit.

Mel non offerabatur in antiqua lege

Mel ex divino pręcepto arcebatur ab antiquis sacrificijs. Levit. cap. 2. quid hoc sibi vellet explicat in eum locum Isidor. *Indicat apud Deum nihil placere, quod non habeat mordacis aliquid veritatis.* Mel autem Eucharistiæ, veritatem in se habet, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verê est potus.* Satis mordax hæc veritas est, cuius morsum ferre non poterant illi, qui dicebant, *Durus est hic sermo, & quis poterit eum audire.* Mordax quoque Eucharistia est indignè communicantibus, *Mors est malis, vita bonis.* Conscientię remorsus, qui post indignam Communionem vexant animam, satis declarant Eucharistiam esse mordacem, & esse talem Apostolus Paulus pronuntiat; *Qui enim manducat, & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit non dijudicans corpus Domini.*

Ioan. 6. 16

1. Cor. 11 29.

Euchari-stia cibus hominis est,

Mel cibus hominis est, cera vero ignis, & flammæ alimentum est, unde & Isaias cap. 7. dicit. *Mel manducabit omnis homo.* Omnis homo mel Eucharisticum edit, quia credit Christo dicenti, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Qui vero non credit hęreticus est, & consequenter non tam homo, quam animal censeri debet, cum de hæreticis Iuda Apostolus scribat. *Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Hi profecto sunt, qui segregant se ab Ecclesia Dei negantes veritatem corporis & sanguinis Christi, affirmantesque panem, & vinum nobis reliquisse Christum veluti typum, & imaginem inanem carnis, & sanguinis, quem pro nobis effusurus erat. Non sunt homines, sed animales, qui hæc verba non percipiunt, *Hoc est enim corpus meum, Hic est Calix sanguinis me;* quæ quidem verba veritatem sonant, non figuram, mel dicunt non ceram. Fatuus cereus simulacrum mellis est, mel manducabit homo fidelis, hæreticus vero simulacrum cerę sumet, ut factus cereus, fiat pabulum ignis æterni. Væ Calvinistis, væ Arminianis, væ Gomaristis; *Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore semetipsos pascentes, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.*

Iude 19.

Mel

Mel aliorum ciborum condimentum est. Ita revera contingit, ut esca aliàs insipida mellis infusione, & admixtione dulcis, & sapida fiat. Noverat Christus rem insipidam esse crucem, rem amaram esse passionem, condire voluit melle Eucharistiæ, condivit, & ecce *dulce lignum, dulces clavos*. Omnes ad labores nati sumus, & omnes in laboribus versamur, & ut ærumnas vitæ nostrę suaves, ac dulces redderemus, providit nobis Christus de melle Eucharistiæ: quod si semel laboribus nostris adiungatur, & infundatur, haud dubium gratissimi nobis erunt. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit*. Laboras inopia, & paupertate, ægritudine, & ignominia, recurre ad Communionem certus, quod post illam dulcescent tibi omnia, quæ antè insipida, & amara videbantur.

Eucharistia condimentum est. Ps. 127. 2.

Mel prius de rore, postea vero de rore & floribus legitur Isidor. lib. 20. Orig. cap. 2. *Antea de rore mella erant, inueniebanturq; in arundinum foliis, unde Virgilius, Hactenus aerij mellis cælestia dona.* Ante Christi Domini adventum mella de rore erant, ros autem eloquium Dei iuxta illud, *Fluat vt ros eloquium meum*, inde mel suum collegit David, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* In folijs arundinum Synagogæ dulcis iste liquor formabatur, donec Christus à cælis descenderet, & mel Eucharisticum ex rore & floribus mirabiliter fabricaret. Ex verbis, & rebus constat venerabile Sacramentum, verba sunt eloquia Dei, *Hoc est enim corpus meum. Hic est Calix sanguinis mei*: res vero sunt corpus & sanguis Christi, quatenus sub formis accidentalibus latent. Sermo Dei consecratorius cælestis ros est, *fluat ut ros eloquium meum*: caro Christi, & sanguis eius patriam habent Nazareth, urbem florum, matrem habent Virginitatis florem, & caro ipsa, & sanguis ipse flos est, cum Ambros. in Ps. 118. Serm. 14. dixerit. *Bona pascua divina Sacramenta sunt, carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis, carpis illic lilium, in quo est splendor æternitatis, carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem.* Conficitur itaque mel Eucharisticum ex rore verbi cęlestis, & floribus corporis, & sanguinis Christi. Pręviderat mysterium hoc cæcus Isaac, ac proinde cum filio suo Iacobo præoptaret mel istud sacramentale, meminit florum, & roris; florum cum dixit, *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni*: roris vero cum ait *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ*, nimirum, *abundantiam frumenti & vini*: hoc est mel sacramentale, & Eucharisticum. De apibus, ut scribit Seneca epist. 84. non satis constat, *utrum succum ex floribus ducant, qui protinus mel sit, an quæ collegerint in hunc saporem mixtura quadam, & proprietate spiritus sui mutent.* Christus Eucharisticum suum mel conficit ac perficit proprietates divini spiritus sui communicando. unde & exclamat Ecclesia; *O quam bonus est Domine spiritus tuus qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares pane suavissimo de cælo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.* His mel amarum est, nec mirum, quia ut ait idem Seneca epist. 109. *Esse debet quis ita aptatus lingua, palatoq; ad mellis gustum, ut ille tali sapore capiatur, non offendatur. Sunt enim quidam quibus morbi vitio mel amarum videatur.*

Florida & rorida Eucharistia est. Deut. 32. 2. Psal. 118. 103. Gen. 27. 27.

Mellis amanti dat duo monita Salomon, primum est illud, *mel invenisti, comede, quod sufficit tibi*: illud vero alterum est, *sicut qui mel multum comedit non est bonum, sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria.* Monet imprimis Salomon, ut unusquisque sufficientiam suam consulat, & quantum illa exigit, tantum de melle comedat. Numerus Communionum, qui sufficit fœminæ coniugatę, non sufficit virgini, & viduæ, & qui convenit laico, nō convenit ecclesiastico, quique par & ęquus est sęculari, nec par, nec ęquus est viro

Amator Eucharistiæ monendus. Pr. 23. 18.

est viro religioso: pro conditione igitur personarum, & statuum esse debent Communiones, & unicuique pro suæ vitæ ratione dicitur. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi.* Monet secundò Salomon, ut cum eadem parsimonia quis se habeat circa maiestatis inquisitionem, ac se habet circa mellis comestionem. Sacramentum mellis nobis reliquit Christus, ut temperatè illud accipiamus, & parsimonia, quam in communicando servando nos instruat, & doceat, ne maiestatem sub speciebus panis, & vini latentem perscrutemur, imò potius caveamus, ne à tanta gloria opprimamur.

Vbera.

XVII. Isai. 9.7. Nomina chara sunt Pater, & Mater, & tam unum quam alterum convenit Christo pijssimo redemptori, *Vocabitur nomen eius, Admirabilis, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi,* Hæc Isaias, cuius etiam ore Isai. 66.12 Christus declaravit maternas se vices acturum, *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini.* Paternas vices Christus in Sacramento Eucharistię remittit æterno Patri, cui prolis Matt. 6.9 dicit, *Pater noster, qui es in cælis sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cælo, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Maternas partes reservavit sibi Christus, qui nobis ubera sua prębet in Eucharistia. Benè Chrysost. hom, 83. in Matth. *Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus; sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nobis sibi coagmentat.* Rursum, & rursus benè Chrysost. *Nonne videtis quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoq; alacritate ad hanc mensam, & ad ubera poculi spiritalis: quinimo cum longè maiori trahamus, tamquam infantes lactentes spiritus gratiam.*

Mystica petra Christus. Rogat cap. 18. Ieremias, *Numquid deficiet de petra agri nix Libani?* Ambros. lib. 1. de Virginibus legit cum alijs multis, *Numquid deficient de petra ubera?* & mysticam hanc petram Christum esse declarat, *Petra*, inquit, *iuxta Apostolum, Christus: ergo à Christo non deficiunt ubera.* Numquam deerunt Christo ubera, quia numquam Eucharistia deficiet, Matt. 28. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi.* Petra firmitatem, & stabilitatem dicit, unde & Christus ait Simoni. Matth. 16 17. *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non praualebunt adversus eam.* Non igitur deficient ubera Eucharistica Catholicis, quoniam ubera sunt petrę, petra autem Christus est. Mater quoque Dei Virgo perpetua est, ac proinde petra dicitur, Isai. 16.1. *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Qualis erga filium mater, talis filius erga nos, ut ubere de cælo semper nutriat, semper lactet.

Osculum Eucharistia. Cum accedit anima ad Eucharistiam, haud dubium dicit, *Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Certe, certe non auderet petere osculum, nisi ubera materna dedissent, & posuissent illi animos. Petitionem illam suam, Cant. 1.1. *Osculetur me osculo oris sui*, adornat, & excusat simul sequentibus verbis, *Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia: unguentis optimis.* Ac si dicat. *Si altum sapere videor, tu fecisti? O sponse, qui in dulcedine uberum tuorum tanta me dignatione lactasti? quatenus*

omni

omni metu, tui charitate, non mea temeritate depulso, audeam plus forte, quam expediat, Audeo sane pietatis memor, immemor maiestatis. Hęc Bern. super Cantic. Serm. 9. si Regem regum, & summæ maiestatis Deum in Eucharistia consideret; timeat, & tremat necesse est. Si matrem esse perpendat, materna ubera offerentem, & dicentem. *Quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite*, accedet ad ubera, & osculum petet, quod certè certius impetrabit. Etenim Regina suprema, quę paruula non negat ubera, poscenti paruulo non debet osculum recusare. 1. Pet. 2. 2.

Meliora sunt ubera tuo vino. Regnat in vino luxuria: in uberibus tuis sedem suam habet virginitas. Vinum extra se homines ponit: ubera tua homines, ut melius sapiant, ad se reducunt. Vinum lac senum est, quo nutriuntur, & aluntur, senes tamen perseverant: ubera tua sunt talia, ut eorum lacte senes omnes iuvenes redeāt, *Introibo ad altari Dei, ad eū, qui lætificat iuuentutem meam*. Ostendit Christus ubera sua mense Martio, quando iuuenescunt, quando refloreſcunt omnia, ut vel ex ipso tempore virtutem istam Eucharistiæ colligamus. *Flagrantia unguentis optimis*. Optima unguenta sunt Eucharistiæ sacrosanctæ, quæ cælos implet odore suavitatis, quę fragrantia sua trahit ad se omnes homines. *Curremus in odorem unguentorum tuorum*, & exhalatio eius abyssos Purgatorij penetrat, & animas patientes recreat. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*: ergo, ne illam perdant, abigantur. *Sedes virginitatis.* Cant. 1. 2. Psal. 42. 4 Eccl. 10. 1

Ubera Christi amantis tunc cæperunt eminere, *cum dilexisset suos, qui erant in mundo*, tunc penitus protulerunt sese, cum in postrema cęna, *in finem dilexit eos*. Ambros. in Ps. 118. Serm. 22. *Hoc solet symbolum commune omnibus virginibus esse nupturis, ut cum ubera cæperint eminere, tunc coniunctione habiles indicentur*. Non erat habilis divinis nuptijs Synagoga, quoniam ubera eius non eminebant. *Soror nostra parua est, & ubera non habet*. Ubera Christi semper extabant, & ante passionem suam invitabant homines, vt secum facerent coniunctionem. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*. Quæ tunc temporis ubera extabant, exuberarunt vltimę cænæ nocte, quando divitias amoris sui Christus effudit, quando suos in finem usque dilexit, & virtute Communionis secum illos coniunxit. Nec tamen aruerunt post mortem ubera, siquidem ex latere exivit sanguis & aqua. Accidit nuper Bruxellæ, ut mater moreretur, ad cuius ubera pēdebat proles, sed mortuo mater succum lactis non porrigebat, infansque propterea flebat. Non est hoc ab uberibus Christi periculum. *Amor Christi* Ioan. 13. 1 Cant. 8. 8. Ioann. 6. 56.

Ubera paruulis destinata sunt, quapropter ad mammillas Eucharisticas parui, & humiles vocantur. Sapientia, quæ miscuit vinum, & proposuit mensam, *misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis. Si quis est paruulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est, venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*. Non misit Sapientia ancillas, ut lactarent proles paruulas, ipsa mater est, & in se maternum officium suscipit, ac proinde per ancillas internuntias asserit, *Si quis est paruulus, veniat ad me*. Verumenimvero cum inter paruulos argutuli quidam sint, reijcit sapientes, & insipientes admittit. Facessant hinc futiles argutię sophistarum altercantium, & asserentium, *Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum*? Accedat simplicitas & insipientia sancta paruulorum, qui pro sua ignorantia laudabili nec vident, nec capiunt, nec intelligunt, quam accipiunt Eucharistiam, *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat* *Eucharistia paruulorum est.* Pro. 9. 5. Ioan 6. 53

fides

fides præter rerum ordinem. Rudes paruulos vendicant sibi hæc ubera, quandoquidem humilibus piscatoribus, insipientibus, & rudibus primis omnium sui lactis nutrimentum præbuerunt.

Communicatio passionis Christi. Ubera sunt duo, & ut ait in Sententijs suis Bernard: *Duo sunt ubera, Compassio, de qua fluit lac consolationis, qua nutriuntur infirmi: Congratulatio, unde fluit lac adhortationis, unde sustentãtur validi.* Condidit Eucharistiã Christus ut & nos cum illo simul pateremur, communicantes eius passionibus, & ut ipse pariter nobiscum labore & socius in ęrumnis, comes in miserijs. Sapientiam quidem incarnatam, & consecratam postulabat ille, qui dicebat: *Mitte illam de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret.* Nobiscum est, *Ecce ego vobiscum sum:* nobiscum etiã laborat. *Cum ipso sum in tribulatione.* Magna consolatio est in nostris tribulationibus, & morbis talem habere socium. Cum hęc scribo Wesalia iuxta Rhenum miserè, & inopinatè capta est ab hæreticis, qui simul in Eucharistiam & cæteros Catholicos sęvierunt, voluit Christus in occasione præsenti Catholicis suis pijssima ubera ostendere, siquidem cum suis asseclis dira, & immania, horrida visu, & dictu passus est. Condidit Christus Eucharistiam non solum, ut omnes nos suis bonis augeret, & locupletaret, sed etiam ut de eisdem acceptis bonis, ac donis aggauderet nobis, applauderet, & congratularetur. Quid enim aliud Eucharistia est, nisi bona gratia, & bona congratulatio? In hoc Sacramento gratulamur Christo de sua resurrectione & ascensione, congratulatur nobis ipse, quod nos secum suscitaverit, & in cęlum elevaverit, gratulamur Christo de sede, quam apud Patrem habet, ipse nobis gratulatur de mansione, quam nobis Eucharistia donat, *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo.* Quod si gratulamur ipsi de vita, & gloria divina, qua fruitur, vicissim nobis applaudit ipse propter ęternam vitam, in quam certum ius per Eucharistiam acquirimus. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hæc & alia similia verba sunt gratulatoria, & simul adhortatoria, ut materna Christi ubera, unde vim omnem, & robur sugimus, quęramus, affectemus, ac firmiter, teneamus.

Sap. 9.10. Matt. 28. 20. Ps. 90.15. Ioan. 6.57

Oblivio iniuriarũ Materna ubera, si quas iniurias proles accepit, patienti proli afferunt oblivionem, & idcirco materna Christi ubera vino assimilantur, *Meliora sunt ubera tuo vino:* vinum reddit homines immemores, *Date siceram mærentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo; bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Proles Dei filia Sion erat, & ob hanc eandem causam oblata & data est illi mammilla regia. *Pro eo, quod fuisti derelicta, & odio habita, & non erat, qui per te transiret, ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem, & generationem, & super lac gentium, & mammilla regum lactaberis, & scies quod ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* Deus nobiscum agat ut volet, deprimat, & deijciat, vexet, & opprimat, cum regiam Eucharistię mammillam sugendam proponit, & donat, quascumque iniurias delet, ac obliterat oblivione, totam memoriam nostram occupat ille, qui prębet ubera, lactat, & dicit, *Hæc quotiescumq; feceritis, in mei memoriam facietis.*

Cant. 1.1 Pro. 31.6. Isai. 60.15

Eucharistia dignis concedẽda Præcinctus ad mammillas Zona aurea Christus describitur Apoc. c. 1. quoniam Sacerdos summus inter Episcopos septem Ecclesiarum apparet, & simul ostendit sacerdotalia ubera, qualia Eucharistica sunt, omnibus non esse concedenda, sed constringenda, sed arctanda, solumque præbenda ijs, qui sacra Cõmunione digni fuerint. Absit, ut Christi Domini ubera lactan-

lactandis canibus serviant, *Verè panis filiorum non mittendus canibus*. Caue ne sumas indignê, caue ne ministres indignê, memento zonæ, qua Christus ad mammillas cinctus est. Liberalia Christi ubera laxare solent homines, qui communicant, & ministrant, sint ergo memores, quod si laxãt ubera Christi, zona tamen arctat, & constringit.

Divinorum vberum sacrarium est altare, quoties ad illud venis, puritatis, virginitatisque mammilla lactaris. Venit ad illud virgo devota Deo, cuius meminit Ambros. lib. 1. de Virginibus concluditque. *Quo enim melius virgo recurreret, quam ubi sacrarium virginitatis offertur?* Pura virgo erat, quæ dicebat, *Osculetur me osculo oris sui*, & hæc ad uberum sanctuarium confugiebat, & idcirco immediate post exclamat, *Meliora sunt ubera tua vino*. Nõ eo recurrebat Ooliba, cuius mores carpit Ezechiel cap. 23. *Cum venissent ad eam filij Babylonis, ad cubile mammarum polluerunt eam stupris suis, & polluta est ab eis, & saturata est anima eius ab illis*. Fuge fornicationem, fuge cubile mammillarum, & veni ad sacrarium. Cant. 1. 1

Commendat Esdras lib. 4. c. 8. providentiam, quam Deus erga paruulos habet: *Imperasti ex ipsis membris, hoc est, mammillis præbere lac fructui mammillarum, ut nutriatur id quod plasmatum est usq; in tempus aliquod, & postea disponas eum tua misericordia*. Imperasti, æterne Pater, ex carne, & sanguine filij tui mammillas fieri, quæ fructui mammillarum lac sacramentale pręberent, ut nutriatur id, quod genitum est in ipso Christo, ut & postea disponas hominem tuæ misericordiæ. Disponit, ut homo in Christo, & Christus in homine maneat. Disponit, ut uno Spiritu Christus, & homo ducantur. Disponit, ut in sæcula æterna vivat, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Ioann. 6. 60.

Lac.

CLemens Alexandrin. lib. 1, Pędag. cap. 6. multis probat & confirmat mysticum lac dici & esse Sacramentum, propter pretiosi sanguinis mysterium, quod in sancto altari offertur, lac profecto regium, cuius particeps est homo, cum scriptum sit, *Mammilla regum lactaberis*. Ad sacrosanctum huius divini lactis, teste Clemente, nos inuitat D. Petrus, dum ait, *Quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite*. Quid Clemens? *Lacte ergo, Dominico scilicet nutrimento statim quidem postquam editi sumus, alimur: simulac autem regenerati sumus, honore affecti sumus, dum spes quietis annuntiatur, superna Ierusalem, in qua & mel & lac pluere scriptum est, dum per materiale sanctum nobis alimentum despondetur*. Despondetur nobis alimentum lactis, quod sapit Patrem & patrem unde & Christus ait, *Sicut misit me vivens pater: & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivit propter me*. Auctor est mihi Senec. q. 21. lib. 3. Natural. quæst. quod *pabuli sapor apparet in lacte, & vini vis apparet in arcto, nulla res est, quæ non eius, a quo nascitur, notas reddat*. XVIII. Isai. 60. 16

Christus in hoc Sacramento totus lacteus est, immo ipsum lac est, ex regia mammilla Patris haustum & potum, quod probat ipse Clemęns in hanc formam; *Dominus Christus fructus Virginis non beata duxit ubera feminea, nec ea ad detrimentum elegit, sed cum amans & benignus Pater Verbũ implevisset, ipsum iam spirituale alimentum factum est bonis & moderatis hominibus. O miraculum mysticum! Vnus quidem est uniuersorum Pater: unum est Verbum universorum, & Spiritus Sanctus est unus, & ipse est vbique. Vna autem sola est mater* Christus lacteus est in Eucharistia.

Virgo: mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Lac non habuit mater hæc sola, quoniam sola non fuit mulier. Virgo autem est simul & mater, integra quidem & inuiolata ut virgo, amans autem ut mater: & suos accersens infantulos sancto lacte, nempe verbo infantili enutrit. Ideo autem lac non habuit, quod lac esset hic infantulus pulcher & appositus, scilicet corpus Christi. Mammilla divina Regum, in qua Christi corpus haurimus, penes Patrem Deum est. *Alimentum est Dominus Iesus, hoc est, verbum Dei, est Spiritus incarnatus, caro cælestis sanctificata. Nutrimentum est lac Patris, quo solo aluntur infantuli. Ille solus, ut est consentaneum nobis, lac dilectionis infantibus suppeditat, ijque sunt verè beati, qui hanc lactant mammillam.* Nullus hactenus creatus pater lac prolibus suis dedit, solus hoc divinus habet, ut matri pater sit, & instar matris lac cæleste infantibus suis porrigat. *Homo natus de muliere*, cum muliebri lacte sugit cæteras alias miserias, quæ consequenter referuntur, *breui vivens tempore, repletur multis miserijs, quasi flos egreditur & conteritur & fugit velut vmbra, & nunquam in eodē statu permanet.* Qui non ex sanguinibus, nec ex carne natus est, sed ex Deo, cum lacte haurit ex mammilla Patris non vitę brevitatem sed æternitatem, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*: non miserias sed gratias, *Mens impletur gratia:* non marcescit, sed spe virescit *Æternæ nobis gloria pignus datur:* Cedit umbra luci: *Vmbram fugat veritas, noctem lux eliminat:* & omnis instabilitas cessat; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo.* Cum tot felicitates cum lacte Eucharistico fugantur, *ij sunt verò beati, qui hanc lactant mammillam.*

Iob. 14. 1.

Ioa. 6. 60.

Dilectionis lac.

Beati profectò qui ex tali ubere *lac dilectionis* hauriunt. Lac dilectionis vocat Clemens Eucharistiam propter divinum amorem, qui in eo manifestatur, cùm sit opus Spiritus sancti. *Fluuij cum magno feruntur impetu, circumfusi aeris interceptioni lancinati spumam cum murmure exprimunt, & quod in ore nostro est humidum, spiritu exalbescit. Quam est absurdum non fateri sanguinem in eum fulgorem eamq́, albedinem à spiritu conuerti, eamq́, suscipere mutationem in qualitate, non autem in substantia. Nihil certè, quod melius nutriat, neq́, quod sit dulcius, nec lacte candidius inveneris.* Nihil candidius candore Patris, nihil dulcius & suavius dilectionis lacte, cum exclamet Ecclesia; *O quam suavis est Domine spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cælo præstito esurientes reples bonis.* Lac quoque dilectionis est, quoniam amatoribus Dei suppeditatur, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*, sugat de ubere lac iustus & purus. *Tale quid Homerus vel invitus divinat, iustos homines qui lacte vescuntur, appellans*, teste Clemente, & eodem denique auctore, *Vbera, quæ recta virum respiciebant, iam ad puellum inclinantur.* Inclinantur ubera, & simul Eucharisticum defluunt lac, exclamatque propterea Serm. de Euch. Iustinian. *O beata hora in qua divina maiestas inclinatur ad hominem, se illi communicat, ipsum pascit & potat:* & Aug. lib. de contemplat. Christi; *O Deus meus mel dulce, & lac niueum, cibus es grandium, fac me crescere in te.* Hic ipse scopus est sacri Convivij Sapientiæ, ut, qui est paruus, magnus fiat; *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas. Miscuit vinum & proposuit mensam suam, Misit ancillas suas & vocavit ad arcem & ad mœnia ciuitatis. Si quis est paruulus, veniat ad me, & insipientibus locuta est. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum; quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & vivite & ambulate per vias prudentiæ.* Loquitur Sapientia tamquam mater & nutrix, sic dicta, sic nuncupata a Philone lib. Quod deterior. potior. insidietur; ubi vocat *Sapientiam Dei nutricem, baiulam, educatricemque desiderantium vitam incorruptibilem*

1. Cor. 11 28.

Pro. 9. 1.

tibilem. Vera mater & nutrix quæ ait, *Si quis est paruulus ueniat ad me.* Hęc ipsa dum vocat & invitat non uno sed multis sacris nominibus, signat & appellat sacram Euchariſtiam, modo victimam & hoſtiam corporis & sanguinis pretiosi, *immolavit victimas suas*, modo panem & vinum, *venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*, de quibus in ipso solenni convivio divinę sapientiæ Patris differendum erit. *Latent res eximiæ* in hoc Sacramento & ita eximiæ, ut pro illarum expositione deesse nomina sit necesse. *Natura rerum conditum est, ut plura sint negotia quam vocabula*, ut ait Vlpian. li. 4. de præscriptis uerbis. Natura sic conditum esse agnoscit Tullius Cicero in Orat. pro Cæcin. *An hoc dubium est, quin neq́ verborum tanta copia sit, non modo in nostra lingua, quæ dicitur esse inops: sed nc in alia quidem ulla, res ut omnes suis certis ac propriis vocabulis nominentur! & 3. Tuscul. O verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas, Græcia.* Non ita verum est in alijs rebus, quam in sacro myſterio, in quo res eximię latent, & in quo natura ipsarum conditum est, ut plura sint negotia, quam vocabula.

Recole, & collige, si placet nomina præmissa & prælibata; Myſterium siue Sacramentum, Euchariſtiam siue bonam gratiam, Chriſtum siue regē diuinum, Communionem, siue sacram Synaxim vitam, siue salutem, lucem siue lumen, Societatem siue commercium, cibum, siue nutrimentum, sacra siue sacrificium, medicinā, arma, fauum, mel, ubera, lac, plura sunt negotia quam vocabula & plura negotia erunt, quam nomina, quæ ex scriptura divina, & sacra eius interpretatione afferri possunt. Quæ allata sunt, & afferentur in hac Differtat: & sequentibus, aperient viam Miniſtris verbi Dei, ut sicut S. Dionys. per divina nomina de myſterijs divinitatis disservit, differant & ipsi per sacras appellationes Euchariſtiæ de rebus eius eximijs, quas diuina Patris Sapientia offert & confert in mensa Solennis Convivij parata & instructa pro sacerdotibus, communicantibus, & ex hac vita migrantibus, quemadmodum exponemus.

Solenne Convivium Sapientiæ Patris.

Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.

Sacrificium altaris.

Immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.

Miniſtri altaris.

Misit ancillas suas, & vocavit ad arcem, & ad mœnia civitatis.

Sacra Communio.

Si quis est paruulus veniat ad me, & insipientibus locuta est, Venite & comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.

Sacrum Viaticum.

Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ.

Prou. c. 9.

Hæc tria, quæ pertinent ad Euchariſtiam, nimirum, Sacrificium, Communio, & Viaticum, selectis argumentis prius, deinde quęſtionibus convivalibus enodanda & illuſtranda sunt per duas sequentes differtationes.

DE SOLENNI
CONVIVIO
SACRIFICIO,
SACRAMENTO, ET VIATICO
CONDITO ET EDITO
PER
SAPIENTIAM PATRIS
DISSERTATIO SECUNDA.

SVMMARIVM
SACRORVM MYSTERIORVM,
ET
SELECTORVM ARGVMENTORVM.

De Sapientia Ecclesiastica, domo, & columnis.

1. *Tota Sapientia diuina splendet in Eucharistia.*
2. *Opus proprium Christi Sapientiæ Patris.*
3. *Munia & munera Sapientiæ Patris.*
4. *Proles Sapientiæ.* 5. *Medicina Sapientiæ.*
6. *Effectus & fructus Sapientiæ.* 7. *Sapientiæ inuentum.*
8. *Assistit in nocte cæne Sapientia.*
9. *Domus Sapientiæ est Maria.*
10. *Humanitas Christi est domus Sapientiæ.*
11. *Columnæ domus Sapientiæ sunt septem dona Spiritus sancti, & virtutes septem.*

De Solenni Sacrificio altaris.

1. *Manus Sapientiæ immolantis sanctæ, venerabiles, immaculatæ, beatæ.* 2. *Sublimes oculi Sapientiæ immolantis.*
3. *Gratitudo Sapientiæ Patris.*
4. *Benedictio Sapientiæ consecrantis.* 5. *Fractio mystici panis.*
6. *Commune omnibus sacrificium.* 7. *Verba consecrationis.*
8. *Hoc est enim corpus meum.*
9. *Suspendit mentes Christus in consecratione.*
10. *Christus non utitur voce imperiali in consecratione.*
11. *Imperium Christi consecrantis.*
12. *Consonant sibi consecratio & incarnatio.*
13. *Mysterium humilitatis in Eucharistia est.*
14. *Luit in corpore Christus.*
15. *Hic est enim calix sanguinis mei.*
26. *Differt calix Christi à calice Babylonis.*
17. *Sanguis Christi est medicina animæ.*
18. *Sanguine Christi Ecclesia decoratur, & coronatur.*
19. *Signatur per sanguinem anima.*

20. *Pretium Christi in sanguine est.*
21. *Nouum & æternum testamẽtum in Christi sanguine est.*
22. *Nouum testamentum.* 22. *Testamentum æternum.*
23. *Inuestitura sanguinis Christi.*
24. *Testatur Christus more militari.* 25. *Mysterium fidei.*
26. *Aureus Christi sanguis.* 27. *Iustamẽtũ corporis & animæ*
28. *Argumentum non apparentium.*
29. *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* 30. *De victimis Eucharisticis sanctorum.*
31. *De vino mixto & mystico Sapientiæ.*
32. *Causæ præfatæ mixtionis.*

De Solenni mensa Sapientiæ.

1. *Diuina Eucharistiæ mensa.*
2. *Consonantia inter Eucharisticam mensam & Angelicã.*
3. *Consonãt inter se mẽsæ cælestis beatitudinis & Eucharistiæ*
4. *Mensa Crucis & mensa altaris.*
5. *Mensa Ecclesiæ & mensa Eucharistiæ.*

De Arce & aula Sapientiæ breves & variæ antipathiæ cum aula prophana.

De Sacramento & Communione solenni panis cælestis, & sympathia sacræ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis.

1. *Panis Sacramentalis est militaris.*
2. *Sacramentalis panis paruulorum instar Baptismi est.*
3. *Sacramentalis panis cor hominis confirmans instar confirmationis est.*
4. *Sacramentalis panis lugentium instar* Pœnitentiæ *est.*
5. *Sacramentalis & sacerdotalis panis instar Sacramenti Ordinis est.*
6. *Sacramentalis & nuptialis panis instar Sacramenti Matrimonij est.*
7. *Sacramentalis panis infirmorum instar Extremæ Unctionis est.*

Viaticum.

1. *Affectus & effectus sacri Viatici.*

ARGVMENTA SELECTA DE
SAPIENTIA EVCHARISTICA, DOMO, ET COLVMNIS.

Sapientia Ædificavit sibi domum.

Tota Sapientia diuina splendet in Eucharistia.

SAPIENTIA Patri, Filio, & Spiritui Sancto communis describitur à Salomone cap. 1. Prouerb. prędicans extra domum, extollens in plateis vocem, clamans in portis, & compitis civitatis, ut infantiã, imprudentiam, & stultitiam hominum redarguat. Confirmat hoc ipsum Elias Cretẽs. in Orat. 1. Nazianz. *Sapientissimus ille Salomon cùm ait, Sapientia foris clamitat, in plateis exaltat vocem suam, eam, quæ in tribus personis consideratur, significat.* Tota hęc divina Sapientia elucet in Eucharistia, cùm Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, qui dant testimonium in cælo, firment, ac confirment veritatem mirabilis Sacramenti. Sicut S. Laur. Iustinian. Serm. de Euch. fassus est, *Tota siquidem beata Trinitas, cum institutioni Sacramenti huius testimonium perhibeat, ipsius pariter sacrificij veritatem confirmat. Memorare, quæso quid in Euangelio Sanctus Pater de cælo clamet, quidve Apostolis dicat de filio suo, Domino videlicet Iesu; Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. His paucis nedum Sacramento venerando, verum etiam Christi operibus cunctisq; sermonibus ipsius omnipotens Pater testimonium perhibuit.* Accedit Patri Verbum; *Verbi autem testimonium est, quando illud passioni promixus instituit, quando accepit panem in manibus, fregit & ait, Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Quando etiam per benedictionem, sanctificato vino, quod in calicem fuderat, ait, Hic est, sanguis meus noui & æterni testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Accedit Patri, & Verbo Spiritus Sanctus: *Verùm si in exordio nascentis Ecclesiæ observes, qualiter post Spiritus sancti adventum Sacramentum hoc frequentari cæpit, proculdubio ipsius Paracliti illud testimonium esse percipies: sic enim habes: Quotidie quoq; perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panes sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum.* Concludit inde Iustinian. *Experientia igitur deuotionis sanctæ & exultationis spiritus, quæ in Sacramenti huius perceptione gustatur, notissimum almi spiritus noscitur esse testimonium.* Moribus antiquis convivia in anticænium, cænam, & postcæniũ distin-

I.

Tota trinitas astruit veram esse Eucharistiam.

distinguebantur, & si rectè perpendas, sapiens Pater, qui in monte Thabor suum testimonium dedit, nobis antecænium largitus est, sapiens Filius nobis cænam ministravit, cum ipsa nocte, qua tradebatur, se nobis tradidit: sapiens verò Spiritus Sanctus postcænium contulit, & confert, nimirum gaudium & exultationem, quæ ex sancta & pia communione resultat. Quamvis beatissima Trias multis alijs titulis gaudeat, gaudet maximè nomine Sapientiæ teste Greg. Nazianz. Orat. 1. & ut eius verbis utar, *Sapientiæ nomine impensius, quam ullis alijs delectatur.* Hinc fit, ut cum multis alijs modis Deus effulgeat in Eucharistia, sapientiæ nomine impensius, quàm ullis alijs velit agnosci, velit adorari. Potuisset Salomon Eucharisticum convivium misericordiæ attribuere, cùm dixerit David, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Potuisset illud adscribere virtuti ac fortitudini, cùm Eucharisticus *panis cor hominis confirmet*, de quo Isaias cap. 25. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Melius & commodius divinæ sapientiæ illud attribuit Salomon, quia Deus maximè hoc Sacramento delectatur, ac proinde primum habere locum debet in eo Sapientia, cuius titulo maximè Deus allicitur & recreatur.

Psal. 110. 4.

Ps. 103. 16

Opus proprium Christi Sapientiæ Patris.

II. CUm Christus Sapientia Patris instituerit Eucharistiam, mirandum eius opus ad illum præsertim attinet. Christus ad Patrem pertinet, tamquam genita ab eo Sapientia, & eadem ratione cum sacram Eucharistiam, & in ea seipsum produxerit sapiens Christus, sibi tamquam auctori potissimum convenit. *Sapiens in verbis producet seipsum:* & in verbis consecrationis Christus sub accidentibus panis & vini se format. Quærebatur olim sapientia, & non inueniebatur; *Sapientia ubi invenitur, & quis est locus intelligentiæ?* Invenitur in opere Eucharistiæ scientia & sapientia Christi, sed preter omnem spem & opinionem humanam, qua seducti mortales stultitiam ibi esse arbitrantur, ubi summa sapientia est: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Adiungo commentarium Algeri relati tom. 7. Biblioth. SS. Patrū, qui in prologo librorum de Sacram. inquit, *Videtur enim stultum, sed stultis, Christum in specie panis & vini, bruta scilicet rei præsentem nobis corporaliter fieri: tantilla formula panis tantam maiestatem contineri. Sed quis in Deo reprehendere debeat, quod in ipso pium, nobis autem est necessarium! Congruere autem non videtur eius dignitati, ut corruptibilis substantia panis incorruptibile eius corpus fiat: sed congruit nostræ saluti, ut tali Sacramento, pane Angelorum pios reficiat. Sapientissimè quidem ut occulto mysterio fides exerceatur ad meritum: fortissimè autem, ut mens tali cibo roborata, hoste devicto, fortius nitatur ad regnum. Sapientissimè, inquam, & fortissimè, ut tanti sui operis de re minima & maxima nec comprehendi possit potentia, nec artificium.* Quod si credendum est unicuique in sua arte, quoniam ut ait Ecclesiast. cap. 38. *Vnusquisq; sapiens est in arte sua*, credendum est Christo, cuius artificiosum opus est mysterium altaris. Nihil artifices sine mente & ingenio efficiunt, & tamen solum opus ingenij habetur & censetur, ubi maximè ars & artificium apparet. Quid simile apud Deum ipsum deprehendimus, quando quidem benè & verè cecinit

Eccl. 20. 29.

Iob. 28. 12

1. Cor. 1. 25.

Censura humana de Eucharistia.

cinit David de illo Psalm. 135. *Qui facit cælos in intellectu.* Discurrit in eo Psal. per opera, quæ Deus fecit, discurrit per terras & maria, & tamen de solis cælorum orbibus ait esse opera divinæ mentis. Ad hanc quoque formam philosophandum est de cælesti Eucharistia, in qua summum est artificium. Unde licet Christus sapienter omnia operatus sit in gratiam hominis, tunc sapientiùs, cum *cibavit illam pane vitæ & intellectus.* Deus igitur, Eccl. 15. 3 qui fecit cœlos in intellectu, condidit in intellectu Eucharistiam, sapientissimè quidem & fortissimè, *ut tanti sui operis de re minima & maxima nec comprehendi possit potentia, nec artificium.*

Munia & munera Sapientiæ Patris.

HAbet hæc Patris Sapientia in opere suæ artis consonantiam cum petra, unde dulcis & suavis aqua promanavit: *Mel de petra, oleumq. saxo durissimo.* Credamus Philoni li. *Quod Deter. potior. insidietur,* ubi, *petram solidam & infrangibilem sapientiam Dei, nutricem baiulam, educatricemq. desiderantium vitam incorruptibilem,* esse adstruit, & probat. Credamus autem non tam Philoni, quam Apostolo, qui cum ageret de hac ipsa petra, concludit; *Petra autem erat Christus.* Præceperat Mosi Deus, Num. cap. 20. cum extremam sitim populus pateretur: *Tolle Virgam & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Moses non servavit instructionem, siquidem verbis mel & oleum ex saxo erat obtenturus, & tamen bis silicem percussit: *Cumq. eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Voluit Deus, ut illud fieret per modum consecrationis, Moses verò non assecutus mysterium egit cum petra per modum passionis, in qua Christus bis percussus est, semel in Circumcisione, & iterum in crucifixione. Melius novit hoc arcanum antiquus Melchisedecus, quam Moses & Aaron, cum non malè percutiendo, sed potius benedicendo panem & vinum obtulit, similis per omnia Christo, qui per sacra verba sub speciebus panis & vini se ipsum litavit & immolavit. *Petra autem erat Christus,* qui mellis & olei liquorem post consecrationem effundit, petra solida, in qua firma stat & stabit, *Mysterium fidei,* usque ad finem rerum omnium, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Petra infrangibilis, cum mortis ac passionis suę tempore timore non frangeretur, *in qua nocte tradebatur*, totus excitatus, totus infractus erat, & ut erat totus integer, voluit talis in Eucharistia repræsentari, ubi *non confractus, non divisus, integer accipitur*: & dissectione exteriorum accidentium *nec status, nec statura signati minuitur.* Hæc eadem sapientia Patris nutrit, baiulat, & educat desiderantes vitam incorruptibilem. Nutrit, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: baiulat; *Hic est panis, qui de cælo descendit*, cuius virtute nos in cælum euehit, educat desiderantes vitam incorruptibilem; *Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Margin notes: III. *Mystica petra est sapientia.* — Deut. 32. 13. — 1. Cor. 10 4. — Matt. 28. 20. — 1. Cor. 11 23. — Ioa. 6. 56.

Pro-

Proles Sapientiæ.

IV. POstquam citatus Philo nutricem dixisset esse sapientiam, subiunxit: *Hæc enim tamquam mater eorum, quæ in mundo continentur, ex se ipsa cibos prabet suis fœtibus, sed non omnia diuino alimento digna habentur, verum ea modo, quæ non degenerem præ se ferunt indolem.* Bona mater est Sapientia Patris, quæ apud Chrysost. hom. 61. loquitur; *Parentes quidem alijs sæpe filios tradūt alendos: ego autem non ita, sed carnibus meis alo, & meipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens.* Quæ proles generosæ non sunt, divino indignæ sunt alimento, illæ dignæ, quę non degenerem præseferunt indolem. Credendum quoque in hac parte non tam Philoni, quam Paulo monenti; *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè; iudicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini.* Degenerat a Sapientia, quæ dijudicare non novit corpus Domini, illegitima proles, sicut & soboles. Aquilæ adulterina censetur, & simul reijcitur, quę splendidum solis orbem immobili obtutu penetrare non quit. *Probet autem seipsum homo*, moribus, vita, &, si opus est, confessione sacramentali, ut dignus sapientiæ fœtus habeatur, & pro dignitate melle & oleo sapientiæ fruatur. Adhuc Philo, *Quando igitur sensim descendit, dulcescit mellis in morem, quando verò celeriter, confestimq; labitur, fit tamquam oleū illustrandæ animæ.* Ita revera accidit, ut sumenti interdum Eucharistiam sapientia sensim mellis in morem illabatur, at vero sacram communionem frequentanti celeriter, confertimque tamquam oleum illustrandæ animæ seipsam largiatur. Mellis instar descendit ijs, quibus ait David, *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus:* Instar olei delabitur ijs, quos idem Rex monet, *Accedite ad eum, & illuminamini.*

Generosa proles.

1. Cor. 11. 28.

Psl. 33. 9.

Psa. 33. 6.

Medicina Sapientiæ.

V. SAtis magnum specimen sui Sapientia dedit in ipsa institutione Eucharistiæ, quæ est sententia S. Th. q. 58. a. 1. *Nota*, inquit, *quod causa institutionis est triplex, scilicet memoria saluatoris, sacrificium altaris, cibus hominis. Hæc tria disposuit in hoc Sacramento diuina sapientia contra tria vetera mala, scilicet contra oblivionem Dei, contra debitum rapinæ alienæ rei, contra corruptiones pomi mortiferi.* Christus sapientissimus medicus est, qui ê cælo venit, & è terra medecinam confecit; *Altißimus de terra creavit medicamenta, & vir prudens non abhorrebit ista.* Terra hæc Virgo est, medicina corpus Christi, quod in ea & ex ea natum est, quemadmodum citatus ab eodem S. Thoma docet Ambrof. *Corpus Christi*, inquit, *medicina spiritualis est, quæ cum reverentia degustata sibi devotos purificat*: nimirum ab oblivione Dei, à debito antiquæ rapinę, & à corruptione, quam pomi gustus induxit. Creavit, *dixit & facta sunt*, dixit, *Hoc est enim Corpus meum:* dixit, *Hic est Calix sanguinis mei*, & confecta est cælestis medicina, *Et vir prudens non abhorrebit*, Vir prudens erat Petrus Apostolus, qui cùm alij horrerent Eucharisticum medicamentum, dicerentque; *Durus est hic sermo, & quis poterit eum audire?* medico adhæsit, & medicinam acceptavit. Habuit tunc temporis locum aphorismus Hippocratis. *Medicina in alimento optimum, medicina in alimento malum*

Eccl. 38. 4.

Ioan 6. 61

Eucharistia est mors malis, vita bonis.

malum. Optimum admittenti, malum respuenti, & nunc optimum pro dignitate accipienti, malum indignè sumenti, *Mors est malis, vita bonis. Vide paris sumptionis, quam sit dispar exitus.*

Effectus & fructus Sapientiæ.

SAtis quoque maguum specimen sui Sapientia præbet, in effectibus venerabilis Sacramenti, ut docet Iustinian. Serm. de Euch. *Mira,* inquit, *Sapientiæ divinæ dispensatio miraq; prudentia, ut illius tentationes à tentatione te liberent, eius te sanet infirmitas, ipsius obedientia te obtemperantem faciat, te vivificet mors, te spiritualem eius efficiat caro.* Caro Christi hominem spiritualem reddit, & certè præter rerum ordinem. *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est:* in hoc tamen mirabili Sacramento ex carne procedit spiritus, & spiritualis homo efficitur. Fit spiritalis per carnem, quia, ut ait Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 17. *Sedat, cùm in nobis maneat Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem.* Fit spiritualis per carnem, quia, teste Basilio lib. 1. contra Eunom. *Christus se panem dedit, quod rationali animæ sit cibus idoneus, retineatq; constitutionem ipsius semper à seipso, quod defluxum est restituens, neque ad irrationalem dimittens infirmitatem subduci:* Fit spiritalis per carnem, & spiritaliter fructificat, ut declarat S. Th. Opusc. 58. sumpta similitudine ab arbore fructifera, quę inserta silvestri transfert illam in se, & secundum se fructus producit: sic quoque Christus nobis natus & innatus per Eucharistiam, nos omnes in se transmutat, ut spiritaliter fructificemus. Confirmat assumptum testimonio Spiritus sancti apud Ezech. cap. 17. *Sumam de medulla cedri sublimis, & de vertice ramorũ eius, & plantabo super montẽ excelsum, & erumpet in germen, & faciet fructũ.* Hoc ita intelligit S. Tho. *Cedrus sublimis est Deus Pater, rami eminentiores antiqui Patres, vertex ramorum B. Virgo, medulla cedri æterna Dei Sapiẽtia, pars de ramorum vertice, caro sumpta ex Virgine, Spiritus ergo sanctus medullam cedri, & partem de summo ramo sumpsit, quia Christi incarnationem fecit, & hunc quasi surculum nobilissimum plantat in montem excelsum, cum fideles a terrenis desiderijs ad cælestia eleuatis Dominici corporis tribuit Sacramentum. Hinc fructus erupit, quia cor fidele, propria amaritudine relicta vitiorum, virtute corporis Domini similis Christi spiritales frondes, flores virtutum, & bonorum operum faciat.* Deus in carne Christi est, &, *qui adhæret Domino, unus spiritus est,* & spiritales frondes, flores & fructus producit, fere omnes fructus Spiritus Sancti, quales numerat Apostolus cap. 5. ad Galat. *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Quomodo autem omnes hi Spiritus Sancti singulos fructus sacra ferat Eucharistia, inductione probavimus, discurrendo per 3. P. Sacri nostri Oratorij.

VI. *Effectus & fructus sacræ Eucharistiæ.*

Ioan. 3. 6.

1. Cor. 6. 17.

Fructus omnes spiritus portãt secum Eucharistia,

Sapientiæ inuentum.

VII. CUm Ioannes Euangelista novisset, quam proprium Sapientiæ esset convivium Eucharisticum, congruenter & sapienter a scientia Christi postremam cænam cæpit describere, *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius:* subiunxitq; deinde, *sciens quia dedit ei omnia*

Pater

Pater in manus, & quia a Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna. Habebat multùm, quod ageret ibidem Sapientia. Multum fecerat, cum invenisset modum, quo Verbum in cœlis maneret, & in terras descenderet, & cùm iam tempus esset, ut Christus, qui a Deo exierat, ad Deum reverteretur, ne solum ac solitarium mundum absentia sua relinqueret: exagitanda forma erat, qua posset abesse & simul adesse. Magnum profectò negotium, in quo sola divina Sapientia potuit exitum & expeditionem reperire. Reperit illam, ut definit Concil. Trident. ss. 13. cap. 1. *Nec enim inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat iuxta modum existendi naturalem: & ut multis nihilominus alijs in locis sacramentaliter præsens sua nobis adsit ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, & constantissimè credere debemus.* Credamus dicenti. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, credamus & docenti, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem; in me manet, & ego in eo.* Accedit Aug. Hom. 12. in Ps. 33. ut secum nos trahat ad Christum: *Accesserunt Iudæi ad Christum, ut crucifigerent, nos ad eum accedamus, ut corpus & sanguinem eius accipiamus, illi de Crucifixo tenebrati sunt, nos manducando Crucifixum & bibendo illuminamur.* Illuminamur, ut cogitatione per fidem illustrata mysterium divinę Sapientiæ assequamur, & Christum intra viscera nostra recondamus. Laudabilis consuetudo Fidelium, qui feria 5. Hebdomadæ sanctę cum Apostolis sacrã Eucharistiam sumunt, ut cum Iudæi de Christo perdendo tractant, illi circa eius conservationem occupentur, &, ut sacratius illum servent, intra sua præcordia reponunt. Cùm totum regale semen raperetur ad necem 4. Reg. cap. 11. sub imperio reginæ Athalię, non defuit pia mulier, quę unum liberaret infantem: *Tollens autem Iosaba filia regis Ioram soror Ochoziæ Ioas filium Ochoziæ furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio, & abscondit eum à facie Athaliæ, ut non interficeretur.* Athalia similis Synagogæ intentæ neci seminis regij, quod est Christus, interim Ecclesia consecratum Christum accipit, & recondit in sacris suis sanctuarijs, interim & fidelis anima Christum sumit, & intra cordis sacrarium reponit & abscondit, fovet & sanctis cogitationibus enutrit, a quo & ipsa enutritur.

Christus manet & abit.

Matt. 28. 20.

Assistit in nocte cœnæ Sapientia.

VIII. ADerat extremæ cœnę Sapientia, nec poterat non ibi esse, ubi convivium suum Christus faciebat. Querit Plutarchus li. 1. Convival. qq. 1. an inter pocula sit philosophandum? refertque eorum sententiam, qui partem negantem tuentur, & inquit, *sunt herclè, qui locũ in convivio Philosophis negant. Quid ni sint? Cedo. Et magna grauitate cavillantes obmutescendum prædicant in vino, sicut matrifamilias Philosophiæ, rectè q́, atq́, ordine facere Persas, qui non cum coniugibus suis, sed cum pellicibus vino & tripudijs indulgent.* Hæc consuetudo Persarum fuit in causa, ut regina Vasthi detrectaret in convivium venire, rogata & iussa a sponso suo Assuero, coniux erat, & instar pellicis tractari nolebat. Convivium Christi totum virginale est; *Quod enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Arcetur ab hac mensa pellex, reijcitur humana prudentia, admittitur sponsa, locum habet divina Sapientia, quæ res

Zach. 9. 17.

una est cum mystico Salomone, & de qua inquit ipse Sap. cap. 8. *Hanc amaui & exquisiui à iuventute mea, & quæsivi sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.* Addit; *Proposui ergo hanc adducere mihi ad conviuandum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit mihi collocutio cogitationis & tedij mei. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores iuvenis: & acutus inveniar in iudicio, & in conspectu potentium admirabilis ero: & facies Principum mirabuntur me: tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent. Præterea habebo per hanc immortalitatē, & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquā.* Chara sponsa Christi Sapientia, cū & ipse sit Patris Sapientia: propter hanc sponsam mysticus noster Salomon, cum mors instaret, nullum in cęnaculo tędium habuit. Propter illam in Eucharistia claritatem & gloriā consecutus est, in totius mundi iudicio, in conspectu potentium mirandus est per mirabile Sacramentum, ad cuius intuitum principes omnes obstupescunt, sustinent tacentem in hostia, ore Sacerdotis loquentem respiciunt, & in consecratione summum silentium servant. Propter sapientiam immortalem sui memoriam toti posteritati reliquit; *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Sapientiæ, quę tunc adfuit, adest nunc in Catholica Ecclesia ritè & legitimè consecrantibus, non tamen hæreticis, qui magna grauitate cauillantes obmutescendum, nec verbis consecrandum prædicant, & in suis cœnis vanis atque prophanis locum Sapientiæ negant, vocantque & invitant pellicem mundanam carnalemque prudentiam, in cuius consortio indulgent mensis & iocis, & more Persarum in illis se gerunt, amandantes à se sapientiam, & consequenter cultum divinitatis, in quo vera religio consistit. *Non potest*, teste Lactant. lib. 4. Instit. cap. 4. *nec religio à sapientia separari, nec sapientia à religione secerni: quia idem Deus est, qui intelligi debet, quod est Sapientiæ, & honorari, quod est religionis.* Procul à mensa pellex, cedat loco Sapientiæ, siquidem verum est, quod scribit Senec. Epist. 88. *Magna & spetiosa res est Sapientia, vacuo illi loco opus est, de divinis, humanisq; dicendum est, de præteritis, de futuris, de caducis & de æternis.*

Sapientia non assistit in cœna hæreticorum.

DE DOMO EVCHARISTICA, ET SEPTEM EIVS COLVMNIS.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.

Domus Sapientiæ est Maria.

CUm rex Artaxerxes Assuerus gloriosum vellet habere convivium, fecit splendidum palatium, ut mutuò sibi aula regia, & epulum regale responderent. Ergò cùm Sapientia Eucharisticum convivium vellet instituere, & instruere; dignam epulo cælesti cælestem domum ędificavit. Hæc illa domus est, cuius meminit Salomon cap. 24. Proverb. *Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur. In doctrina replebuntur cellaria, vniversa substantia pretiosa & pulcherrima.* Domus, quæ sic ędificatur Maria est, in qua primò paratum est cæleste convivium, cùm enim panis IX.

e cęlo viuus descendit, sacra virginalium viscerum cellaria repleta sunt, & universa substantia pretiosa & pulcherrima ibidem deposita est. *Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* & totum hoc in aula Virginis fuit, cui dicitur; *Venter tuus aceruus tritici vallatus lilijs*, & quæ de se dicit, *introduxit me in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem.* Magna aula Virginalis est, quæ omnes conditiones perfectę domus habet. Qualis illa esse deberet, refert Xenophon lib 2. de dict. & fact. Socrat. Hic monet, ut *Domus quam delectabilis & utilis habitantibus sit, in æstate frigida, in hieme autem calida. Et ut uno verbo dicam*, inquit Socrates, *sit talis, ut omnibus horis in eam habitator refugiat, suamque supellectilem deponere possit, ista profectò maximè delectabilis ac optima domus est.* Domus imprimis delectabilis est Maria, cum scriptum sit Eccl. 26. *Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum.* Accedit Bonau. in Spec. c. 5. *Quis huius mulieris est vir, nisi ille, de quo dicit Ieremias, Mulier circumdabit virum.* Hæc domus vtilis est, nos serui inutiles sumus, Maria verô ad omne obsequium, commodum, & vtilitatem Deo servivit, cum victum & vestitum Christo dederit. Domus in æstate frigida, cùm in conceptione verbi carnalis ęstus eam non attigerit, sed umbra Spiritus sancti, qui & in æstu temperies est, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, unde ritê ac rectè B. Maria ad Nives incidit in ęstatem, & in æstate colitur. Domus calida in hieme Maria fuit, cum tempore hiberno natum Christum fascijs involuerit, in fœno & palea, & in proprio sinu foverit. Et ut uno verbo dicam, talis hęc domus est, ut omnibus horis ad eam refugiat Christus, & omnibus horis illam sibi paratam inveniat. Hęc domus, in qua sapientia suam supellectilem deposuit, divinitatem & humanitatem, in qua sunt omnes thesauri sapientię & scientiæ abscondit, *universa substantia optima & pulcherrima.* Ista profectò maximè delectabilis ac optima domus est, sacra divinæ Eucharistiæ, alta & sublimis, *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Iterum de Socrate Xenophon; *Templis atque aris locum aiebat convenientem, qui cum eminentissimus sit, non facilem aditum habeat. Confert etenim hoc, ut aspicientes orent, tum ut casti adeant.* Sublimis & excelsa Maria aditu planè difficilis, ac proinde non homo, sed Angelus missus ad eam est, ingressusque dixit, *Aue gratia plena, Dominus tecum*: aspicit, & orat *ingressus Angelus ad eam*: non intra eam, quod soli Deo datum est, cum c. 44. dixerit Ezech. *Clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritq; clausa Principi.* Rationem dictorum reddit Hieronym. a S. Fide lib. 1. contra Iudęos ca. 4. *Porta hæc*, inquit, *clausa erit in conceptione, non aperietur in partu, & vir non transibit per eam, id est, post partum.* Talis ædes, talis ara, tale altare, cęlestis panis castos cultores exigit, ut digni sacra Synaxi fiant, pro dignitate illam sumant, & post sacram communionem castè vivant, moniti & edocti per Mariam, quemadmodum non solum diximus, sed etiam depinximus. 3. P. sacri nostri Oratorij.

Zach. 9. 17. — Luc. 1. 35. — Psal. 86. 1. — Luc. 1. 28. — *Virgo perpetua.*

Humanitas Christi est domus Sapientiæ.

X. DOmus Sapientię Eucharistica est ipsa humanitas Christi. Quærit Anastas. Nizen. q. 40. in script. Quid nam sit, *Sapientia ædificavit sibi domum?* Respondet, *Christus Dei & Patris Sapientia ædificavit sibi domum, nempe carnem suam: nam Verbum caro factum est.* Assonat. *Sanctæ Ignat.*

M. in

M. in Epist. ad Philipp. *Non opinione, non phantasia, sed reverà, verbum caro factum est, & habitavit in nobis; Sapientia enim ædificavit sibi domum.* Adstruxerat idipsum scribens ad Colos. 2. *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Ad hanc alludit domum cum Psalm. 103. dicit David. *Herodij domus dux est eorum.* Qualis herodius sit, exponit ibi Hieronym. *Herodius maior est omnibus volatilibus, qui aquilam vincit & comedit, Igitur talis homo, qui in domo Dei habitat, ducatum præbeat ad vincendum diabolum: quia aquila sæpè pro diabolo ponitur.* Constrnit sibi herodius nidum, construit sibi domum Deus, ut sit animarum dux, & imprimis diabolum superat, & vorat: *Morsus tuus ero inferne.* Dux in sacræ humanitatis tentorioe st, Osee. 13. 14.
Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Dux in tabernaculo Sacrosanctæ Eucharistiæ est, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Herodius dux auium est, & Christus eorum est dux, qui sursum anhelant. Nec querũt quæ super terram, & idcirco ante Consecrationem *Sursum corda* erigere, & elevare monemur. Quam Eucharistica sit domus sanctæ humanitatis testatur Hilar. libr. 8. de Trinit. *Si verè verbum caro factum est, & verè nos verbum factum carnem cibo Dominico sumimus: quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est, qui & naturam carnis nostræ, iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub Sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit.*

Mich. 5. 2. *Dux cælestium animarum Christus.* Psa. 22. 1.

Ecclesia est domus Sapientiæ.

XI. *Sacrariũ Eucharistiæ.*

DOmus Sapientiæ Eucharistica est Ecclesia Sancta Dei, de qua Concil. Lateran. Cap. *Firmiter*, de Summa Trinit. & fide Cathol. inquit, *Vna vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse est Sacerdos, & sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur.* Concilium Trident. ss. 13. *Salvator noster in Ecclesia sua sacrosanctam Eucharistiam reliquit, tamquam Symbolum eius unitatis & charitatis, qua Christiano omnes in terra coniunctos & copulatos esse voluit.* Infert inde Concil. Colon. pag. 7. cap. 2. *Neque interim negligendum, sed perpetuò inculcandum hoc Sacramentum corporis & sanguinis Dominici sub specie panis & vini institutum esse, ut præter veritatem corporis & sanguinis, quæ in eo continetur, & recipitur, quoddam etiam eximium signum mutuæ dilectionis & charitatis excitandæ in nobis foret, quemadmodum D. Paulus, inquit. Quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus, qui de uno pane & de uno calice participamus. Quamobrem ab huius convivij spiritali participatione longè absunt, qui invidia vel odij veneno infecti, & iracundiæ furore repleti fuerint.* Hûc pertinent Apostolicæ preces scriptæ cap. 4. ad Ephes. *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate ac mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ:* Explicans mentem Apostoli Sanctus Thomas ait; *Quia vos estis vocati, ad unum scilicet finale præmium, ideo debetis simul cum unitate spiritus ambulare in unam spem vocationis.* Hûc etiam pertinent preces & supplicationes faciendæ in domo orationis quę est Ecclesia, iuxta præscriptum Apostolorum libr. Constitut. cap. 26.

Estote præsto omni tempore ad agendas gratias, tamquam fideles & grati servi, atque pro Eucharistia quidem in hunc modum: Gratias agimus tibi, Pater noster, pro vita, quam nobis per Iesum Christum filium tuum ostendisti, per quem omnia fecisti, & omnium rerum procurationem habes, quem misisti, ut ad salutem & conservationem nostram fieret homo, quem pati & mori permisisti, quem etiam à mortuis suscitasti, & suscitatum glorificari voluisti, & ad dexteram tuam sessum recepisti, per quem etiam mortuorum resurrectionem promisisti. Tu igitur Domine omnipotens æterne Deus, ut erat hoc dispersum, & postquam est congregatum, factus est unus panis: sic congrega Ecclesiam tuam ex finibus terræ in regnum tuum.

Columnæ domus Sapientiæ sunt septem dona Spiritus-sancti, & virtutes septem.

XII DOmus Sapientiæ quomodocumque accipiatur, esto, humanitas Christi sit, sit Maria, sit Ecclesia, tota Eucharistica est, quæ septem columnis insignita & ornata describitur, *Excidit columnas septem.* Per has septem columnas septem dona Spiritus Sancti communiter Patres intelligunt: fuerunt istæ septem columnæ in sacra Christi humanitate, quemadmodum prædixerat Isaias cap. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replevit eum spiritus timoris Domini.* Fuerunt in B. Maria septem ista dona, ut Sermon. 3. de Natiuit. declarat Augustin. *Septem namque Virginis huius domus columnis fulsita est: quia veneranda hæc Mater Domini septem spiritus Sancti donis dotata fuit.* Septem quoque hisce columnis munitur & roboratur Ecclesia, *& portæ inferi non præualebunt adversus eam.* Hęc
Matt. 16. 18. septem dona & columnæ Eucharisticæ sunt, quemadmodum fusè probavimus in fine 3. P. Sacri Oratorij. Quibus suppositis, in alium sensum accipiamus septem columnas Sapientiæ. Secundum Hilarium can. 11. in Matt. *Sapientiæ opus est fides, charitas, spes, pudicitia, ieiunium, continentia, humilitas,* in quibus septem virtutibus cultus Eucharistiæ est. *Mysterium fidei est,* & fidem exigit. Sacramentum est amoris, & postulat dilectionem.
Psal. 103. 27. Pignus ęternæ gloriæ, & benè sperare iubet; *Oculi omnes in te sperant Domine, & tu das escam illis in tempore opportuno.* Hostia pura est, & requirit pudicitiam. Remedium est primæ abstinentiæ fractæ, & sacra Communio ieiunantibus ministratur, & datur ieiunis tam carne, quam anima, carne per abstinentiam. anima per continentiam. Venerabile Sacramentum est, & humiliter est colendum & capieudum, unde Sermon. de Eucharistia suscipienti dicit S. Laur. Iustinian. *Optimum susceptionis remedium humilitatem fore non dubites.* Post Sanctum Hilarium dicat de eadem re suam sententiam Hugo de S. Vict. libr. 3. de Anima, & de interiore domo cap. 2. *Sapientia ædificet sibi domum, erigat columnas septem, quibus tota fabrica innitatur. Domus est conscientia, columnæ sunt bona voluntas, memoria, id est, memorem esse beneficiorum Dei, cor mundum, animus liber, spiritus rectus, mens devota, ratio illuminata.* Domus igitur Sapientiæ, in qua reponenda est Eucharistia, imprimis bonam debet habere conscientiam: *Pro-*
1. Cor. 1. 28. Psa. 53. 8. *bet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Domus inniti debet bonæ voluntati, qua affectus ille dicebat, *Voluntariè sacrificabo tibi:* innitatur & memoriæ

moriȩ tanti beneficij; *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Adsint cor mundum, & spiritus rectus animæ communicanti, prius utrumque petat & oret, *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Psa. 50. 12 Spiritus liber est, cui nulla creatura dominatur, & hic etiam postulandus & habendus est, *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Psa. 50. 14 Requiritur mens devota; *Quis non corde prostrato, totis medullis veneretur tantæ præsentiam maiestatis. Cuius ferreum pectus vel adamantina mens non liquescat, præ devotione cum Deum sibi, & se Deo senserit corporaliter unitum?* Hæc Iustinian. cap. 19. Monastic. perfect. ubi & orat, *Aperi igitur, O melliflue amor, aperi, inquam, o divina bonitas interiores fidelium oculos, ut formatæ fidei irradiati lumine mereantur videre te.* Hæc illuminata ratio postrema columna est. Quot sunt columnæ, tot sunt conditiones domus Sapientiæ, ac proinde non erit abs re, commemorare quales conditiones pro bona domo requisierint septem Sapientes apud Plutarch. *Septem bonæ domus conditiones.* Sic ille in Convivio septem Sapientum, *Solon optimam sibi ostendit videri domum, in qua neque, qui pecuniam quærunt, iniustitia: neque qui servant, diffidentia; neque qui expendunt, pœnitentia contacti sunt. Bias, in qua is est dominus sua sponte, qui propter legem. Thales, in qua plurimum otij est domino agere. Cleobulus plures si habeat, qui eum ament, quam qui metuant, dominus. Pittacus ait domum optimam esse, quæ rem nullam superfluam, vel necessariam desideret. Chilo demonstravit debere potissimùm æmulatricem domum civitatis esse, quæ regi paret.* Mox addidit Lycurgum respondisse; *Constitue domi tuæ principatum popularem.* Singuli Sapientes suam quasi in domo voluerunt erigere, & pro eorum numero septem columnas apposuerunt, una vero Sapientia *excidit columnas septem*, quibus optimȩ suæ domus Fabrica inniteretur. Cùm illa Eucharistia sit, locum in ea non habet iniustitia, nec diffidentia, nec pœnitentia Solonis. Adest in Eucharistia is Dominus sua sponte, qui propter legem naturæ & gratiæ. Plurimum otij est Domino in Eucharistia, ut nostra expediat negotia. Totus hic non tam formidabilis, quàm amabilis. Nihil in Sacramento superfluum, nihil necessarium, quod possit desiderari: Ubi Eucharistia est, ibi & imago cœlestis Ierusalem est, quȩ Regi divino paret: est etiam & principatus popularis, *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* 1. Pet. 2. 9. Nihil septem illi sapientes desiderare potuerunt, quod in optima domo Sapientiȩ, divino potius more quam humano, non deprehendatur. Concludit Plutarchus: *Vt hac absoluta fuit disputatio, tum Chiloni Periander propinavit ingentem calicem, Chilo Bianti.* Sapientia vero ȩterni Patris post domus fabricam, innitentem septem columnis, *immolavit victimas suas*, & in earum immolatione pretiosum sui sanguinis calicem pro nostra, & totius mundi salute propinavit.

ARGVMENTA SELECTA DE SOLENNI SACRIFICIO ALTARIS.

Immolavit victimas suas.

Manus Sapientiæ immolantis sanctæ, venerabiles, immortales, beatæ.

I. CUm sapientissimus Salomon sacram domum, magnificent ia plusquam regia fabricasset, victimis & hostijs illam dedicavit, edoctus à Sapientia Patris, quę post erectam aulam suam, *Immolavit victimas suas.* Adstipulatur. D. Gregor. in cap. 26. Iob. *De Domino novimus dixisse Salomonem, Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, qui se ut id de septem ecclesijs dixisse innotesceret, secutus etiam Sacramenta ipsa, diligenter inseruit dicens, immolavit victimas suas.* Immolavit in eam planè formam, quam edocta à Spiritu Sancto nos docet Ecclesia; *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & eleuatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agẽs, benedixit, fregit, deditq́. Discipulis suis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum. Simili modo postquam cænatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens benedixit, deditq́. Discipulis suis dicens: Accipite & bibite ex eo omnes, Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti mysterium: qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Magnifica sacrarum victimarum immolatio, in qua celebris mentio fit imprimis manuum, deinde oculorum, & tandem verborum Sapientiæ Patris immolantis corpus & sanguinem suum, de quibus suo ordine erit in præsentia sermo, imprimis verò de sanctis ac venerandis manibus seipsum sacrificantis, *Accepit panẽ in sanctas ac venerabiles manus suas.* VocãturChristi manus sanctæ, quo titulo gaudent apud S. Iacobum in divina Missa, apud S. Marcum in Liturgia, apud S. Basilium in Anaphora, & in sacro antiquo Æthiopiæ. Ubi sanctitas est, ibi & iustitia est, & idcirco idem est vir sanctus & iustus. Sanctæ ac iustæ manus, per quas reddit Christus unicuique, quod suum est, reddit Patri divinitatem, nobis uerò sacram humanitatem.

Ioan. 13. 3. *Sciens quia dedit ei omnia Pater in manus, & a Deo exivit, & ad Deum vadit,* elevatis oculis ad Deum Patrem suum omnipotentem, quod accepit, retulit: & idem ipse *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos,* & eis restituit, quod assumpsit, *Accipite.* Hoc ipsum est, ac si dicat teste Chrysost. Hom. 61. *Volui frater vester fieri, carni propter vos & sanguini communicaui: vobis vicissim ipsam carnem, & sanguinem, per quæ cognatus vester factus sum, trado.* Sanctæ & iustę manus offerentis & reddentis, quæ sunt hominis homini,

Cant. 5. 14 & quæ sunt Dei Deo: *manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* Manus au-

Reddit Christus, quæ accipit. reę propter aureum & pretiosum sacrificium, quod operabantur: plenæ hyacinthis erant suo colore referentibus ipsum cœlum, cuius hæc nobilis ac generosa conditio est, ut quicquid accepit, reddat, & quidem cum fænore. Accipit vapores, & exhalationes, reddit imbres & coruscationes, &

Matt. 6. 29. quod amplius est, monet Christus; *Thesaurizate vobis thesauros in cælo,* non amitten-

amittendum, ſed meliorem recipiendum. Cæleſti quoque more tornatiles manus erant. Cælum dum movetur in gyrum, it, & redit, & quod in torno ponitur, in orbem agitur, ac proinde vadit ac regreditur, *à Deo exiuit, & ad Deum vadit*, revertitur quoque ad homines, a quibus & exitum & ortum habuit, *Accipite*, inquit. Cum verò iſte greſſus & regreſſus, iſte itus ac reditus, ſimulque redditio ac reſtitutio fiant opera & miniſterio manuum ſanctarum Chriſti, ritè ac rectè tornatiles deſcribuntur. Dicuntur manus Chriſti non ſolum ſanctæ, ſed etiam *venerabiles*, vel ipſi æterno Patri, a quo *exauditus eſt pro ſua reverentia*. Longè aliæ manus erant veterũ Sacerdotũ, Hebr. 5. 7
quibus apud Iſaiam dicitur; *Cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos* Iſai. 1. 15.
meos à vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Has eaſdem Chriſti offerentis manus Iacobus in divina Miſſa vocat *immaculatas, inculpabiles & immortales*. Quare immortales? ſunt immortales, quia, cum ſit Sacerdos in ęternum ſecundum ordinem Melchiſedech, offert ſemper panem & vinum. Cæteri ſacerdotes manibus mortalibus offerunt, quoniam, dum viuunt, vice Chriſti fungentes immolant Euchariſtiam, Chriſtus vero pręditus manibus immortalibus, quod in cæna obtulit ſacrificium, ſemper in altari illud conficit. Benè Aug. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 20. *Chriſtus ipſe offerens ipſe eſt oblatio, cuius rei ſacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſiæ ſacrificium.* Accedit Chryſoſtom. Hom. 33. in Matth. *Qui tunc in illa cæna confecit, ipſe nunc quoq; operatur*, & iterum, *Cum videris Sacerdotem offerentem, ne ipſum conſideres hoc facientem, ſed Chriſti manum invisibiliter extenſam.* Eædem Chriſti offerentis manus in antiqua Æthiopiæ Miſſa *beatæ* dicuntur. Regula Auguſtini aſt lib. de vita beata diſputat. 1. *Omnis, qui quæ vult, habet, beatus eſt, ſi bona velit & habeat.* Chriſtus dixerat: *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum*: & quidem hoc deſiderium Euchariſticum erat, ut lib. 4. contra Martionem teſtatur Tertull. *Profeſſus itaq; ſe concupiſcentia concupiſſe edere paſcha ut ſuum (indignum enim, ut quid alienum concupiſceret Deus) acceptum panem corpus ſuum illud effecit.* Manus igitur, quæ deſiderium Chriſti impleverunt, beatæ dicuntur.

Sublimes oculi Sapientiæ immolantis.

Poſt conſiderationem manuum oportet, ut de oculis Chriſti immolantis nonnihil dicamus: elevatis quippe oculis ad Patrem ſuum omnipotentem ſeipſum ſacrificavit. Quotieſcumque Chriſtus ſurſum reſpiciebat, nativitatem, quam habebat ex Patre, conſiderabat, & ex hac conſideratione mirabilia patrabat. Surſum reſpexit, cum quinque hominum millia in deſerto pauit, & cum Lazarum è mortuis reuocavit: nunc vero ſolennior eſt elevatio oculorum, quam tot mirabilia ſequuntur; *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Hûc pertinet interrogatio, & ſimul reſponſio Nicolai Cabaſilæ in Expoſit. Lithurgię. Quærit, *Quanam de cauſa non Filium ad dona ſanctificanda vocat Sacerdos, cùm is ſit & Sacerdos & ſanctificet, ſed Patrem?* reſpondet, *Vt ſcias, quod Servator habet illud, nempè ſanctificare non ut homo, ſed ut Deus, & per divinam potentiam, quam habet communem cum Patre. Hoc etiam ipſum volens Dominus ſignificare, quando peregit myſterium, & Patri panem oſtendit.* Elevavit oculos ad Deum ſuum Patrem omnipotentem, divinæ ſuæ memor nativitatis, qui paulo antè humanæ ſuæ generationis conditionem agnoſcens, ſe

II. Pſal. 110. 4.

ad terram demisit, portans aquam non solum, ut pedes discipulorum lavaret, sed qualis ipse homo esset, protestaretur. Notat Philo lib. de Victimas offerentibus, mysterium cineris & aquę, qua secundum legem immolantes ante sacrificium lustrabantur. *Admonet eos*, inquit, *qui ad Dei cultum accedunt, ut ante omnia seipsos noscant, & suam essentiam. Nam quisquis seipsum ignorat, qui potest illam summam & excellentissimam Dei potentiam percipere? Est igitur nostra, quantum ad corpus, essentia, terra & aqua, id quod docemur hac purificatione: quando hoc creditur ad purgandum utilissimum nosse seipsum, ex quibus, & quam nihil rebus constemus, ex aqua & cinere. Nam hac reputatio confestim arrogantiam insidiatricem animo eximit, simulque superbiam, atq; ita demum conciliat infensum huiusmodi vitiis. Rectè enim alicubi dictum est: Qui superbis dictis, factisque non abstinet, non homines solum, sed & Deum irritat, aequissimum optimarum rerum opificem. Itaque aspersione hac sic excitamus & tangimus, quasi hac ipsa clementa, terra & aqua nos appellent in hunc modum. Nos sumus vestri corporis essentia: ex nobis natura, id est, ars divina contemperatis effinxit humanam speciem; ex nobis compacti prodiistis in lucem, in nos rursum solvendi post obitum: nihil enim in nihilum recidere natura patitur, sed unde est initium, eòdem finis redit.* Christus ad terram & aquam se deprimit, ut hominem se esse ostendat, & ut demonstret se Deum esse, extulit in cœlum oculos ad Deum, Patrem suum omnipotentem; *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, habitu inventus ut homo.* Satis ostendit Christus se esse ab omni furto & rapina divinitatis alienum, cum Patri se Deum in mystico pane ostendit. Quisquis furtivè quidpiam arripuit, cœlat & abscondit, ne rem ablatam dominus videat, ac repetat: non usurpavit sibi divinitatem, quam ita manifestat Patri, dum offert & offertur Eucharistice, nihilominus tamen tamquam reus furti captus est, & occisus, quia filium Dei se fecit, unde & Christus suis comprehensoribus inquit, *Tamquam ad latronem existis comprehendere me.* Nesciebat Synagoga mysterium, quod Sancta Ecclesia cognovit.

Nosce teipsum.

Phil. 2. 6.

Matt. 26. 55.

Gratitudo Sapientiæ. Patris.

III. Postquam sursum aspexit, gratias egit Christus Patri, cui quam accepta sit gratiarum actio, & quanti illam æstimet; vel ex hoc intelligi potest, quod teste Philone lib. de Victim. offerent. secundum legem duo Deo erigebantur altaria, materia, loco, usuque valde discrepantia. Alterum è saxis collectitijs impolitis exstruitur in atrio iuxta templi vestibulum, ad victimas immolandas. Alterum vero aureum situm est post primum velum in penetralibus, nemini conspicuum, nisi sacerdotibus functionis suæ tempore castitatem servantibus, quod factum est pro gratiarum actione. Concludit inde Philo; *Quanto enim aurum praestat lapidibus, & aditum vestibulo; tanto acceptior est suffitus gratiarum actionis, quam mactata victima.* Postquam in primo altari obtulisset agni paschalis victimam, ingressus est aureum charitatis altare, & in gratiarum actione seipsum obtulit Patri. Quę oblatio differt ab illa priore, quantum lapis ab auro, & adytum à vestibulo discrepans est. Non solum illud altare, sed etiam sacratus ignis templi pro actione perpetua gratiarum servabatur: ut notat idem Philo; *Mandatum*, inquit, *extat. Ignis in altari ardebit perpetuus, merito, ut equidem arbitror. Nam quia perennes Dei gratia, nec deficiunt, nec intermittuntur, sed inter-*

diu

diu noctuq; fruendas se præbent nobis hominibus, gratiarum actionem hac sacra flamma figurat, semper instaurandam, ne quando extinguatur. Quin & illud fortaße hoc modo quæritur, ut uno eodemq; igne continuato & aptentur noua sacra veteribus, quo sacrantur utraq;, ut approbatur perfecta gratiarum actio, quamuis pro variis occasionibus alias plures, alias pauciores adducantur victimæ. Testis mihi est S. Ephræm, quod *ignis immortalis sunt mysteria Christi*: & quidem perpetuus, cum dicat Christus, *Ecce ego vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hic ignis est, in quo aptantur & componuntur vetera & nova sacrificia, instituta pro actione gratiarum. Abel olim pro accepto gregum beneficio obtulit sacrificium; Abrahamus pro recuperato filio, Melchisedechus pro reportata victoria, & idcirco in sancto sacrificio Missæ orat Ecclesia, *supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech.* Propria ac germana conditio Sanctorum est, ut grati Deo sint, ac proinde tres pueri, cum ignem vicissent, eamque gratiam accepissent propter admirabilem & inopinatam salutem, cum se impares advertērent, ut gratias agerent, Angelos convocarunt, & omnia hominum genera, & cœlum ipsum & solem, & astra, & terram, & montes, & omnia rationis & animæ expertia, & omnem, ut simul dicam, creaturam. Tantum est Deum suum benefactorem laudandi desiderium in viris sanctis, cui, ut citatus Nicolaus ait, *satisfacere voluit Christus, & satisfecit instituendo sacrificium, quod sit perfecta & consummata gratiarum actio, & retributio pro cunctis donis ac beneficiis, licet illa maxima sint & infinita.* Magnitudine quidē & infinitate quadam munerum acceptorum pressus David interrogat: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Et ut se à tantis debitis liberet, *Calicem*, inquit, *salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Nihil iucundius, nihil amabilius est homini debitori, qui pressus magnis debitis, se ab illis desiderat vehementer eximere, quam invenire modum, viam & rationem solutionis, ut possit tandem suo creditori satisfacere. Hoc desiderium adhuc viget in cœlis, ubi gloriosi Sancti gaudent de sacra Eucharistia, quæ offertur in gratiarum actionem, pro beatitudine, qua ipsi sunt à Deo donati. *Vnde si quis eorum recordatus*, ut idem auctor docet, *Deum, qui eos coronavit, laudaverit, tribuit eis gratiam omnium gratiarum præstantißimam, & maximè quando non solum vocibus laudem celebrat, sed etiam donorum pro gratiis agendis oblatione, & donorum Deo a Deo acceptorum & pretiosiorum supremo honore. Tunc enim quemadmodum ipse Servator propitius ipsa suscipiens, & super omnem cultum legalem suum corpus & sanguinem retribuit, ita etiam ipsi eis gaudentes totos seipsos nobis præbent ad ferendum auxilium in omni re, quæ nobis conducit.* Præcessit Christus in hac ipsa pro gloriosis Sanctis actione gratiarum, & nunc illum sancta sequitur Ecclesia, ut idem ipse concludit; *Ea de causa, quando tradidit Servator Sacramentum Patri gratias agens tradidit, quod per ipsum nobis cælum esset apertum, & hunc primogenitorum cætum illic congregaturus. Eum imitans Ecclesia non solum supplicantem, sed etiam gratias agentem facit donorum oblationem.*

Matt. 28. 20.

Actio gratiarum Deo debita.

Psal. 115. 12.

Bene-

Benedictio Sapientiæ consecrantis.

IV. POst gratiarum actionem accipiens Christus panem, *Benedixit*; Benedixit Episcopus animarum uostrarum panem & calicem. *Vltima benedictio, quam facit Episcopus super populum*, ut ait Innoc. lib. 6. Myster. Missæ cap. 14. *missionem spiritus Sancti significat, quem de cælo misit Dominus in Apostolos iuxta quod eis ipse promisit: Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos. Hæc benedictio per verbum oris & signum Crucis exprimitur, quoniam illa missio per sonum aeris, & linguam ignis descendit.* Hęc ultima benedictio Christi eiusdem Spiritus sancti aduentum super Eucharistiam manifestè designat. Quapropter Iacobus Apostolus in diuina Missa inquit, *Similiter postquam cænavit accipiens calicem, & permiscens ex vino & aqua & aspiciens in cælum, ac ostendens tibi Deo & Patri gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu sancto dedit nobis Discipulis suis.* Convenienter igitur Ecclesia Sancta postquam adventum Spiritus sancti celebravit, instituit Festum corporis Christi, ut mysticam Spiritus sancti benedictionem Eucharistia sequeretur.

Benedictio Dei et cæli. Benedixit more divino, teste enim Aug. in Psalm. 66. *Benedictio Dei in multiplicatione solet propriè & maximè intelligi, sicut scriptum est in Genes. Benedixit eos dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Ergò eius benedictio ad multiplicandum valet.* Declaravit benedicendo Christus instituere se Eucharistiam, quę esset ita augenda, ut totum mundum impleret, sicut revera implet in tot Ecclesijs, & altaribus consecrata, cuius virtute non terra, sed cœlum multitudine sanctarum prolium occupatur, ac decoratur. Prosequitur Aug. *Cùm benedicit nos Deus, nos crescimus, & cùm benedicimus Deum, nos crescimus: utrumque nobis prodest. Prior est in nobis benedictio Domini, & consequens est, ut nos benedicamus Dominum. Illa pluuia, iste fructus.* Cùm igitur Christus benedixit panem & vinum, non solum ostendit augmentum & incrementum Sacramenti, sed etiam fidelium Christianorum, unde & convenienter sacra canit Ecclesia, *A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati fideles in pace Christi requiescunt.* Benedixit Christus panes in deserto, sed non multiplicavit convivas, solos hordeaceos panes auxit: res tunc erat cum Synagoga, de cuius incremento non agebatur: at cum Christus benedixit Eucharistiam collimabat in Ecclesiam, per totum orbem multiplicandam & augendam, ac proinde voluit, ut virtute tanti Sacramenti fideles convivę copiosiores, ac numerosiores fierent,

Psal. 134. 7. Benedixit, more cœli, quod pluit, ut terram fecundet, Benedictio Dei pluvia est, ut iam dixit August. & qua nocte Christus tradebatur *fulgura in pluviam fecit*, fulgura nimirum amoris, de quibus scripsit Ioannes *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* (Ioan. 13. 1.) Fecit hæc fulgura in pluviam, cum benedixit Eucharistiam. Cui bono? ut tam frumentum, quam uinum cœleste germinarent; *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* (Zach. 9. 17.) Cum dixerit Deus; *Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi*, (Gen. 3. 17) cœlestis pluuia non habet tantam vim, ut terram à prædicta maledictione liberet, & tribulos & spinas tollat, hæc talis benedictio est, ut ubi illa sit, omnis maledictio dispareat. Quod amplius est, Christus ipse, qui *factus est pro nobis maledictum*, (Galat. 3. 13.) & spinas in Cruce tulit, in hoc Sacramento sine spinis & sine tribulis

bulis totus benedictus est. Similis huic pluuiæ antiqua illa est, qua cælum depluit manna. & cui assimilari verba sua cupiebat in Cantico Moses; *Concrescat ut pluvia doctrina mea fluat ut ros eloquium meum. Quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.* Viderat & notarat Moses in descensu & delapsu ambrosiæ cæli super herbam & super gramina pluviam concrescere in rorem, & in suavem liquoren, & talem esse suam doctrinam, suum eloquium desiderabat. Respondit voto successus, cùm panis descendit è cęlo, & idcirco Ecclesia sancta ante eius delapsum paulo ante Nativitatem ait; *Expectetur sicut pluvia eloquium meum, & descendat sicut ros Deus noster.* *Pluuia panis cœlestis.* Deut. 32. 2

Fractio mystici panis.

QVi benedixit, fregit etiam panem, cuius fractionis meminit Paul. 1. ad Cor. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit.* Accedit in Commentarijs Anselmus; *Accepit panem, ut significaret se accepisse corpus, quo nos pasceret. Et fregit panem, ut ostenderet corporis sui fractionem, id est, passionem, non absq; sua sponte atq; procuratione venturam, sed se facturum illam, sicut ait; Quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Cum Christus antè consecrationem panem fregerit, ut ostenderet se spontaneè mori, mirum videri debet, quod sancta Ecclesia non antè dividat hostiam, quam sit illa consecrata. Cardinalis Baron. in annum 34. ca. 39. docet moris fuisse apud Hebræos, ut Pater familias tortam panis azymi sub mappa antea servatam frangeret, in tot particulas eam dividens, quot essent discumbentes, sicque divisam porrigebat singulis. Post communem benedictionem adhiberi solitam ob celebritatem in distributionem tortæ dicebat: *Hic est panis ærumnæ: quem comederunt patres nostri in terra Ægypti; quisquis esurit, accedat & comedat Pascha.* Acceptum quoque calicem benedicebat, dicebatque; *Benedictus es Domine, qui fructum vitis creasti eis*, & degustatũ tradebat proximo, ille alteri, donec per totam mensam circumferretur. Sunt qui velint ita factum à Christo fuisse, ut facta iam consecratione, diviserit azymum pro numero Apostolorum, sed S. Thom. 3. p. q. 78. a. 1. docet ante consecrationem factam fuisse fractionem, cui assentio. Fregit Christus panem veluti pater familias, antiquis moribus, novis vero quasi summus Sacerdos illum consecravit, & consecratum discipulis suis distribuit. Cum autem Christus dederit suam potestatem Ecclesię pro conficiendo tanto mysterio, illa tamquam mater familias novo ritu, non antiquo integrum panem acceptum non antè, sed post consecrationem dividit dicens; *Hæc commistio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.* V. *Benedictionis forma pro azymis.* *Ecclesia frangit panem post consecrationem*

Fregit panem. Non solum cum sacra passione habet hæc fractio consonantiam, sed etiam cum sancta resurrectione, & idcirco post illam discipuli duo Christi *cognoverunt eum in fractione panis.* Sicut enim spontè sua mortuus est, spontaneè quoque ad vitam redijt. Materialis panis dividi & secari facilè potest, sed non ita facilè redintegrari quit. Christus verò eadem facilitate, qua è vivis abijt, ad viuos redijt totus redintegratus, ita tamen ut aliqua signa prioris fractionis in sacro suo corpore remanerent. Hæc sunt vulnera manuum, pedum & pectoris, quorum attactu convictus Luc. 24. 35

Ioa.20.28 ctus exclamauit incredulus Thomas, *Dominus meus, & Deus meus*. Nec dissentio pijs auctoribus existimantibus, quod duo discipuli *cognoverunt eum in fractione panis*, quoniam, dum panem frangeret, aperuit manus, & in manibus gloriosa vulnera comparuerunt. Unde non solum in memoriam passionis, sed etiam resurrectionis Ecclesia celebrat. Ad hanc pertinet fractionem, quod lib. 2. qq. Euangelic. q. 51. nos docet August. *Voluit agnosci Dominus in fractione panis. Securi sumus, panem frangimus & Deum agnoscimus. Noluit agnosci ibi, nisi propter nos, qui non eum visuri eramus in carne, & tamen manducaturi eius carnem. Quisquis fidelis es, quisquis non inaniter Christianus vocaris, quisquis Ecclesiam non sine causa ingrederis, quisquis verbum Domini cum spe & timore audis, consoletur te fractio panis. Absentia Domini non est absentia. Habeto fidem, & tecum est, quem non vides.* Cognoscitur in fractione panis Christus, quæ causa est, ut in sancto Missę sacrificio agat cum Deo Patre, sed postquam hostiam divisit, apostrophen faciat ad Filium, dicatque, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, in cuius collocutione & supplicatione perseverat, donec suum conficiat & absolvat sacrificium.

Fregit panem; Anselmus iam allegatus, *ut omnibus suis ex eo daret, & unum omnes illos faceret*. Deus a dando dicitur, & Deus est, qui *dat omnibus affluenter*, & pro more suo panem fregit, ut omnibus suis daret ex eo, qui si non divideretur, unus quidem abundaret, & alius esuriret, & pietas reclamaret apud Deum; *Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia eius.* Accedit in Commentarijs Hieron. *præbens se panem vivum, & vitam dantem huic mundo.* Hæc Dei conditio est: at princeps mundi huius contrario modo procedit, ut animam unam pervertat, se illi omnia largiturum facilè promittet; promisit & Christo; *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Hinc disces, qualis sit Christiana, qualis & mundana aula: Christiana illa est, in qua ex ęquo panis dividitur & distribuitur: mundana verò est, in qua unus accipit & capit omnia, & cæteri parum vel nihil impetrant. Cùm in cælis erit habitatio nostra, non erit opus, ut panis dividatur, & frangatur. Tunc Deus erit omnia in omnibus, cum *videbimus Deum sicuti est*, more sanctorum Angelorum, qui non diviso, sed integro pane fruuntur; *Panem Angelorum manducavit homo*, sed fractum. Cum integra hostia est, orat in Missa Sacerdos, *Iube hæc perferri per manus Angeli tui in sublime altare tuum:* frangitur deinde, & divisam accipit illam Sacerdos, qua integrè fruetur, cum in cœlum assumetur. Interim tamen frangitur, & omnibus datur, ut omnes in unum conveniant. Audiendus est S. Augustin. Serm. de Resurrect. *Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatum per verbum Dei, corpus Christi est. Calix iste, immò quod habet calix sanctificatum per verbum Dei, sanguis Christi est. Per ista voluit Dominus Christus commendare corpus & sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum. Si benè accipitis, ut Apostolus dicit, unus panis & unum corpus multi sumus. Commendatur vobis in uno pane, quomodo unitatem amare debeatis. Numquid enim panis ille de uno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana, sed antequam ad panem venirent, separata erant, & per aquam coniuncta sunt post contritionem.* Fregit pro omnibus panem, dicitque propterea.

Margin notes: Liberalitas Dei. — Ps.135.26 — Matt. 4.9 — 1.Ioa. 3.2. — Ps.77.25.

Com-

Commune omnibus sacrificium.

A*Ccipite & manducate ex eo omnes*. Quicquid Christus accepit, non sibi, sed nobis accepit, erat instar auis, quæ non sibi, sed nobis nidificavit, instar cælestis apis, quę nobis fauos fabricavit, instar bovis, qui pro nobis crucis aratrum traxit, instar mysticę ouis, quæ nos de sacro suo vellere vestivit, & exornavit. Hæc Christi conditio satis mysticè exponitur, cum dicitur de eius purpura; *Purpura regis iuncta caanlibus*, vel ut alia versio sonat; *Rex ligatus in canalibus*. Quicquid accipiunt canales, non servant sibi, sed effundunt, quales illi, talis & Regis purpura, talis & Rex purpurarius, ut bona sua profundat, Bonus canalis, cùm dicat, *Omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*, & dicat de ipso Ioannes, *Dedit ei omnia Pater in manus*, & cum *se dat suis manibus*, largitur omnia Apostolis, quibus ait, *Accipite & manducate ex eo omnes*. VI. Cant. 7. 5 *Christus bona sua profundit* Ioan. 5. 15 Ioa. 13. 3.

Multi multa accipiunt bona, sed acceptis non fruuntur defectu facultatis, quam a Deo debent, obtinere, & non obtinent. Grande hoc malum est, quemadmodum fatetur Ecclesiastes cap. 6. *Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir, cui dedit Deus divitias & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud; hæc vanitas & miseria magna est*. Hoc malum frequens in mundo est, non in Ecclesia, ubi & Christus non solum dicit, *Accipite*, sed etiam, *manducate ex eo omnes*.

Commentatur hæc eadem verba S. Thom. 1. Corinth. 11. & testatur hoc esse *quasi diceret, Non ex potestate & merito humano competit vobis usus huius Sacramenti, sed ex eminenti Dei beneficio*. Cùm mitteret Christus discipulos ad concionandum monuit, *Manducate, quæ apponuntur vobis, dignus est enim operarius mercede sua*. Hic autem cibus ita sublimis est, ut nullus operarius eo sit dignus, sed ómnis homo teneatur profiteri & confiteri, *Domine non sum dignus*. Coniunge, si placet, merita cuncta Sanctorum, & ex eorum gloriosis operibus erige cumulum, manebit inferior particula sacræ hostiæ, quæ in altari subministratur. Subministravit Christus non dignis, sed non indignis, propterea lauerat pedes eorum, quibus nunc dicit: *Accipite & mãducate, ex eo omnes*. Mirum quod pedes potius lauerit, quâm manus, quibus accepturi forent sacram Eucharistiam; præsertim cùm in veteri lege, antequam fieret immolatio, suas abluerent manus Sacerdotes. Quem sibi ritum retinendum censuit Ecclesia pro sancto sacrificio Missæ. Omnes Sacerdotes oblatione facta manus lavant, quibus accepturi sunt venerabile Sacramentum post factam consecrationem: Et quidem Petrus non solum pedes & caput, sed etiam manus obtulit abluendas, ut partem cum Christo haberet. Christus vero non acceptauit manus, sed pedes, quos aqua purificavit. Non itaque opus erat mundare manus eorum, quos Pharisæi detulerant apud Christum; *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum: non enim lavant manus, cum panem manducant?* cum delatoribus respondisset ablutione manuum illos non indigere, qui innoxij & innocentes manibus essent. *Dignitas Eucharistiæ.* Luc. 10. Matt. 15. 2

Accipite & manducate ex eo omnes. Invitat ad usum venerabilis Sacramenti, nec tamen in usu consistit Eucharistia, quemadmodum S. Thomas citato iam loco advertit. Consistit in usu Baptismus, cum dicit minister, *Usus Eucharistiæ.*

Ego te baptizo, similiter & Pænitentia, & confirmatio, cum ait, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, vel, *confirmo te chrismate salutis*. Sacramentum Eucharisticum perficitur non in applicatione materiæ, sed in consecratione panis & vini, quibus Christus continetur, unde hæc verba, *Accipite & manducate*, quæ ad usum Eucharistiæ pertinent, non pertinent ad eius substantiam, nec essentiam. Ergò cùm hoc Sacramentum non pendeat ab usu, non potest veterascere, nec atteri, sed noui & æterni testamenti mysterium semper erit, ut & canere possit Ecclesia, *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui, & antiquum documentum nouo cedat ritui*. Nouum semper mysterium exigit, ut *noua sint omnia, corda, voces & opera* eorum omnium, qui ad eius participationem invitantur. Absit, ut communis & frequens huius Sacramenti & sacrificij usus terat, & vetustam reddat celebrantium & communicantium devotionem.

Christi intelligibili voce consecravit.

Accipite & manducate ex eo omnes. Crediderim quod cum hæc verba protulit Christus, ita protulerit, ut omnes Apostoli illam audierint, unde in divina Missa S. Iacobi & in Liturgia S. Marci alta voce dicitur, *Accipite & manducate ex eo omnes*. Exhortatur Isaias cap. 13. *Exaltate vocem*. Accedit Basilius, *Vaniloquorum vox, qui de terra loquuntur, demissior fit & languescens. Qui præ pusillanimitate, mærore ac timore à spe animum deijciente loquitur, vocem suam minime exaltat. Quisquis succubuit desiderijs ad annunciandum Dei verbum exilem habet & abiectam carnis vocem, neque potest ad superna suam exerere vocē. Qua igitur ratione attollitur vox? Si magno ac præstāti animo adversus turbulentas animæ affectiones exoriare, nec te sinas succumbere tentationibus, quo tempore te adoriuntur, tunc sanè tuam exaltabis vocem*. Christus, *in qua nocte tradebatur*, ut quo esset præditus animo vocem extulit, & in ipso mortis articulo alta voce expiravit ut, se superiorem esse laboribus & passionibus ostenderet.

Mystica Eucharistiæ acceptio.

Accipite & manducate. Nicolaus Labasila in Exposit. Liturgiæ cap. 47. agit de sacrorum munerum acceptione, & quidem satis mysticè; Consideremus, inquit, quatenus accepta. Quid enim hoc sibi vult, esse donum acceptum etiam apud homines, quid nam facientes dicuntur ea dona suscipere? An quod manibus sumimus, & ea in sinum ponimus? Nequaquam, Multa enim sunt, quæ nec qui accipiūt ferre, nec suscipere possunt, quemadmodum, si sit ager, quod datur, vel domus vel quid tale. Sed quidnam est accipere in omnibus donis? *In proprijs statuere propria, & domestica efficere, & ea ratione accepta esse dicuntur*. Sic *accepit Iesus panem*, & calicem & hæc dona ita propria & familiaria effecit, ut ea faceret esse corpus & sanguinem suum, & ad eandem formam cum dicit: *Accipite & manducate*, vult ut in proprijs tamquam propria accepta dona statuamus, & domestica efficiamus, more illorum, quorum meminit S. Lucas. cap. 2. Act. *Quotidie perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem*. Adverterim ex eodem Nicolao, quod si quicquam mea gratia datum sit, ego accipio, quicumque is sit, qui accipit. Non enim omnia, quę nobis undecumque donantur, nostris manibus accipimus, sed etiam amicorum, & familiarium, & ut semel dicam, omnibus, qui donator tribuit, ut nobis rem gratam faciat. Quare necessum est, ut cum ait Christus Apostolis, *Accipite & manducate ex hoc omnes*: nobis omnibus, quorum etiam causa hoc dicit, dictum sit.

VER-

VERBA CONSECRATIONIS.

Hoc est enim corpus meum.

SImili modo postquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, deditq́. Discipulis suis dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes. Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, Hęc est mystica immolatio, qua diuina Sapientia Patris seipsam consecrauit, & *immolavit victimas suas*, pretiosi scilicet corporis & sanguinis sui. Hæc vis, hæc virtus lucis est, ut omnia indicet, omnia signet, ac proindeDeus in prima creatione rerum dixit, *Fiat lux, & facta est lux*, ut ea quæ prius facta erant, & latebant, declararet, & quæ facienda erant, demonstraret. Sola lux non indiget ullo indice, ipsa seipsam declarat, Quod magis elucet in ea, de qua Ioannes, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & Ambros. lib. 2. in Luc. cap. 2. *Sua ipse luce se signat*, Signat quippe se, cum dicit, *Hoc est enim corpus meum*, &c. *Hic est enim calix sanguinis mei*, Indicat imprimis sacri sui corporis sacrificium. VII. Gen. 1.3. Ioan. 1.9.

Hoc est enim corpus meum.

VEniamus iam ad singula verba consecrationis, & expedamus pronomen, *Hoc*, quo Christus corpus suum in Eucharistia contendit indicare. Cùm natus esset ex Virgine, habuit stellam inducem: *stetit supra, ubi erat puer*, antequam conciperetur, indicabat illum Gabriel: *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Postquam iamadolevit, indicatus à Præcursore, qui parandæ viæ causa præivit ante Dominicam faciem: indicavit, cùm dixit: *Ecce agnus Dei.* Cum instituit Sacramentum, pronunciat verbum, *Hoc*, angelus, stella, & præcursor sibi est. Angelus testamenti, qui nouum & æternum condit; Angelus magni consilij, qui ex thesauris absconditis Sapientiæ magnas huius Sacramenti divitias nobis thesaurizavit, Hic Angelus sui corporis prænuncius est, cum ait. *Hoc est corpus meum.* Nec dum corpus est, & iam per pronomen, *Hoc*, futuram mutationem, & conversionem prænunciat. Cum ipse quoque sit stella, secundum incarnationis mysterium, sapienter argumentatur Ambros. lib. 2. in Luc. cap. 2. *ipse est stella splendida, & matutina: sua igitur ipse luce se signat.* Signat se, dum nascitur, & a Regibus Orientis colitur, signat se, dum consecratur, & post consecrationem pinguis est panis Christi prębens delicias regibus. Præcursoris etiam officium, & munus exercet, & indicat se agnum Patris pro nostra redemptione sacrificandum. Nemo est, qui nesciat S. Andream Apostolum, cùm indicasset Ioannes Agnum, sibi magistrum & præceptorem elegisse, & indicante seipsum Christo, Agnum habuisse pro sacrificio, cuius veritatis testimonium coram Proconsule protulit: *Ego omnipotenti Deo, qui unus, & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari: cuius carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, agnus, qui immolatus est, integer perseverat, & vivus.* Hoc non indicavit Ioannes Andreæ, sed Christus, & indicat Sacerdoti VIII. Matt. 2.9. Luc. 1.32. Ioa. 1.36 *Christus est index sui ipsius.*

qui postquam nomine Christi dixit; *Hoc est corpus meum*, orat, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, & communicanti populo dicit: *Ecce agnus Dei, ecco qui tollit peccata mundi.* Notandum, quod cum præcursor Ioannes cęlestem agnũ demonstravit, cæpit ille decrescere, magnificari verò Christus: cæpit minui clamantis in deserto Vox, ut fortius & efficacius Verbũ divinum resonaret. Christus quoque præcursor Sacramenti sui post sacri corporis ostensionem magnificatur in Eucharistia, qui per passionem *hu-*
Phil. 2. 8. *miliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.* Indica-
Ioa. 3. 30. vit Ioannes, & dixit: *illum oportet crescere, me autem minui*, indicavit seipsum Christus, & qui demissus est in passione, crescit, & augetur in cęna, relictus enim in passione solus, adhærentes sibi lucratur in mensa. Nec solum Ioannes minutus, sed & Angelus discessit, & disparuit stella, postquam fuerunt indices Christi, & Christus, indicato corpore suo, discessit ad crucem, & in cruce disparuit.

Suspendit mentes Christus in consecratione.

IX. NOtant Theologi, quod pronomen, *Hoc*, pronunciatum à Christo secum importet quandam indifferentiam ad panẽ, & corpus divinũ, ita ut pronominis significatio suspẽsa quonam modo fit: si enim dicti pronomine panis significaretur, in fine falsa propositio foret, & adversaretur veritati Sacramenti, quia panis non est corpus Christi, & locutio esset impropria, & identica, & non tam significaretur conversio panis in corpus, quam denotaretur idẽtitas ipsius corporis. Oportebat ergò, ut vox illa suspensa maneret, & suspensos audientes redderet, donec propositione absoluta, cuius rei foret indicium, innotesceret. Cùm missus est Angelus
Luc. 1. 29. Gabriel à Deo, primo suo sermone reddit suspensam Virginem: *Cogitabat, qualis esset illa salutatio*: cum stella Magorum extitit index, mentem eorum
Matt. 2. 2. suspendit, & ideo rogant: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Tandem Ioannes Christum digito monstravit, nec declaravit quis esset, donec protulit. *Ecce agnus Dei.* Noster igitur Angelus, nostra stella, noster Præcursor mentes hominum, & Angelorum suspendit, ut cogitent, quale futurum sit mysterium *Hoc*, quibus Christus tandem satisfacit & respondet: *Hoc est corpus meum.* Mirabantur olim, viso manna, veteres Hebræi, & præ admiratione rogabant: *Quid est hoc?* & nos etiam pariter mirantes audito pronomine *Hoc*, quęramus. *Quid est hoc?* Tam illis, quam nobis commune responsum Christus præbet.

Respondet Christus mentis suspensioni

Hoc est corpus meum.

X. EXpendamus verbum, quod secũdo loco ponitur, *Hoc est*, & miremur non eodem stylo, quo creavit omnia, suum instituisse Sacramentum. Creavit omnia per imperium: *Fiat lux, Fiant luminaria*, & eadẽ ratio est de cęteris creaturis, cum dicat David Ps. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* Imperare superioris est, & ideo, cum creaturas cõdidit, imperavit, ut se cunctis rebus creatis superiorem ostenderet. Ne quis inferius Christo mysterium hoc arbitraretur, non imperat: *Fiat corpus*
Gen. 1. 14 *meum*, sed dicit. *Hoc est corpus meum.* Cum authore suo Sacramentum hoc inferius non sit; voce imperiali usus non est, & ideo nihil derogat institutum fuisse, quominus idem cultus & reverentia, quę Christo defertur, exhibeatur, & debeatur Eucharistię, sicut definit Concilium Trident. ss. 13. cap. 5.

Christus nõ utitur voce imperiali in consecratione.

Nullus

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepta, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim minus est adorandum, quod fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum. Nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverũt, quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse scriptura testatur. Cùm Deus Moysi legationem daret, & præsens esset, audivit: *Ego sum, qui sum,* cum acturus esset cum absenti populo, ait: *Qui est, misit me ad vos.* Idem Deus est, qui loquitur: *Ego sum, qui sum,* & idemipse, qui dicit: *Qui est, misit me, ad vos,* cum hoc tamen discrimine, quod prior vox ad pręsentem Moysen, posterior verò dirigebatur ad absentem populum. Quibus præsens erat Christus, asserebat: *Ego sum,* sed cum discessurus esset ad Patrem, & mundum relicturus in absentium gratiam dicit: *Hoc est corpus meum.* Præterea, idem cultus & eadem reverentia, quam exhibuit Moyses in præsentia, repetebatur, & Deo pendebatur à plebe, quia unus & idem Dominus erat: cùm igitur idem Deus sit in Eucharistia, quem in præsentia cælestes Angeli, Magi, & Apostoli venerabantur, eodem prorsus latriæ cultu, ac ritu nobis honorandus est.

Cultus debitus Eucharistia

Exod. 3. 14.

Imperium Christi consecrantis.

XI.

QVamvis verum sit, quod Christus non sit superior Sacramento suo, si respiciamus totum id, quod sub speciebus panis continetur, negare non possumus, quin detur locus imperio, cum ultra divinitatem Christi sit substantiæ panis destructio, accidentiaque non sibi debitum accipiant statum: quæ quidem duohaud quaquam sine iussu & imperio divino consisterent, nec quidem consisteret ibi corpus creatum sine mandato Creatoris. In huius rei confirmationem repetenda nunc est Ambrosij sententia lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Iussit Dominus, & factum est cælum. Iussit Dominus, & facta est terra. Iussit Dominus, & facta sunt maria. Iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergò quam operatorius sit sermo Christi? Si ergò tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem: Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Ergò, ut tibi respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quod iam corpus est Christi. Ipse dixit, & factum est: ipse mandavit, & creatum est.* Mandavit quidem non tam potestate, quam veritate, potestate mandat, cum dicit, *Fiat,* veritate verò per verbum *est,* unde Concilium Trident. ss. 13. cap. 4. *Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit: idque nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius.* Dixerat Christus: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus,* & ideo pertinebat ad veritatem divinam reddere dictorum securam fidem, reddidit autem, cùm Christus redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis, offerebat, verè esse dixit. Ipse dixit, & factum est, ipse mandavit & creatum est. Nec mirum veritate mandet, & iubeat Dominus, cui canit David. Ps. 118. *omnia mandata tua veritas.* Verborum

Veritas verborum

Ioa. 6. 56.

borum quidem consecrationis vis non est alia, quam veritatis, unde cum ex vi verborum existat in Sacramento Christi corpus, necesse etiam est, ut ex vi veritatis existat.

Consonant sibi consecratio & incarnatio.

XII. Cum factum est caro Verbum, per verbum *Fiat* factum est, cùm consecratur per verbum *est*, sub specie panis producitur. Tunc factus est homo, cùm Maria protulit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, & nunc producitur in Sacramento, cum sermo profertur, *Hoc est corpus meum.* Significat proculdubio Christus, quod hoc idem corpus, quod factum, & fabricatum fuit in Virgine, hoc idem sub symbolis panis constituitur. Consonant sibi verba matris, & filij, matris quidem generantis corpus, & Christi hoc idem ipsum consecrantis, & hæc causa est, propter quam in Missa Aethiopum, postquam sacerdos consecravit, simul addit: *Hoc est corpus sanctum honoratum & vitale Domini, & Salvatoris nostri Iesu Christi, quod datum est in remissionem peccatorum, & ad vitam æternam consequendam verè sumentibus ipsum. Amen. Hic est sanguis Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, sanctus, honoratus, & viuificans, qui datus est in remissionem peccatorum, & ad vitam æternam consequendam verè sumentibus ipsum. Amen. Verè hoc est corpus, & hic est sanguis Emanuel Dei nostri. Amen. Credo, Credo, Credo ex nunc & usque in sæculum. Amen. Hoc est corpus, & hic est sanguis Domini, & Salvatoris nostri Iesu Christi, quod, & quem assumpsit ex Domina nostra Sancta, & immaculata Virgine Maria, & univit cum divinitate sine mixtione, aut copula naturali, sine separatione, aut permutatione divinitatis: quam rem testatus est optimo testimonio tempore Pontij Pilati, quo se sponte præbuit pro nobis in ligno sanctæ Crucis. Amen.* Cùm natus esset ex Virgine, non habebat in ipsum ullum imperium mors, nec mortis minister Pilatus, & ideo aliunde, nimirum desuper, accepit in Christum potestatem: Christus ait: *Non haberes potestatem,*
Ioa. 19. 11 *adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper*; satis explicavit divinum ex Patre, & humanum ex matre titulum habere, propter quem à morte & eius ministris esset liber, & immunis.

Mysterium humilitatis in Eucharistia est.

XIII. Corpus erat vnitum divinitati, viuificatum sanctissima anima, & ex purissimis matris sanguinibus desumptum, & solum in consecratione Christus dicit: *Hoc est corpus meum:* Quare, summe Sacerdos, non asseris, cuius conditionis ac nobilitatis sit corpus? Humilitatis ergò corpus dicit, & cæteras dotes tacet. Simile quid legimus cap. 1. Ioannis, ubi Verbum dicitur caro factum, & tacetur anima, causamque declarat August. lib. 83. qq. 80. *Ideo dicitur, Verbum caro factum est, quia usque ad visibilem carnem assumptio illa humanæ naturæ à Deo facta est, atque in tota illa unitate susceptionis principaliter Verbum est, extrema autem atque ultima caro. Volens itaque Euangelista commendare nobis dilectionem humilitatis Dei, qui se humiliavit, & quousque se humiliaverit exprimens, Verbũ, carnemque nominavit, prætermittẽs animæ naturam, quæ verbo est inferior, & carne præstantior. Magis enim commendat humilitatem, quia dictum est, Verbum caro factum est.* Quanvis tanta sit commendatio
Humilitas incarnationis. humilitatis, maior hæc est: ibi enim anima tacetur, sed non divinitas Verbi: *Verbum caro factum est:* hic autem exprimitur solum corpus, & anima, & divini-

divinitas silentio conteguntur. Sed cùm ipse legem illam promulgaverit: Luc. 14. 12
Qui se humiliat, exaltabitur, exaltatur in eo, quod & anima, & divinitas propter connexionem, & concomitantiam Christi corpus amplectantur. Hûc pertinet definitio Concilij Trid. ss. 13. cap. 3. cuius verba recitanda sunt: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri, corpus, verumque eius sanguinem, sub panis & vini specie una cum ipsius anima, & divinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamq́; sub utraque ui naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se compulantur. Divinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypostaticam unionem.*

Luit in corpore Christus.

IUxta regulam iuris: *Qui non habet in bonis, luat in corpore*; cum ergò Christus fideiussor pro debitis nostris esse dignatus sit coram Patre, cum bona non haberet terrena, ut posset satisfacere, luit in corpore, quod in remissionem peccatorum nostrorum obtulit. Illud autem, quod obtulit pro solutione, corpus suum esse significat, ut insinuet, quod cum nullum aliud sit corpus, satis idoneum ad victimam, & sacrificium, satisfacit in corpore proprio. Hęc sunt illa mirabilia, quorum consideratione Ps. 38. David obstupefactus exclamat: *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est, qui similis sit tibi.* Quid audisti, quid vidisti o Rex? Audite, & videte, quæ Patri dicat divina Proles. *Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*, Paulus legit. *Corpus aptasti mihi*, nimirum ut cùm aliud sacrificium & oblationem recusares, in carne luerem, & dicerem: *Hoc est corpus meum.* Hoc mirabile est, & illud etiam, quod cum in bonis huius Sacramenti plena satisfactio fuerit, rursum in cruce Christus passus, in corpore luerit. Oportebat quidem, ut cum iniuria & offensa facta Deo nota esset & publica, non solum in Sacramento fieret secreta compensatio, sed publica, coram Pontificibus populi Anna, & Caipha, coram iudice, coram Rege, & tandem Christus medius inter cælum & terram penderet, ut universæ terræ, ac cęlo, quibus nota erat culpa, & offensa nostra, satisfactio Redemptoris manifesta redderetur. Tandem. *Hoc est corpus meum*, enunciat, ut sciamus, quod cum nobis traditur, suum esse non desinat, neque enim per traditionem abdicat se corporis sui dominio. Hoc dixerim, ne quis arbitretur posse se corpus hoc pro libito tractare, & de illo disponere, prout velit. Sciat unusquisque nostrum corpus in Eucharistia positum esse sub dominio Christi, & ideo Paulus cùm de institutione mysteriorum sacrorum scribit ad Corinth. toties inculcat nomen Domini: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis. Quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, &c.* Cum Dominum sui corporis esse Christum monuerit Paulus, quanta cura atque cautione tractandum sit, statim notat: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini.* Sin verò minus cautè procedat, & ausu temerario manducet, & bibat indignè, quisquis ille sit, *reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Dominium corporis sacri penes Christum residet, sed vsusfructus pertinet ad nos, qui divinorum Sacramentorum usufructuarij sumus. *Mysterium*

[Margin notes: XIV. *Luit in corpore Christus*. — Heb. 10. 5 — *Satisfactio publica & priuata*. — *Dominiũ et usufructus corporis Christi*. — 1. Cor. 11. 23.]

ſterium hoc, ait Iuſtinian. de perfect. Monaſt. Converſat. cap. 19. *quaſi ingens arbor virtutibus referta, ſub qua quicumq; fugiunt laborantes, & peregrinantes proteguntur in ipſius umbraculo, ab diei æſtu, & turbine quoque & pluvia.* Novit Eccleſia ſancta conditionem arboris huius, & ait: *Sub umbra eius, quem deſi-*
Cant. 2.3 *deraveram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Caue ne noceas & officias arbori, ſed ex ea fructus decerpe; fructus enim huius arboris pretioſę tibi competit, non dominium.

Hic eſt enim calix ſanguinis mei,

XV. CAlix in conſecratione ſanguinis duplicem ſenſum admittit, ut S. Th. 3. p. q. 78. a. 3. declarat. Prior eſt, ut ſecundùm metonymiam continens pro contento collocetur, & ſit ſenſus: *Hic eſt ſanguis meus contentus in calice.* Poſterior eſt, ut metaphoricôs accipiatur, & per calicem accipiatur paſſio Chriſti, quæ ad ſimilitudinem calicis inebriat ſecundum illud Threnor. cap. 3. *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio.* Unde & ipſe Dominus paſſionem ſuam calicem nominat: *Tranſeat a me calix iſte.* Hac prænotatione facta, non caret emphaſi, quod poſt panis fractionem calix in conſecratione ſanguinis repræſentetur. Lego apud Ambroſ. lib. 7. Luc. cap. 11. per calicem noſtræ fragilitatem naturæ ſignificari, & in hunc ſenſum exponit myſticè ſententiam Salvatoris; *Nunc vos Phariſæi prius quod deforis eſt, calicis, & catini mundatis.* Ambroſ. *Vides corpora noſtra terrenorum & fragilium expreſſione ſignari, quæ breui lapſu præcipitata frangantur?* Mutuatus Chriſtus mortalitatem noſtram, factus eſt ſicut unus ex nobis, ut oſtenderet naturæ ſuæ fragilitatem, fregit panem, & in eiuſdem rei confirmationem, accipiens calicem, conſecravit, & calicis ſymbolo declaravit conditionem naturæ, quam propter nos homines, noſtramque ſalutem aſſumpſerat. Præterea cùm verba non dirigat ad id, quod paret in calice, ſed ad id, quod interius continetur, redarguit errorem Phariſæorum, qui nimis erant circa exteriora curioſi, circa interiora verò ſocordes; imo & nos monet, ut qui habemus theſaurum noſtrum in vaſis fictilibus, theſaurum internum, curemus, quemadmodũ illa regina, cuius meminit Da-
Pſa. 44. 14 vid. *Omnis gloria filiæ eius Regis ab intus.* Synagoga, quod deforis erat calicis, & catini mundabat: at Eccleſia docta magiſterio Chriſti mentem & animam magna cura, ac ſedulitate purificat.

Fragilitas naturæ humanæ.

Differt calix Chriſti a calice Babylonis.

XVI. Pſal. 22. 5. HIc Calix præclarus eſt: *Calix meus inebrians quam præclarus eſt!* Præclarus Calix, non ille, quem Babylonica meretrix in manu geſtabat, ut advertit in 1. Pſ. citatus Ambroſ. accipe verba: *Vide quemadmodum Dominus artibus diaboli pro ſuis ſervis obviaverit. Ille cibo fraudis decepit unum, ut in uno omnes circumveniret. Ieſus autem cibo ſalutis omnes redemit, ut in omnibus & illum, qui deceptus fuerat, reformaret. Ille calicem aureum Babylonis excogitavit, ut quicumque biberent, plus ſitirent, & quia potus placere non poterat, auri pretio illiceret ad bibendum. Propinavit de vino ſuo, cui met alli ſuffragia requiſiuit. At vero Dominus Ieſus aquam de petra effudit, & omnes biberunt. Qui biberunt in typo, ſatiati ſunt: qui biberunt in veritate, inebriati ſunt. Hoc ergo poculum bibe, de quo dixit Propheta. Et poculum tuum inebrians quam præclarum eſt: quia & tu bibis poculum ſapientiæ, quæ ſit auro, argentoque pretioſior. Potus Chriſti*

Christi concludit: *Bibe Christum, quia vitis est. Bibe Christum, quia petra est, qua vomuit aquam. Bibe Christum, quia fons vitæ est. Bibe Christum, quia flumen est, cuius impetus lætificat civitatem Dei. Bibe Christum, quia flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Bibe Christum. ut bibas sanguinem, quo redemptus es.* Qui bibit ergo hunc calicem, potat simul uinum, & vitem, petram, & aquam, vitam & fontem, flumen, & eius originem, corpus & sanguinem.

Sanguis Christi est medicina animæ.

CUm homo corpore & anima constet, providit Christus utrique, XVII.
corpus pro remedio corporis tradidit, & sanguinem tribuit in animæ nostræ medicinam. Advertunt hoc Sancti Patres, & ex illis Anselmus, & Innocent, ille super cap. 11. Corinth. 1. hic verò li. 4. Myst. Missę cap. 21. *Panis refertur ad carnem,* inquit, *& vinum ad animam: quia vinum sanguinem operatur, in quo sedes est animæ. Moyses quippe testatur, quod caro pro corpore, sanguis autem offertur pro anima. Vnde legitur in Leuitico: Anima carnis in sanguine est. Quocirca panis, & vinum in sacrificio offeruntur, quod valet ad tuitionem carnis & animæ, ne si sub alterutra specie tantum sumeretur, ad alterius tantùm putaretur pertinere salutem.* Consonant cum dictis Innocent, verba Cyprian. Serm. de cæna Domin. *Ex quo à Domino dictum est. Hoc facite in meam commemorationem. Hæc est caro mea, &, Hic est sanguis meus, quotiescumq; his verbis, & hac fide actum est, panis iste, & calix benedictione cælesti sacratus, ad totius hominis vitam, salutemq; ue proficit.* Notaverim ex Philone. libr. Quod Det. potior. insid. unam & alteram vitam esse: altera sensitiva nobis est, & communis cum animantibus, altera rationalis, & hæc nobis propria & peculiaris est, prior illa nomine sanguinis indicatur, posterior verò spiritus nuncupatur; *Ergò vis illa,* concludit Philo, *quæ nobis communis est cum brutis, essentiam accipit sanguinem, at illa, quæ à rationali fonte dimanat, spiritus est.* Hæc cum ita sint, qui commendaturus erat spiritum in paternas manus, commendat nobis & tradit sanguinem suum, sensitivę vitę symbolum, ut sensus, ac passiones nostras corrigat. Hinc Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 17. *Sedat, cùm in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.* Hinc Bern. Sermo. in Cæna Dom. *Quis poterit tam efferos motus frangere? Quis pruritum ulceris ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis, sacramenti Dominici corporis, & sanguinis investituram habetis.* Datur nobis investitura sanguinis Christi, ut à sanguinibus vitæ nostræ sensitivæ liberemur, & vita Christi Domini regnet in corpore nostro mortali. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

Vita spiritus & sanguinis. *Ioa. 6.59.*

Sanguine Christi Ecclesia decoratur & coronatur.

NOmine Sanctę Ecclesię Sacerdos celebrat, factaque consecratione calicis, elevatione supra verticem sacerdotalem ornat Ecclesia caput, & corona venustat. Rursus mihi Ambros. citandus est Serm. 27. in Psalm. 118. *Ipsa,* (de Ecclesia loquitur) *tanquam benemerita Regina, Christi sanguine coronatur, sicut scriptum est Cant. 7. & ornatus capitis tui sicut purpura, qui inficit sanctorum animas, non solum colore resplendens, sed etiam potestate: quia Reges facit, & meliores Reges, quibus regnum donet æternum. Meritoque ad tantum Ecclesiæ decorem, cui Christi sanguis irrutilat, Spiritus sanctus exclamat* XVIII.

clamat. Quāpulchra & suauis facta est charitas in delicijs tuis. Pulchra decore virtutis, suauis iucunditate gratiæ, remissione vitiorum, quam nulla vexat amaritudo peccati. Ecclesia itaque decoratur rubicundo Christi sanguine: quia verò non solùm decoratur, sed etiam coronatur, sanguis Christi nouum & ęternum testamentum est, cuius auctoritate regnum cælorum intrat, & possidet. Quare sanguis non solum colore resplendet, sed etiam potestate, Reges enim facit, quibus regnum donet æternum. Virtute quoque sanguinis huius pulchra, & suavis efficitur non modò iucunditate gratiæ Ecclesia, sed etiam remissione peccatorum, cum propter hanc causam effundatur. Hoc autem efficitur in delicijs, quia deliciæ reginę Ecclesiæ, & Regum suorum in sacra continentur Eucharistia: *Pinguis est panis Christi, & prabebit delicias Regibus.*

Splendor sanguinis Christi.

Signatur per sanguinem anima.

XIX. QVare sanguis signet animam, declarat S. August. lib. 2. contra adversarium legis, & prophetar. cap. 6. *Non frustra lex animam voluit significare per sanguinem, rem videlicet invisibilem per rem visibilem: nisi quia & sanguis per venas omnes ab ipso corde diffusus in nostro corpore plus cateris humoribus principatur: ita ut vbicunq; fuerit vulnus inflictum, non humor alius, sed ipse procedat. Itaque anima, quia omnibus, quibus constamus, inuisibiliter prævalet, illo melius significatur, quod omnibus, quibus constamus, visibilibus prævalet.* Christus cum acturus esset animam in cruce, & voluisset significare emissionem spiritus sui, nullum rei futuræ symbolum commodius potuit eligere, quam sanguinem, cum inter illum & animam tanta sit affinitas, & cognatio. Præterea, cùm vellet, ut vita nostra conformaretur cum vita ipsius, & anima nostra cum ipsius anima conveniret, nullum medium, aut remedium efficacius excogitari potuit, quam ut pretiosum eius sanguinē potaremus. Hic cruor sanctus est, hic pretiosus sanguis, qui per venas omnes ab ipso Christi corde diffusus in sacratissimo corpore principabatur: debet ergò post calicis haustum nostris omnibus passionibus prævalere, moderari, ac concitare potentias sanguis, qui per venas sacras diffundebatur a corde Christi, cor requirit non absimile, ut inde per venas corporit nostri divisus penetret omnia. Visibilis sanguis Christi signabat rem invisibilem, nimirum cælestem animam. Jam sanguis signatur sub vini specie, & qui tunc erat visibilis, redditur invisibilis, ut fiat venerabile Sacramentum: Sacramentum enim rei invisibilis visibile signum est. Quamvis anima sub aspectum non cadat, nihilominus visibiles, & invisibiles effectus operatur: eodem pacto sanguis Christi, quem sumimus, operatur visibiles, & invisibiles operationes, si dignè sumatur: visibiles quidem in corpore, dum sedat affectus, passiones corrigit: invisibiles, dum in anima remissionem peccatorum efficit, & auget gratiam.

Effectus sanguinis Christi.

Pretium Christi in sanguine est.

XX. LIcet corpus & sanguinem suum Christus immolaverit pro redemptione generis humani emptionis & redemptionis nostræ pretium sanguini Christi tribuitur a Petro 1. cap. 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paterna traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Consonat & concinit

concinit Ecclesia sancta: *Pange lingua gloriosi, corporis mysterium, sanguinisq; pretiosi. Quem in mundi pretium, Fructus ventris generosi, Rex effudit gentium.* Habet cum pecunia sanguis consonantiam, sicut enim sanguis auget corpus animatum, ita etiam pecunia portat augmentum, & incrementum domibus & personis. Hinc efficitur, quod pecunia loco sanguinis habeatur, ut constat ex ijs, quæ docet August. Sermon. 39. qui inter comm. est: *Si tibi seruus tuus*, inquit, *quem manumittis, fidem non exhiberet, nec se manumissione dignum faceret, quia eum in aliquibus fraudibus invenires, nonne clamares? Male serue, fidem non servas: nescis, quia te emi, quia sanguinem meum pro te numeravi? Clamas quantum potes, cælum questuosis vocibus pulsas, sanguinem meum pro te dedi, serve male. Si ipse dicat, quem rogo sanguinem dedisti, quando me emisti? Nonne erubescis, quia sanguinem tuum pecuniam tuam dicis?* Quod si pecuniam tuum sanguinem esse arbitraris, addit August: *De voce tua te convincit Deus, Vocas, inquit, pecuniam tuam sanguinem tuum, & ideo exigis a servo tuo fidem, quia pro eo dedisti, non utiq; sanguinem, sed nummum, vel aurum. Ego quid dederim, rogas. Sãguine meo te emi. Addo plus: quia te a me emi.* Tota quippe Sancta Trinitas læsa erat nostris offensis, & dignam satisfactionem postulabat, quam Christus sanguine suo pretioso largitus est Patri, Spiritui Sancto, & sibi. Pridie quam pateretur, actum est de satisfactionis & emptionis pretio, & conventum inter Deum, & Christum, ut totum sanguinem funderet, acceptat Christus, & offert in calice sanguinis summam, quæ eadem postridie numeranda erat in totius passionis discursu. Quemadmodum pecunia oblata & postea numerata eadem est in venditionibus, & emptionibus humanis, idem quoque sanguis Christi censeri debet, qui funditur in passione, & offertur pridie in oblatione.

Loco sanguinis pecunia censetur.

Nouum, & æternum testamentum in Christi sanguine est.

Placet doctrina S. Thom. 3. p. q. 78. cit. a. 3. in corpore per verba, *Hic est Calix sanguinis mei*, significari vini conversionem in sanguinem: per verba autem sequentia designari virtutem sanguinis effusi in passione, quę operatur in hoc Sacramento. Quę quidem ad tria ordinatur. Primò quidem, & principaliter, ad adipiscendam æternam hæreditatem, secundum illud Heb. 10. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi*, & ad hoc significandum dicitur, *noui, in æterni testamenti.* Secũdò ad iustitiam gratiæ, quæ est per fidem, secundum illud Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, ut sit ipse iustus & iustificans, eum, qui ex fide est Iesu Christi*, & quantum ad hoc subditur. *Mysterium fidei.* Tertio autem ad removendum impedimenta utriusque prædictorum, scilicet peccata, secundum illud Heb. 9. *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, quantum ad hoc subditur: *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quod si testamentum est *dispositio hæreditatis*, hæreditatem cælestem disposuit Deus hominibus, dandam per virtutem sanguinis Iesu Christi, quia sicut Heb. 9. dicitur: *Vbi est testamentum, mors necesse est, intercedat testatoris.* Hæc est hæreditatis magnæ dispositio, cuius in extrema nocte Christus meminit Lucę cap. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* Bonus filius familias Christus est, cuius testamentum ex Patris consensu conditur, & hæreditatis æternæ dispositio secundum paternum ordinem adstrui-

XXI. *Virtus sanguinis Christi.*

Dispositio cælestis hæreditatis.

adſtruitur. Prævenit & probat futuræ poſt multa ſæcula legis ordinationem. Cap. *Luet* de Sepult. in 6. qua ſancitum eſt, ut pro ſolennitate teſtamenti, quod filius familias conficit, conſenſus patris accedat. Conſenſus
Ioan. 13. 3 æterni Patris acceſſit, quia *dedit ei omnia Pater in manus*, & pro facta ſibi conceſſione Patri ſuo gratias egit, ſubſecutum eſt teſtamentum, & de cœleſti hęreditate diſpoſuit. Nunc in tempore Ioannis, & Iacobi mater pete-
Matt. 20. 21. ret: *Dic ut ſedent hi duo filij mei*: priuſquam Patris voluntas adveniret, importuna poſtulatio, & peropportuna reſponſio: *Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam, & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.*

Nouum teſtamentum.

XXII. QUare autem hoc teſtamentum ſit nouum explicat S. Thom. nuper allegatus in reſponſ. ad 3. & 4. argum. Dicitur hic ſanguis noui teſtamenti, quia non in figura, ſed in veritate exhibetur, unde ſubditur, *Qui pro vobis effundetur*. Dicitur etiam nouum ratione exhibitionis, quia non ſolum eſt nouum propter veritatem myſteriorum, ſed quia peculiaris & nouus eſt modus, quo nobis exhibetur. Calix dicit Anſelm. 1. ad Cor. 11. vetus teſtamentum fuit, quia terrenam hæreditatem promiſit, in ſanguine taurorum, & hircorum, de quo ſcriptum eſt. *Hic eſt ſanguis fæderis, quod pe-*
Exod. ca. 24. 8. *pigit Dominus*. Per teſtamentum enim datur hęreditas, & in ſanguine Chriſti accepimus nouum teſtamentum, nouam legem, quæ obedientibus ſibi dat hæreditatem regni cælorum. Nouum in ratione exhibitionis: voluit e-
Noua forma teſtādi. nim Chriſtus mori, ut firmior, & fortior eſſet cæleſtis hæreditatis largitio. Quis unquam mortalium voluit è viuis diſcedere lubens eo fine, ut confirmaretur ipſius morte teſtamentum, in quo vel fratrem vel cognatum, vel amicum conſtituit hæredem. Nouus hic modus exhibitionis eſt, antè non viſus, nec videndus impoſterum. Cum nouus homo Chriſtus ſit, & noua præcepta mundo dederit, nouum etiam voluit relinquere teſtamentum, in quo innovaretur hæreditas, & de terrena cæleſtis efficeretur.

Teſtamentum æternum.

XXIII. QUare teſtamentum hoc æternum ſit, in eodem art. docet nos Angelicus Doctor: *Dicitur autem æternum tam ratione æternæ Dei præordinationis, quam etiam ratione æternæ hæreditatis, quæ per hoc teſtamentum diſponitur. Ipſa etiam perſona Chriſti, cuius ſanguine teſtamentum diſponitur, eſt æterna.* Solent homines moras nectere, ſolent procraſtinare diu, priuſquam ordinent, & diſponant teſtamentum ſuum, cumque id per otium, non agant, relinquunt magnum negotium, inſtrumentum potius litium, quam teſtamentum bonorum. Hoc teſtamentum liberum eſt ab hac nota, cum ratione æternæ Dei præordinationis æternum ſit. Gaudet etiam æternitatis nomine, non enim temporalis, ſed æterna hęreditas promittitur. Hæc ita differt a terrena, quę virtute prioris teſtamenti concedebatur, ſicut differt cælum à terra, ęternitas à tempore, & ſicut differt vituli ſanguis à pretioſo ſanguine Chriſti. Tandem pro conditione perſonę teſtamentum conficitur, & cum illa ſit æterna, perpetuum, & ęternum teſtamentum condit. Quanvis Deus in Chriſto mori nequeat, teſtatur tamen, quia poſtremam ſuam voluntatem declarat, & pro confirmatione divinæ volun-

voluntatis & promiſſionis filius hominis & vitam, & ſanguinem offert, ac pariter qua homo eſt ultimam ſuam voluntatem divino beneplacito conformem exponit, & ſua ipſe morte conformat, Hoc nouum teſtamentum novam requirebat chartam, nouum atramentum, novum calamum, & novam manum, quæ ſcripturam eius exararet. Chartæ nouę vices agunt ſpecies vini, nouum atramentum Chriſti ſanguis eſt, calamus, divina eius lingua: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, & manus teſtatoris, eius omnipotentia. Teſtamentum æternum non temporales, ſed ęternos poſtulat heredes, Teſtamentum ergò ſanguine conſtitutum eſt, inquiunt Ambroſ. & Anſelm. 1. Cor. cap. 11. *quia beneficij divini ſanguis teſtis eſt, & in eius typum nos calicem myſticum ſanguinis ad tuitionem corporis, & animæ noſtræ percipimus.* Beneficij divini ſanguis teſtis eſt, nec dubium, quin teſtimonium ferre queat, cùm tres ſint, qui teſtimonium dant *in terra ſpiritus, ſanguis & aqua*, dant teſtimonium ſimul, & teſtes ſunt æterni in nos collati beneficij. Teſtatur hoc vox & ſpiritus, quo Chriſtus conſecrat poculum, & aqua, quę vino miſcetur, & ſanguis, in quem vinum convertitur, & ut certi, ac ſecuri ſimus de beneficio, nos calicem myſticum ſanguinis ad tuitionem corporis & animę percipimus. Cùm populus Hebræorum captiuus in Ægypto teneretur, ut ſervaretur ad vitam eo tempore, quo necabantur Ægyptiorum primogeniti, iuſſit Deus, ut domuum ſuarum poſtes agni ſanguine notarent, & in eo tuitionem contra mortem, ius certum, & ſecurum in vitam habuerunt. Adhùc & nos in captivitate mundi huius detinemur, adhùc gladius, adhùc mors, & luctus in hoc mundo eſt, ut tutelam animæ, & corporis contra mortem habeamus, & æternæ felicitatis pignus acquiramus, intingendi ſunt, ac rubicandi calicis ſacroſancto cruore corporis, & animæ poſtes Tinge, inquit, Theodoret. in Exod. cap. 12. partem iraſcibilem & concupiſcibilem, quibus tanquam poſtibus innititur habitatio noſtra. Si concupiſcibilis appetitio Chriſti ſanguine decoretur, vita promittitur, ſin minus, *concupiſcentia, cum conceperit; parit peccatum, peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Si facultas iraſcibilis rubeſcat ſanguine agni & terram viventium poſſidebit, ſi nota ſanguinis deſit, ira damnationis ęternæ malum maximum operabitur.

Pſ. 44. 3. *Hæredes teſtamẽti Chriſti.* *Iac. 1. 15.*

Inveſtitura ſanguinis Chriſti.

CUm per hoc teſtamentum æternæ felicitatis dignitas nobis adiudicetur, antequam illam in cælo poſſideamus, placuit ſummo Imperatori nobis dare per ſuum ſanguinem, hęreditatis, ac dignitatis cæleſtis inveſtituram. *Confidite*, Bern. ait Serm. in cæna Domin. *& ut ſecuri ſitis Dominici corporis, & ſanguinis pretioſi inveſtituram habetis.* Ex ſententia Iuriſtarum, inquit Cæſar. Lambert. de Iure patronat. lib. 2. p. 1. inveſtitura multiplex eſt: quandoque fit ipſa inveſtitura, nulla pręcedente collatione, quia dicit ſuperior capiendo annulum: *Inveſtio te de tali beneficio*, & tunc talis inveſtitura propriè eſt collatio, quia ſatis operatur, in quo transfert ius in inveſtitum. Quandoque præceſſit præſentatio vel electio, & tunc inveſtitura cenſetur inſtitutio, vel cõfirmatio, quia idem importare videtur: Quandoque præceſſit præſentatio, vel electio, & etiam pręceſſit inſtitutio, & ſequitur inveſtitura per annulum, vel per quid ſimile, & tunc ſi ſit talis inveſtitura in abſentia illius, quæ inveſtitur, & talis inveſtitura eſt quaſi cõfirmatio iuris pręcedentis, & eſt hoc relinquere beneficium, quaſi XXIV.

Forma inveſtituræ.

in suis manibus: nam videtur superior, quantum in eo est, illud beneficium in investitum trāsferre. Unde poterit apprehendere possessionem propria auctoritate, sed per illam investituturam non transfertur possessio corporalis, quia requiritur in apprehensione ipsum corpus, nisi aliud habeat cōsuetudo. Cùm multiplex sit investiendi ratio & norma, multiplici nos investitura sanguinis sui coaptat, & componit Christus pro cælestis hereditatis beneficio. Investit nos verbis, nulla adhuc facta collatione cap. 6. Ioa. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resucitabo eum in novissimo die.* Ne autem ad investiendum annulus requiratur, habet in se plenitudinem divinitatis, & ut ait Innocent. lib. 1. de Myst. Miss. cap. 46. *annulus aureus & rotundus perfectionem donorum significat, quæ sine mensura Christi accepit, quoniam in eo plenitudo divinitatis habitat corporaliter* Habebat hunc annulum, cum nos investiebat. Quod si præsentatio vel electio pertineant ad investituram, ut sit institutio, vel confirmatio, cuius antè meminimus, prĕsentamur quidem à Christo, & eligimur a Patre, ut per sanguinem Christi simus Dei filij, quod si filij & hæredes, heredes autem Dei, cohæredes autem Christi: Unde Dominus ait: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut bibatis & edatis supra mensam meam.* Non fuit præsentatus à Christo, qui convivium ingressus non habebat vestem nuptialem, & ideo non est electus ad regnum, sed damnatus ad tenebras. Qui præsentantur, eliguntur, confirmantur, & instituuntur legitimi possessores virtute sanguinis Christi. Quod si vim aliquando habet investitura, ut in absentia beneficium quasi in manibus investiti collocet, virtute sacri testamenti sui cælestem hæreditatem constituit in manibus nostris, ut propriâ auctoritate quasi legitimi hĕredes apprehendamus possessionem, non quidem per prĕsentiam, sed per fidem in absentia: *Habentes itaq; fidutiam,* ait Apost. *in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, id est, carnem suam, & Sacerdotem magnum super domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudinem fidei, aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem: (fidelis enim est, qui repromisit.)* Initiata via est per velamen, id est, velatam carnem sub specie panis, quemadmodum in hunc locum Pauli notat, & advertit S. Thom. Confidite ergo fideles, quia ut securi sitis de hæreditate promissa, Dominici corporis & pretiosi sanguinis investituram habetis. Consona sunt dictis, quæ legimus in Æthiopum Missa solere clamare populum post calicis consecrationem: *Amen, amen, amen, Credimus, & confidimus, & laudamus te ô Domine Deus noster; hic verè sanguis tuus est.* Quomodo non sperabimus beneficium aut dignitatem, cuius sacrosancta iam investitura gaudemus?

Luc. 22. 29.

Hebr. 10. 19.

Testatur Christus more militari.

XXV. SEcundum consuetudinem militarem Christus testari voluit, ac legem servavit in condendo testamento suo, quam postea sanxit & promulgavit Constantinus Augustus c. de testam. milit. l. *Milites*, recito verba: *Milites in expeditione degentes, si uxores aut filios, aut amicos, aut commilitones suos postremò cuiuslibet generis homines amplecti voluerit supremæ voluntatis affecti: quomodo possint, ac velint, testentur, nec uxorum, aut filiorum eorum, cum voluntatem patris reportaverint, meritum, aut libertas, dignitasve quæratur. Proinde sicut iuris canonibus licuit, ac semper licebit, si quid in vagina,* aut

aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus adnotaverint, aut in pulvere descripserint gladio sub ipso tempore, quo in prælio vitæ sortem relinquunt, huiusmodi voluntatem stabilem esse oportet Miles Christus est, cuius vita humana, sicut & nostra, militia est, & cùm adhuc puer esset instar magni militis Damasci fortitudinem abstulit. & ait: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Magnus hic miles uxoratus cum Ecclesia. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia*: filios habet *pater futuri sæculi*: amicos habet: *Vos amici mei estis*: commilitones habet: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Cùm degeret in expeditione passionis suæ, uxorem, filios, amicos, cōmilitones, imo cuiuslibet generis homines amplecti voluit, ultimæ voluntatis affectu: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Dilexit suos familiares, & simul cæteros homines, siquidem pro salute, ac redemptione cunctorum hominum se offerebat in victimam, ac sacrificium. Voluntatem hanc postremam rutilanti sanguine notavit, cum ait: *Hoc nouum testamentum est in meo sanguine*: quippe rubicundo meo cruore testamentum condo, & ęternæ hæreditatis hæredes constituo uxorem, filios, amicos, commilitones, quin etiam cuiuslibet generis homines, qui testamenti mei beneficio potiri desiderent. Quod si uxorum, aut filiorum, cum voluntatem patris reportaverint, meritum, aut libertas, dignitasue non quæritur propter privilegium militis testatoris, ut ibidem docet glossa: quanvis non sint *condignæ passiones ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*; quamvis mortales simus, servi ac mancipia mortalitatis, quanvis sine ullo honore & dignitate vivamus, huius mundi purgamēta: nihilominus propter privilegium militis nostri meritum, libertas, & dignitas naturę in cælo non quæritur.

Matt. 10, 34. Isai. 9. 6 Ioa. 15. 14 Luc. 22. 18. Ioa. 11. 1 Rom. 8. 18

Mysterium fidei.

Nobile satis, & splendidum huius divini Sacramenti attributum est, quod sit *mysterium fidei*, quamvis verò sacro corpori & calici conveniat, sanguini tamē accommodatur, vel ex eo, quod pertineat ad nobilitatem, & nobilitas & splēdor ex sanguine desumi soleat Mysterium fidei ritè, & rectè vocari potest Eucharistia, cùm in ea, tamquam in summa, contineantur omnes veritates, quæ per symbolum fidei speciatim exponuntur. Hoc assumptum inductione brevi probandum est. *Credo in Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium*: Credo etiam sine omnipotentia Dei Sacramentum hoc confici non potuisse, & qui cęli & terræ factor fuit visibilium, quæ cernuntur, & invisibilium, quæ continentur, & non videntur, causam & principium extitisse. Ideo Christus Dominus, antequam suam construeret Eucharistiam, oculos levavit in cælum ad Deum patrem suum omnipotentem. Credo in *filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis*: Credo simul illud in hoc Sacramento: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui mā ducat me, & ipse vivet propter me*, illud etiam. *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Credo natum ex Maria Virgine, & hominem esse factum, crucifixum, mortuum, & sepultum, & hunc tertia die resurrexisse, cælos ascendisse, & eundem ad iudicandum venturum: Credo quoque filium hominis, quem Virgo concepit, & produxit, consecrationis verbis, rursum produci ac generari, partum eius esse virgineum, & vivam memoriam, & repræsentationem

XXVI. *Articuli fidei contenti in Eucharistia.* Ioa. 6. 58.

tionem totius passionis & resurrectionis,ideoq; in eius institutione Christum dixisse: *Hæc quotiescumq; feceritis, in mei memoriam facietis.* Qui descendit ipse est,qui ascendit,& qui nunc sub accidentibus delitescit panis & vini, veniet tandem in nubibis cælorum,ut iudicet omnes gentes. *Credo in Spiritum sanctum Dominum,& vivificantē:* credo virtute ejusdem Spiritus sancti consecrari ac vivificari sacrosanctam Eucharistia: *verba mea spiritus,& vita sunt.* Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum: Confiteor etiam,quod non solum indiget aqua regeneratus per Christum,sed & pane, quo vitam sustentet. Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam,quæ cum sit Christi corpus,mystice figuratur in hoc Sacramento. Credo Sanctorum communionem,Eucharistiam. Credo carnis resurrectionem hisce myste-
Ioa.6. 40 riis deberi,siquidem Christus ait: *Ego resucitabo eum in novissimo die.* Tandem Credo vitam æternam,& credo tandem futuram huic,qui dignè cō-
Ioa.6.59. municat: *Qui manducat hunc panem,vivet in æternum.* Cum igitur summa sit cunctorum articulorum fidei venerabile Sacramentum, *Mysterium fidei esto.* Quemadmodum teste Ambr.c.2.ad Colos. *Omne mysterium sacramenti Dei in Christo est:* nihil enim est in Deo,quod non sit in Christo,ita nihil in fide est,quod sub sacramentalibus symbolis non inveniatur.

Aureus Christi sanguis.

XXVII DEcernit S.Th.3.p.q.78.a.3 ad 4.& 5.mysteriū fidei,quasi fidei obiectum,in uerbis consecrationis inveniri,quia quod sanguis Christi secundum veritatem sit in hoc Sacramento,sola fide tenetur; *Vnde mysteriū non excludit veritatē,sed ostendit occultationem,quia ipse sanguis Christi occulto modo est in hoc Sacramento, Mysterium occultationem,fides vero sanguinis veritatem importat.* Novit natura pretiosum aurum & argentum in montiū latebris abscondere,novit & fides sanguinis pretiosi aurum sub accidentibus panis & vini celare. Etsi solers natura fuerit in abscondendis thesauris,hominum solertia ac diligentia novit montes excavare, & viscera eorum defodere,argentumq; & aurum extrahere. Licet ergò fides fuerit in
Religiosa devotio. abscondendis celandisq; mysterijs religiosa, reliquit tamē locum,ut ingeniosa devotio mente & consideratione humili possit ultra accidentia procedere,& pertingere usq; ad pretiosi sanguinis aurum,quo non solum sacri calicis,sed & multò magis animę Sacerdotum,& cęterorum fidelium inaurantur. Penetranda sunt hęc mysteria non curiosa,sed religiosa consideratione,& idcirco peropportunè monet Chrys.Hom.60. *Cogita quali sis insignitus honore,quali mensa fruaris,quod Angeli videntes horrescunt,nec liberè audent intueri propter emicantem inde splendorem,hoc nos pascimur.*

Tutamentum corporis & animæ.

XXVIII SAcramentum hoc conceditur ad tuitionem corporis & animę;repręsentat enim Christum,qui passus est,& sanguinem fudit, ut nos tutaretur,ac defenderet. Objecit se Christus passioni caput corporis Ecclesiæ,ut membra sua servaret illęsa,membra dico mystica,quorum Apo-
Præter rerum ordinem Christus patitur. stol. meminit: *Vos estis membra de membro.* Præter rerum ordinem hoc est,ut caput membra tutetur,& pro eorum salute,& incolumitate vulneraretur, plagas recipiat,secundum naturæ ordinem se Petrus opponebat in horto, ut caput defenderet: propter naturalem seriem se Christus obiecit veni-
Ioa.18.8. enti cohorti,& dixit: *Si me quæritis, sinite hos abire.* Legimus cap. 1. Judith. missos

missos a rege Assyriorum legatos, ut tota Iudæa se dederet: cum frustranea legatio fuisset, indignatus Nabuchodonosor Rex *iuravit per thronum, & regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his.* Caput se regni & imperij noverat esse, & ut se defenderet, statim. c. 2. legimus. *Factum est verbum in domo Nabuchodonosor Regis Assyriorum, ut defenderet se, evocavitq; omnes maiores natu, omnesq; duces & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui dixitq; cogitationem suã in eo esse, ut omnem terram suo subiugaret imperio.* Multum differt Rex a Rege, mysterium Nabuchodonosorij a mysterio Christi: mysterium illius erat, ut se defenderet, Christi consilium aliò tẽdebat, tendebat ad corporum, & animarum nostrarum defensionem, & ut cogitationes suas explicaret, pridiȩ, quam pateretur, vocavit omnes maiores natu, duces, & bellatores suos, nimirum Apostolos, & habito cum illis consilio, dixit suam cogitationem sitam & collocatam in eo, ut omnem mundum cęlesti subiugaret imperio, non quidem se defendendo, sed pro nobis sanguinem fundendo, & hoc tanquam certum fidei mysterium velle, ut in Ecclesia, donec mundus perseveret, evulgetur.

Argumentum non apparentium.

LEgimus 2. Mach, 2. quomodo Ieremias tabernaculum, & Arcã monitus divino oraculo susceperit, ac celebri comitatu deduxerit ad speluncam, unde cõtemplatus Moses est hæreditatẽ terrȩ promissȩ. *Veniens ibi Ieremias invenit locum speluncæ, & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et accedebant quidã simul, qui sequebãtur, ut notarent sibi locum, & non potuerunt invenire.* Tabernaculum nõ manu factũ, divinitatis arca, & humanitatis altare Christus est, suis manibus se portavit, comitesq; Apostolos habuit, invenit ostium panis & vini, unde cælestis hæreditas de longè cernitur, & se tabernaculũ, arcam, & altare incensi conclusit in Sacramento, & ne videretur ostium obstruxit, & per obstructionem effecit *mysterium fidei*, carnem absconsam, & velatum sanguinem in pane, & vino perscrutari, contingit, quod contigit Ieremiæ socijs, & non potuerunt invenire. Vt autẽ cognovit Ierem. quid illi tentassent, audaciam damnavit, & dixit: *Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationẽ populi, & propitius fiat: & tunc Dominus ostendet hac, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit.* Si quis est horum mysteriorum indagator, eiusdẽ damnatur erroris, & monetur occultum & absconditum in sacro Mysterio futurum Christum, donec congreget populum suum, sedeat super sedem Maiestatis suæ, & in nubibus appareat, propterea 1. Cor. 11. scribit Apost. *Mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, donec iudex, qui modò latet sub symbolis, manifestus fiat in universæ carnis conspectu.

XXIX.

Deus abscondit se.

Conversio vera in sanguinem Christi.

QUamvis mirabilis ista conversio de vino in sanguinẽ fiat, nõ omnibus mysterium fidei est, ut acquiescant veritati: sunt obdurati homines Pharaonis ęmulatores: cum enim Moses virtute divina convertisset fluminis aquam in sanguinem, impius Rex perstitit in errore, imo ut eluderet miraculum veræ conversionis, aliam apparentem, & figuratam invexit quod & nunc etiam ab hæreticis effectum est. *Dixit autem Dominus ad Moysen. Ingravatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum:*

XXX.

Ex. 7. 17.

lum. Vade ad eum manè, ecce egredietur ad aquas: & stabis in occursum eius super ripam fluminis, & vertetur in sanguinem Nec solum Moyses ad conversionem faciendam accersitur, sed etiam Aaron frater eius. *Dixit quoque Dominus ad Moysen: Dic Aaron: Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, ut vertantur in sanguinẽ, & sit cruor in omni terra Ægypti.* Vocatur vter-
Ps. 98. 6. que frater, *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius*, & conversio vini in sanguinem Christi futura erat ministerio sacerdotali. *Feceruntq́. Moyses & Aaron, sicut praeceperat Dominus.* Hoc signum, ut ait Cyrill. lib. 2. de liberat. a morte per Christum, mysterium mortis, & passionis significabat: *Sicut enim Moyses & Aaron ex Dominica virtute ac praecepto mutationem illam edebant; sic & nos qui sacerdotes Dei sumus, similem in altari conversionem operamur.* Addit Scriptura: *Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis, & induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos, sicut praeceperat Dominus.* Faciunt similiter malefici Ægyptiorum hæretici, qui tropos, & figuras diligentes, mundo persuadere volunt, meras esse figuras, & imagines corporis, & sanguinis Christi. Miror quod suis incantationibus non tentaverint calicem ipsum colore sanguineo imbuere, ut quod olim fuit in Ægypto, videretur hodie factum ministerio hæreticorum: nec quidem defuit, qui suis incantationibus id præstaret, cum Paulus Samosaten. ut refert Irenæus libr. 1. cap. 8. suam in hanc formam Eucharistiam conficeret. *Pro calice mixto vino, fingens se gratias agere, & in multum se extendens sermonem, invocationis purpureum, & rubicundum apparere facit, ut putetur ea gratia ab ijs quæ sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem, per invocationem eius, & valde concupiscere præsentes ex illo gustare poculo, ut in eo stillet, quæ per magum hunc vocatur gratia. Rursus mulieribus dans, ipsas gratias agere iubet præsente se., & ut hoc factum est, ipse alium calicem multo maiorem, quam est ille, proferens, & transfundens a minori, qui est a muliere factus, & consecratus, in eum qui est ab eo allatus, multò maiorem, verba illa pronunciat: Illa quæ est ante omnia excogitabilis, & inenarrabilis gratia adimpleat tuum intus hominem, multiplicet in te agnitionem suam, inseminans granum synapis in bonam terram.* Maleficus erat, & incantationibus suis seduxit plurimos, quemadmodum & nunc seducunt hæretici miserabiles animas plurimorum.

Cœna hæreticorum (margin)

Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

XXXI. CErtum est, quod sive corpus consideres, sive sanguinem in Eucharistia, memoria quædam est, & recordatio passionis Christi, atque adeò nos monet Apost. 1. Cor. 11. *Quotiescunq́. manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Quia corpus sacræ passionis memoriale est, dixit Dominus Luc. 22. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Quia vero Calix sacræ mortis viva recordatio est, apponuntur in consecratione sanguinis hæc verba: *Qui pro vobis & pro multis effundetur.* Mirabitur fortasse quispiam, quod cum hæc doctrina vera sit, solum in consecratione calicis fiat mentio passionis, causa & ratio 3. p. qu. 78. a. 3. ad 7. assignatur a S. Thom. quia nimirum sanguis expressius repræsentat passionem Christi, & ipsius exprimit fructum. Passio Domini fuit instar salutaris pluviæ, pluvia melius & commodius significatur per aquæ decidentis fluxum, quam per nubem, unde dimittitur aqua, & pluvia spontanea, & volun-

Salutaris pluuia sanguinis Christi. (margin)

voluntaria Christi patientis perfectiùs innuitur per sanguinis imbrem, quam per ipsam corporis nubem. Passio salutaris pluvia est, cuius virtute fructus & flores gratiæ pullularunt. Quod si mirabilis Deus est in rore, & imbre dividendo, & spargendo per omnes partes orbis, ut fructum reddant; miremur etiam sapientiam & providentiam Redemptoris, qui dum effundit sanguinem, distribuit & spargit versus omnem ambitum mundi. S. Marcus in Liturgia posuit *distribuitur in remissionem peccatorum:* S. Basilius in Anaphora dicit: *qui pro vobis & pro multis effunditur & spargitur.* Cùm effunditur, significatur copia, & abundantia, cùm distribuitur series, & ordo, cùm spargitur, vel unius guttæ sanguinis vis, & efficacia, Legimus apud Baron. circa annum Christi 1017. in regione Aquitaniæ iuxta maritima, ante D. Ioannis solennitatem tribus diebus sanguinis imbrem è cœlo dimissum, qui cadens supra carnem hominis aut supra lapidem, non poterat lavari, si verò supra lignum caderet, lavabatur. De hac re consultus Fulbert. Episcop. Carnotens. Epist. 79. *Per lapidem*, inquit, *impij, per carnem fornicarij, per lignum medij, qui neque molles ut caro, neque ut lapides duri.* Concludit impios, & fornicarios indelibili nota in sanguine suo morituros, medios vero, per mortis angustiam esse salvandos. Pluvia sanguinis Christi cadit supra petras, & eas diffecat: *petræ scissæ sunt*, cadit supra carnem, & mundatur in sanguine Christi: cadit supra lignum crucis, & roseo sanguine rutilat, ac pretiosos generat fructus. Matt. 27. 51.

Sanguis cõmunis omnibus.

Cum hæc sanguinis pluvia in universum orbem diffundatur, & ad omnes pertineat animas, cur in consecratione non pro omnibus, sed *pro vobis, & pro multis* dicitur effundendus. Respondet quæsito S. Tho. cit. art. quod signanter Christus ait, pro vobis Iudæis, & pro multis, scilicet Gentilibus, unde commune hoc est utrique populo beneficium. Dixit Philo libr. de victim: *Sanguis circum altare funditur, quia circulus figura est perfectissima, ne huius libationis exors sit ulla pars animæ: nam animam quonammodo videmur libare sanguine.* Præterea circum altare fundebatur in circulum & sphæram, quia per testamenti veteris sanguinem divinus hic cruor notabatur, qui per totum terrarum orbem diffundendus, distribuendus, & immolandus erat. Secunda explicatio S. Thomæ est. *Pro vobis, & pro multis effundetur*, id est, *pro vobis manducantibus, & pro multis, pro quibus offertur.* Nihil comeditur, & nihil bibitur in hac mensa, quod pro alijs non offeratur, & idcirco de eodem pane, & de eodem calice simul omnes participamus. Quamvis omnes participemus, quia pro cunctis Christi sanguis offertur, illi tamen præferuntur à Christo, qui mysterijs assistunt, & ideo sacerdos cùm calicem offert, primo loco præsentes numerat, & dein totum mundum Deo præsentat: *Offerimus tibi calicem pro nostra, & totius mundi salute.*

Culpa sanguine Christi delentur.

In remissionem peccatorum sanguis effunditur. Duplex in nobis culpa est, altera quæ nobiscum connascitur; altera, quam nos concipimus & generamus; cùm peccamus, ut a priori culpa mundaremur, fluxit ex latere Christi aqua, ut secunda deleretur, sanguis emanavit. Credamus Iustiniano de casto connubio Verbi, & animæ cap. 10. *Quiescente illo, dum miles crudelis lancea latus eius aperuit, continuo Sacramenta regenerationis, & redemptionis humanæ perfluxerunt veneranda. Aqua quidem pro abolitione originalis delicti: sanguis verò pro satisfactione actualis peccati. Hæc namq; sunt sacramenta cælestia: hæc sunt divina mysteria, per quæ in toto orbe sancta mater aggregatur Ecclesia.* Vaticinatus olim fuerat Isaias, virtute Christi lanceas in falces esse cõvertendas, quibus messis triticea colligeretur, & iuxta vaticinium, militis

lancea in falcem conversa est, siquidem divina panis, & vini mysteria colligimus indé: collegimus ex cruce corporis panem, ex corde sanguinem, quo liberi, & immunes reddimur a peccatis. Profluit sanguis ex corde, amoris flammis accenso, nec petit peccatorum vindictam, sed veniam. *Christus iustorum Deus*, ut ait Ambros. lib. de fuga sæculi. cap. 5. *qui in sanguine suo melius locutus est, quam Abel: ille enim vindictam clamavit, hic indulgentiam: ille peccatum fratris accusat, hic peccatum mundi remisit, ille prodidit crimen, hic texit secundum quod scriptum est. Beati, quorum tecta sunt peccata.*

Cum ergò tanti amoris magnitudo contineatur in sanguine, videbatur dicendum mysterium potius charitatis, quam fidei. Verum enim verò sapienter appellatur mysteriū fidei, quia nisi fides suaderet, & firmaret; quis crederet effusum sanguinem veniam, & remissionē pro Sceleratis hominibus postulare? Magna vox sanguinis est, quæ de terra surgit, & ascendit ad Deū. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, maior est vox, qua clamat cruor servatoris: *Circuivi, & immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis*. Sanguis Abel clamabat pro vindicta, sed Christi cruor pro venia, unde quamvis peccata nostra clament, ut Deus puniat, majorem extollit vocem Christi sanguis, ut misereatur. Hostia vociferationis est, & immolatur in circuli formam, *Circuivi, & immolavi*, Circuli sui quadraturam quęrant, & investigent Mathematici, quatuor rerum quadraturam in huius hostiæ circulo quæsivit & invenit Augustin. libr. 4. de Trinitat. cap. 14. *Quid tam aptum huic immolationi, quam caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiæ caro nata in utero, & utero virginali? Et quid tam gratè offerri & suscipi posset, quam caro sacrificij nostri corpus effectum sacerdotis nostri?* Hæc hostia est, hic circulus amoris, in quo quid inuenerit Augustin. statim declarat: *Vt quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, quid offeratur, a quo offeratur, & pro quibus offeratur; idem ipse unus, verusq; mediator per sacrificium reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret, cui offerebat, unum in se faceret, pro quibus offerebat, unus ipse esset, qui offerebat, & quod offerebat.* Mirabilis hic amoris, & charitatis circulus est, mirabilis unitatis, & unionis quadratura, cuius consideratio provocat Augustinum, ad exclamandum Tractat. 26. super Ioann. *O Sacramentum pietatis, ô signum virtutis, ô vinculum charitatis, virtute fidei celatur corpus Christi sub accidentibus panis, virtute charitatis effunditur mysticè sanguis in sancto calice, virtute spei effunditur in remissionem peccatorum.* Nota historia de Alexandro est, quod ex Regio eius mandato effigiem Regis solus Pyrgoteles cęlamine excuderet, solus Polycletus ære funderet, solus Apelles delinearet. Effigiem Christi vivam in hoc Sacramento fides cælat, fundit charitas, spes delineat.

Gen. 4. 10
Ps. 26. 6.

Mystica et Eucharistica quadratura circuli

De victimis Eucharisticis Sanctorum.

XXXII *Immolavit victmas suas* divina Sapientia, non quidem solum hostias crucis, & altaris, sed etiam martyrum, ideo interpretes sacri pro sapientiæ victimis martyres accipiunt, & meritò, cum cædantur gladijs more bidentium. Quomodo martyres consonent cum hoc sacrificio, explicat Hieronym. in illud Psalm. 43. *Dedisti nos tanquam oves escarum*, recitanda, & notanda verba sunt: *sicut enim Dominus tanquam ouis ad occisionem ductus, datus est esca populis, cum dicit Ioan. cap. 6. Nisi manducaveritis carnem filij hominis non habebitis vitam in vobis, ita etiam sancti in multis tribulationibus dati, facti sunt*

sunt pabulum gentibus, vel cum alimenta æternæ vitæ ministrant, vel cum rapacitatem eorum de suis ærumnis exsatiant. Ouis escarum erat S. Laurent. M. qui dum in craticula superpositus vreretur, insultavit Daciano: *Assatum est, versa, & manduca.* Totus erat Eucharisticus Ignat. M. quandoquidem de se ipso dicebat: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Cùm in victimis martyrum sacrificium Eucharistiæ valdè resplendeat, magna sanctæ Ecclesiæ providentia factum est, ut in utroque canone Missæ solum Martyres censeantur, ut magnifici tantorum mysteriorum comites assignentur, & quando *volatilia ad sibi similia conveniunt*, conveniant & martyres ad Eucharistiam, cuius similitudinem referunt. In Eucharistia seges est, quæ falce secatur, ardenti fornace coquitur, & manibus alienis frangitur: cui martyres conveniunt segetes gladio dissectæ, charitatis ardoribus coctę, manibusque alienorum confractæ. Messis est, quę prodijt ex uno grano, quod in terrã cecidit, & mori voluit, ut copiosũ & abuudantem afferret proventum. Nõ solum in Eucharistia seges est, sed etiam vindemia, calix & vinũ, quæ quidem omnia quã aptè martyrio conveniant, colligendũ est ex ijs, quę S. Amb. in honorem S. Cyp. concionatus est Ser. 72. *Sancti Cypriani festivitatem, sicut omnibus notũ est, hodie celebramus, & natale, sicut dicunt, imminente vindemia natalem eius martyrij procuramus: Cõveniunt igitur vota nostra, & mundi. Mundus vindemiarum ubertate lætatur: nos Sanctorũ passione gaudemus. Quæ quidẽ passio vindemijs comparãda est: sicut enim vuarum expressione vinum funditur, ita & Sanctorum martyrio vini vice sanguis effunditur, nisi quod una temporales fructus præstat passio sempiternos. Rectè ergò Martyrium vindemijs comparatur: habet enim ebrietatem suam, & calicem suum, de quo dicit Propheta David: Et calix tuus inebrians quam præclarus est: Et ipse Dominus in passionis suæ exitu constitutus ait: Pater si possibile est, transeat à me calix iste: Et iterum Propheta: Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Rectè, inquam, calix martyrio comparatur, quia sicut calix cùm bibitur, omnis humor noxius vini calore decoquitur, ita & martyrij poculum cùm hauritur, omnes peccatoris faces passionis gloria temperantur. Vinum ergo quoddam salutare martyrij est, quod cordi lætitiam præstat, calore fidei animæ puritatem. Vinum planè est spirituale de illa uva, quæ pro salute omnium pependit in ligno. Sicut enim botrus redditurus vinum, prius in vinea quadam natura arte suspenditur: ita & Christus redditurus vinum spirituale martyrij, in cruce quadam providentia divinitatis suspenditur.*

Vindemia Martyrũ.

Ps. 22.

Matt. 26.

Ps. 115.

Institutio quædam passionis, & martyrij est Eucharistia, & idcirco Christus Dominus, qui *didicit ex ijs, quæ passus est*, pridie quam pateretur, instituit hoc sacrificium, ut in illo sese institueret, ad crucis victimam. Hinc edocti martyres, priusquam sanguinem funderent, instruebant se per Eucharistiam, ut pro Deo, & fide legitimè decertarent. Repeto verba S. Cyprian. Epist. illa de lapsis: *Hoc in tempore pacem non dormientibus sed vigilantibus damus, pacem non deliciis, sed armis damus. Si secundum, quod eos audimus, & optamus, & credimus, fortiter steterint, & adversarium nobiscum in congressu prostraverint, non pœnitet pacem concessisse tam fortibus: imo episcopatus nostri honor grandis, & gloria est pacem dedisse martyribus, ut sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo & victimas præparemus.* Præparabantur victimæ martyrum ad fidei confessionem, imo in Christi fidem per Eucharistiam iurabant, Unde apud Baron. ætate Christi 482. vigente Arianismo damnati sunt ad suspendium fratres duo, cumque tota die manerent suspensi; alter illorum petivit se deponi, & dari sibi inducias, cui alter frater clamabat,

Institutio pro martyrio sacra communio est

bat: *Noli frater, noli frater, non ita iuravimus Christo. Accusabo te, cum ante thronum eius terribilem venerimus, quia super corpus eius, & sanguinem iuravimus, ut pro eo invicem patiamur.* Quibus verbis roboratus, qui debilis erat, martyrium consummavit, & Deo grata victima, & hostia præsentata est.

Victima sanctorũ Doctorum

Non solum martyrium, sed etiam sacrorum Doctorum ministerium Eucharisticum est, & idcirco Doctor Ecclesiæ Græcæ Nazianz. ait orat. 3. adversus Iulian. *Cum alijs rebus sermonem etiam immolamus, quemadmodum & corpora, quoties res ita nata fuerit, ut ijs quoque pro veritatis defensione dimicare necesse sit.* Sermonis quidem immolatio incruentum est sacrificium, & *sacrificantes per terram Euangelium Dei*, ut cum Epiphanio hæres. 79. loquar, sacri Doctores sunt. Conjunxit Apost. in Epist. ad Eph. c. 4. *Pastores & Doctores*, quia veritatis Doctores debent esse pastores, & pascere nos debẽt de sermonis immolatione, & sacrificij Euãgelij, quẽadmodũ enim in Christi sacrificio continetur Eucharistia, quę nos pascit, sic etiã in cęlestibus veritatis eloquijs animarũ nostrarũ panis cælestis est, Unde Hier. illud Ps. 147. *Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te*, mystice commentatur, & ait: *Quando dicit Chrstus: Qui non comederit carnem meam, & biberit sanguinem meum, licet & in mysterio possit intelligi, tamen corpus Christi, & sanguis eius sermo scripturarum est, scriptura divina est. Si quando imus ad mysterium, qui fidelis est, intelligit: Si in maculam inciderit, periclitatur. Si quando audierimus sermonem Dei, & sermo Dei, & caro Christi, & sanguis eius in auribus nostris funditur, & nos aliud cogitamus: in quantum periculum incurrimus? Et adipe frumenti satiat te, Pinguissimus sermo divinus est: omnes habet in se delicias. Quidquid volueris, ex sermone divino nascitur, sicut tradunt Iudæi: quoniam manna, quando comedebant, secundum voluntatem uniuscuiusq; sic sapiebat in ore. Ac si dixisset. Qui manna comedebat, si desiderabat mala, si pirum, si uvam, si panem, si carnes, secundum qualitatem, & voluntatem comedentis, ita & sapor in manna erat. Sic & in carne Christi, qui est sermo doctrinæ, hoc est sanctarum scripturarum interpretatio, sicut volumus, ita & cibum sumimus. Si sanctus es, invenis refrigerium, si peccator es, invenis tormentum.*

Victima sanctarum Virginum

Gratissimæ quoque victimæ sunt, & hostiæ Deo suavissimæ sacratæ Virgines, nec mirum, quia virginitas incruẽtum est martyrium, & sacrificium, ut adstruit S. Ambros. *Non enim ideo laudabilis Virginitas quia & in martyribus reperitur, sed quia & ipsa martyres faciat.* Hæc virginum victima quantam habeat cum Eucharistia consonantiam; declarant verba Zachariæ, *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Cognoscitur arbor è fructibus, & Eucharistia ex eo, quod Virgines germinet. Unde postquam consecratum est in Missa, & Sanctorum fit in secundo Canone commemoratio, & simul memoria fructuum, qui ex altaris sacrificio proveniunt, inter cęteros primi referuntur Ioannes, & Stephanus. Querit autem Innocent. libr. 5. Myst. Miss. cap. 8. Quare Ioannes Euangelista cum in primo Missæ Canone relatus sit cum cæteris Apostolis, reponatur in secundo Canone coniunctus Stephano? Respondet Pontifex: *Sanè Ioannes in prima commemoratione disponitur, & cum alijs numeratur propter dignitatem Apostolatus: in hac autem commemoratione repetitur, & cum Stephano sociatur, propter privilegium cælibatus, Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocumque ierit, & propterea cæteris præmittuntur. Virginitas enim Ioannis inde maximè commendatur, quia Christus in cruce matrem discipulo Virginem Virgini commendavit. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Stephani vero Virginitas ex eo maxime comprobatur, quia ipse*

Zach. 9. 17

ipse est, qui ab Apostolis deputatus est ad ministerium viduarum, & in hoc, quod feminis est præpositus, testimonium meruit syncerissimæ castitatis.

Cùm hæc ita sint, & sacrum calicis vinum Virgines producat, & germinet; mirari quis possit, quod in secundo Missæ canone matronæ coniugatę referantur, & ante Virgines, & Martyres numerentur. Post Marcellinum, & Petrum ante Luciam Agatham, Ceciliam & Anastasiam, Felicitas & Perpetua numerantur, quæ duæ Martyres sunt, non Virgines, cùm matrimonium Sanctum honoraverint. Cruentum quidem sacrificium honorarunt præsentia sua coniugatæ matronæ, & oportebat, ut ipsarum status in divina Missa cohonestaretur. Præterea, cum Ecclesia sancta coniugata sit Christo, ac simul virgo, cuius nomine conficitur altaris sacrificium, ex cōiugatis Virginibus canonem composuit, ut seipsam, statumque suum pariter repræsentaret. Priori loco referuntur coniugatæ, & deinde Virgines: quia virtute matrimonij, quod cum Christo contraxit Ecclesia, virgo est: tolle coniugium Christi, Virgo Ecclesia non erit, ab hac quippe *dux virginitatis* nuncupatur, quia secum inter cęteras dotes, cùm duxit uxorem, secum duxit Virginitatem. Tandem cum B. Virgo Maria relata fuerit in primo Canone, & prima fuerit nominata; conveniens erat, ne in secundo Canone Virgo aliqua primo loco constitueretur, ut sola Maria Virgo cæteris omnibus Virginibus præferatur. Si prima omnium recenseretur Agatha, Lucia, vel Agnes pręponenda cæteris duceretur, cùm autem primæ omnium coniugatę numerentur Felicitas scilicet & Perpetua, controversia dirimitur, & sine controversia manet prima, quæ nec primam similem habere visa est, nec habere sequentem. Præit illa in oblatione sua Eucharistica, ut & nos de nobis ipsis hostiam incruentam conficiamus, & Deo offeramus inducti exemplis Sanctorum. Hûc pertinet quod monet Ambros. in cap. 6. in Epist. ad Heb. *Talia offeramus sacrificia, quæ in illud sanctuarium cæleste offerri possunt, non iam pecudem & bovem, non sanguinem & adipem. Omnia hæc soluta sunt & pro eis introductum est rationabile obsequium. Quid autem est rationabile obsequium? quod per animam, per spiritum offertur Deo. Spiritus inquit, est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare; Quid est autem Deum in spiritu adorare, nisi in charitate & fide perfecta, & spe indubia, & sanctis animæ virtutibus, quas Apostolus alio loco abundanter enumerat?* Hę sunt victimæ similes Eucharisticis Sapientiæ miscentis aqua in Calice vinum.

Victima sacrarum nuptiarū.

Ier. 3. 4.

MISCVIT VINVM,

De vino mixto, & mystico Sapientiæ.

ROgare posset aliquis, cur Sapientia convivium suum à mixtione vini parare incipiat? Innuit quidem Sapientia, quod si non pręcessisset mirabilis quędam mixtio non confusa, sed distincta divinitatis cum humanitate, sacra non esset Eucharistia. Propterea Sacerdos cùm aquam infundit calici, protestatur per mixtionem aquæ cum vino divinitatis unionem cum humanitate significari: *Da nobis per huius aquæ, & vini mysterium eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps.* Cùm vinum, & aqua miscentur, vinum remittit de robore, & aqua vires acquirit, & cùm Deus assumit humanitatem, hæc fortis, Deus autem infirmus, & debilis per communicationem idiomatum redditur. XXXIII

Vnio diuinitatis cū humanitate.

Cùm

Cùm vinum temperatur aqua, si vinum acescit, vel dulcescit, has easdem conditiones sumit aqua: quoties Christus dulcis & suavis erat, à divinitate redundabat in humanitatem: quoties acerbum se, & amarum ostendebat, divinum hoc opus erat, dein humanum. Cùm uinum & aqua conveniunt in unum, vinum in se recipit aquam, quam nunquam deserit: sic & divinitas cùm assumpserit corpus & animam Christi, nunquam partes assumptas reliquit adhûc in triduo passionis semper seruavit, & conseruavit unionem.

Notaverim quod in mixtione vini & aquæ præcedit vnio, & hanc postea consequitur aquæ in vinum conversio. Si utriusque copulam, & nexũ consideres, mysterium Incarnationis in eo resplendet, & ideo cùm vinum & aqua copulantur, antequam transmutatio fiat, recitat orationem allegatam Sacerdos. Unio est, non conversio inter divinitatem, & humanitatem, sicut docet fides, quam in suo symbolo profitetur Athanas. *Vnus*, inquit, *non conversione divinitatis in carnem: sed assumptione humanitatis in Deum.* Assumitur caro sine divinitatis conversione, cuius rei confirmatio vel ipsa Eucharistia est: cùm enim in altaris Sacramento symbolum Incarnationis contineatur, in eo panis in corpus, & vinum in sanguinem convertuntur, sed non in divinitatem, quia hæc societatis ergò mysterijs Sacramentalibus assistit. Hęc altaris mysteria, cùm tota sint in conversione posita, & repræsententur maximè per conuersionem aquæ in vinum, sapienter a vini mixtione dicitur Christus inchoasse convivium.

Causæ præfatæ mixtionis.

XXXIV. *Traditio Ecclesiastica.* Concilium Florent. in Decreto Eugenij, & Trid. ss. 22. cap. 7. primã volunt causam huius esse mixtionis, quod Christus Dominus ita fecisse credatur, non quidem divina fide, sed humana sanctorum Patrum, & Doctorum, & proptea dixit S. Thom. paulo ante; *probabiliter creditur, quod Dominus hoc Sacramentum instituerit in vino, & aqua permixto.* Notandum, quod hoc Sacramentum ex pane, & vino conficitur, & tam panis, quam vinum connotant aquam. Objecit sibi Doctor Angelic. qu. cit. a. 6. vinum consecrari sine aqua oportere, quandoquidem pani, qui convertendus est in Christi carnem, nihil accedit externum: respondetque panem, & vinum ex aqua constare, priusquam convertantur in corpus & sanguinem Christi. *Ad 3. dicendum, quod panis ex aqua, & farina*
Ioan. 6. 57 *conficitur, & ideo cum vino aqua miscetur, neutrum sine aqua existit.* Cum è cælis descendit, panis erat: *Hic est panis, qui de cælo descendit*, & non quidem sine
Isai. 45. 8. aqua confectus in carne est: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Nec dubium, quin se Christus ex aqua, & farina divina cælestem panem effecerit, & cum illo cooperata sit mater, quæ nobis in Bethleem, hoc est, in domo panis, peperit alimentum vitale. Pridie autem quam pateretur, & sanguis effundendus esset in potum, temperavit aqua vinum, voluitque postea cooperatricem suorum mysteriorum sanctam esse Ecclesiam, & mixtionem, quam ille effecit, & ipsa conficeret. Adde, quod cùm futura esset mixtio panis in Incarnatione, cùm posset imperare Deus, non imperavit, sed voluntatem suam Virgini declaravit per Angelum, quod satis fuit, ut sibi mandatum Maria duceret, & quasi jussa foret, obtemperaret:
Luc. 1. 38 *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Licet de miscendo vino nullum Christi mandatum existat, satis est Ecclesiæ voluntatem Christi cogno-

cognovisse, ut quasi habuerit in mandatis, calicem temperet, & Sacerdotibus iniungat, ut inviolabilem hunc ritum observent, & cùm aquam infundunt, meminerint cultus & reverentiæ, qua panis mixturam præstitit Virgo, & magna cum veneratione de vino & aqua calicem componant.

Secundam causam præfatæ mixtionis utrumque Concilium designat, quia e latere Christi aqua simul cũ sanguine promanavit. Recitemus verba, si placet, Concilij Florentin. *Hoc cõvenit Dominicæ passionis repræsentationi, inquit enim B. Alex. Papa quintus a B. Petro. In Sacramentorum oblationibus, quæ intra Missarum solennia Domino offeruntur, panis tantum, & vinum aqua permixtum in sacrificium offerantur. Non enim debet calicem Domini, aut vinum solũ, aut aqua sola offerri, sed utrunque permixtum, quia utrumq; id est, sanguis, & aqua ex latere Christi profluxisse legitur.* Nostis historiam, quo pacto miles lancea latus eius aperuit, & de latere sanguis & aqua profluxerunt. Rogat Ambr. lib. 5. de Sacr. c. 1: *Quare aqua? quare sanguis? Aqua, ut emundaret, sanguis, ut redimeret. Quare de latere? quia unde culpa, inde gratia. Culpa per fœminam; gratia per Dominum Iesum Christum.* Quisquis divinis mysterijs assistis, & calicem præparari cernis inter Missarum solennia, cùm infunditur vinum & aqua, de manu sacerdotali, puta de latere Christi, sanguinem & aquam, hãc quidem ad ablutionem, illum verò ad redemptionem animarum promanare. Negare non possumus, quin de latere Christi fluat gratia, cùm hæc mysteria celebrantur, sicut definitum legimus in Concilio Trid. ss. 22. c. 2. *Quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit. Docet sancta Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumq; fieri, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia contriti, ac pænitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Vis nosse, quo pacto sit in his mysterijs aqua, quæ labes, & maculas abluat peccatorum, docet statim Concilium, & ait: *Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pænitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Quod si sanguis in crucis ara profluxit, ut redimeret, in redemptionem quoque nostram consecratur calix benedictionis, & propterea legimus in ipsa calicis consecratione veritatis huius fieri professionẽ apud Æthiopes; *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro redemptione multorum. Amen.* Adverterim tamen, quod licet de latere Christi vera profluxerit aqua, quia tamen admixtio aquæ ad vinum de necessitate Sacramenti non est, ut valida sit consecratio, non impedit effectum, licet aqua sit rosacea, sive quæcunque alia artificialis. Peccat verò qui miscet aliam præter naturalem, quia naturalis aqua manavit de latere Crucifixi. Quia verò de substantia, & essentia Baptismatis aqua est, si naturalis non sit, sed artificialis, ad sacramentum Baptismi non præstat. Addit verò S. Th. 3 p. q. 74. a 7. ad 3. eandem esse rationem de pane, *Si farinæ admisceatur aqua rosacea, vel quicunque alius liquor, quam vera aqua, non posset ex eo confici Sacramentum, quia non esset verus panis.* Habet quidem ars instrumẽta sua, habet etiam & gratia, & hæc Sacramenta sunt, à quibus omnis fucus, & fictio procul debet amandari, quin etiam ab his omnibus, qui subdoli ac fallaces sunt: nam Spiritus sanctus, qui mysteriorum sacrorum auctor est, hominem subdolum, & fictum effugit.

Effluxio sanguinis & aqua ex latere Christi.

Tertia ratio, quam innuit Synod. Trid. & persequitur Florent. pertinet ad unionem fidelium cum Christo capite suo, quę quidẽ unio effectus est Eucharistiæ. Eugenius in Conc. Flor. locutus de mixtione aquæ & vini,

Vnio fidelium cum Christo.

Convenit, inquit, *ad significandum huius Sacramenti effectum, quæ est unio populi Christiani ad Christum: aqua enim populū significat, secundū illud Apoc. c. 17. Aquæ multæ, populi multi. Et Iulius papa secundus post B. Sylvestrum ait: Calix Dominicus iuxta canonum præceptum vino, & aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Ergô cū in calice vinū, & aqua miscetur, Christo populus adunatur, & fideliū plebs ei, in quem credit, copulatur, & iungitur.* Parum aquę vino infundimus, quia genus electū Christianorum exiguum est, iuxta illud Euang. *Nolite timere pusillus grex.* Aqua, si per se consideretur, debilis & infirma est, at si vino copuletur, evadit tota fortis & robusta. Instar aquæ se considerabat David, cū dicebat: *Sicut aqua effusus sum*, agnoscebat infirmitatē suam: *infirmus sum*, & Deo tanquam generoso vino coniunctus fortissimū se esse deprædicabat: *In Deo meo transgrediar murū.* Nonne Paulus debilis, & infirmus erat? Raptus fuit in tertiū cælum, & infirmitatem suam Domino repræsentabat, post trinam supplicationem responsum accipit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Perficitur virtus infirmitate aquę, si vino copuletur, copulatus est Paulus, & immemor infirmitatis audet dicere: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Si roges Apostolū, unde tanta virtus ac fortitudo procedit, siquidem infirmitatis tuę miseriam ad tertium usq; cælum notam, & manifestā reddidisti? Respōdebit. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, tanquā ex nobis: sufficientia nostra ex Deo est.* Tota Ecclesia Dei debilis est instar aquę si proprias vires expēdat, at semel copulata Christo, fortis est & robusta, *& portæ inferi nō praualebūt aduersus eā*, copulatur autē Christo per Sacramentū, cuius effectus unio est, & hanc unionem refert, ac repręsentat nexus, qui cū aqua & vino calicis intercedit, ubi aqua cōvertitur, ac mutatur in vinū, non tamen vinum in aquam, ut sciamus per communionem hominem in Christum mutari, non tamen Christum in hominē ullo pacto cōverti. Hûc pertinet quod li. 10 Conf. dictum est Augustino *Cibus sum grandium, cresce & manducabis me, nec tu me mutabis in te sicut cibū carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.*

Luc. 12. 32 — Ps. 21. 15. — Ps. 17. 30. — 2. Cor. 12. 9. — Phil. 4. 13 — 2. Cor. 2. 6 — Matt. 16. 18.

Virgini debitur Eucharistia.

Cùm vinum sanguinem, & aqua repræsentet plebem, rectè monet Pasc. Abbas li. de Corp. & Sang. Domini c. 11. quod si vinū sine aqua offeratur, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si autē aqua sola, iam plebs videretur esse sine Christo. *Quando autem utrunq; miscetur, & coniugitur, tunc rectè mysteriū Ecclesiæ spiritualiter perficitur. Nulli igitur liquores sic se conniunt, quomodo vinum, & aqua: profectô quia illud ex aqua per vitē, sicut Christus ex carne per Mariā nascitur. Sed longè excellentius vinum quam aqua:* Nota rationem, quia nascitur ex aqua vinum per vitem, conveniunt inter se vinum & aqua, & ideo concordant inter sese, & complectuntur se invicem Christus & Ecclesia, quia Christus nascitur per Mariā ex carne, unde quæ est vitis ad vinum terrenū, Maria est ad vinum cęleste. Hęc est illa vitis virginea, de qua natū est vinū germinans virgines, cuius est elogium apud Eccles. c. 24. *Ego quasi vitis fructificaui suavitatē odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Cū sacerdos in altari calicem offert, postulat ut *cum odore suavitatis* ascendat in conspectum Dei: unde odor, & suavitas uini, nisi ex vite, quæ suavitatē odoris fructificavit? Huic etiam viti debētur fructus honoris, & honestatis floridi, quatenus ex sanguine Christi virgines procedunt, ecce honestas: quatenus fideles uniti, cum sanguine Redemptoris fiunt de splendido, & diuino sanguine ipsius, ecce honor, Honor hic magnus est, cuius meminit Cyr. Ierof. Catec. 4. *Ipsa B. Pauli doctrina abunde sufficere videtur, ut certam vobis de divinis mysteriis fidē faciat, quibus digni redditi cōcorporei, ut ita dicā, & consanguinei Christi facti estis.*

AR-

ARGVMENTA SELECTA de Solenni mensa Sapientiæ.

Divina Eucharistia mensa.

HAbemus Tom. 9. Biblioth. Patrum librum Petri Cellensis Abbatis, quem conscripsit de panibus, & 1. & 2. agit imprimis de multiplici Mensa, & eius apparatu, & inter cæteras mensas, primam omnium refert eam, quę pertinet ad sanctissimam Trinitatem. *Mensa illa Trinitatis, inquit, cubiti vnius in unitate substantiæ panes habet absconditos, vinum semper nouum, fercula æterna & beata. Ministerium ullius creaturæ non admittitur, neque Cherubim, vel Seraphim ad mensam illam, de qua edere non habent potestatem etiam, qui tabernaculo deserviunt. Sibi invicem ministrant, Pater Filio, Filius Patri, Spiritus sanctus, Patri, & Filio, Pater, & Filius Spiritui sancto. Pater Filio generationem; Filius Patri nativitatem, quatenus ab ea dicatur, & sit Pater; Spiritus sanctus Patri & Filio processionem, ut propter hanc uterq; spirator nominetur; Pater & Filius Spiritui sancto missionem, & donationem. Procul absistat creatura omnis ab hac administratione, quia bestia, quæ tetigerit montem, lapidabitur. Manum subtrahat Seraphim; quia munus huiusmodi manum aliam non admittit, quam solius dexteræ Dei: nemo enim novit Filiũ nisi Pater, neq; Patrem quis novit, nisi Filius. Pulmenta immo fercula huius mensæ, tot sunt, quot sedent ad mensam: talia sunt, quales sunt, quorum est mensa. Non fingas tamen alium quasi Architriclinum sedere superius in eminentiore loco, alium in inferiori, alium in ultimo, quia una sedes, & unus sedens pro concordia voluntatis, pro identitate substantiæ, pro æqualitate potentiæ, tres verò pro personarum discretione. Si, quomodo sic sedeant tres sine graduum distinctione, & sine honoris variatione, sine loci distensione, vel diminutione, nullo modo apprehendas, noli mirari, quia nec vertex Carmeli (id est scientia Angeli) hoc comprehendit: Deum enim nemo vidit unquam. Idcirco abstinet, & superponit digitum ori suo; neque manum conferens mensæ, neque os aperiens negata divinitati, ut velit eam deglutire. Vidit namq; consortem naturæ suæ Luciferum aliquando gulam desiderij ad hanc mensam extendisse, & non exinde divinitatem, sed mortem degustasse. Vidit manum in lateribus Aquilonis porrexisse, & statim glaciε Aquilonari riguisse. Fortè omnipotentiam Patris, fortè sapientiam Filij, fortè bonitatem Spiritus sancti fera illa bestia voluit devorare. Hæc enim sunt fercula mensæ Dei, quæ soli Regi sæculorum immortali, invisibili debentur in sæcula sæculorum Hac de mensa Dei, cui non communicat alienus natura, conditione, sorte, sed sola Trinitas singulariter, perenniter, invisibiliter gloriatur.* I. *Descriptio mensæ Trinitatis.*

Sublimis hæc mensa est, quam nobis descripsit Cellensis, & licet omnis ab ea arceatur creatura, negare non possumus, quin habeat in mensa Trinitatis locum suum. B. Maria. Si placet in Virginis honorem cursim repetamus, quæ diximus. Mensa illa Trinitatis cubiti unius in unitate substantiæ panes habet absconditos, vinum semper nouum, fercula æterna, & beata, & ut hac mensa Virgo digna existeret, quid Deus præstitit? Cûm summus Deus esset essentia sua, præsentia, & potentia rebus assistens, divinę Majestati placuit esse *per identitatem* in Maria, quemadmodum Serm. 1. de eius Nativit. concionatus est Damianus. Quod si mensa illa nullius, etiam Angelicæ creaturę, ministerium admittit, neque in illam habent potestatem, etiam qui tabernaculo deserviunt: ministerium quidem Virginis *Habet locum in mensa Trinitatis Maria.*

nis non reijcitur, *gratia, enim, mulieris sedulæ delectabit virum suum*. Hæc mulier in ministrando sedula Virgo est, & secundum Bonau. c. 5. Specul. *Quis huius mulieris est vir, nisi ille, de quo dicit Hierem. cap. 31. mulier circumdabit virum?* Præterea S. Epiphan Hom. de laudibus Virg. ait. *Eandem appello Sacerdotem pariter & altare*, instar Sacerdotis ministrat, & potestatem habet, ut edat de mensa Trinitatis: Unde S. Ambros. libr. de Virginibus, ut extollat Virginitatem ait: *Hæc nubes, aera, Angelos, sideraq́, transgrediens Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, & toto hausit pectore*, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sibi invicem ministrant, Pater Filio, Filius Patri, Spiritus sanctus Patri, & Filio, Pater & Filius Spiritui sancto, & in hoc ordine locum Maria habet, quę singulis divinis personis ministrat, & ab illis mutuum accipit ministerium. Communicat Pater Virgini Filium, quem ipse genuit, reddit Pater prorsus eandem prolem, quam & ipsa generavit. Communicat se Filius, ut nascatur ex Virgine, Virgo se communicat Filio, ut Dei mater efficiatur: Spiritus sanctus umbra sua protexit Mariam, & Maria consecrãs Virginitatem suam, concepit Verbum ęternum de Spiritu sancto. Expendamus iam, quod dixit Hesych. Serm. 2. de Mariæ laudibus: *Hæc universum Trinitatis complementum, quandoquidem Spiritus sanctus adveniebat atque hospitabatur, & Pater obumbrabat, & Filius utero gestatus inhabitabat*. Spiritus sanctus cùm advenit, ministrat Virgini, cùm hospitatur, Spiritui sancto Maria ministerium prębet. Cum Pater obumbrat, minister est Mariæ, Maria vero ministra Patris efficitur, cùm umbram purissimæ carnis suę cum lumine diuinitatis coniunxit: *Maria*, citat. Epiphan. ait: *est cæli, & terræ mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit*. Inhabitabat Filius in utero, quem pręsentia sua cohonestabat, & consecrabat, venter virgineus decorantem se decorabat, ac ministrabat in mensa panem, & vinum, quod Deum lętificat & homines: *Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis*: Vallatur liliis, ut pascat eum, qui pascitur inter lilia. Ergo complementum universæ Trinitatis est, quia more divino Virgo sanctissimæ Trinitati ministrat, & ab ipsa sancta Trinitate Mariæ ministratur. Quia vero manifestum est, ut inquit Arnoldus Carnot. Tract. de Virg. *Individuam esse matris ac filij gloriam, & commune esse utriusque præconiũ, gloriamq́, filij cum matre non tam communem esse, quam eandem*, efficitur, ut quãvis Seraphim manum subtrahat è mensa, non tamen subtrahat Virgo, cum & eius manus sit ipsa dextera Dei. Eadem quippe est Filij cum matre gloria, propterea beneficio divinitatis non solum Christi humanitas, sed etiam mater accersitur ad eminentiorem illum locum, & aggregatur ad illam sedem Trinitatis, ubi solum una sedes est, & unus sedens.

Eccl. 26. 16.

Cant. 7. 2.

Admittitur ad mensam Sanctæ Trinitatis anima communicātis

Cum igitur pura reperiatur creatura, quæ participat de sublimi mensa Trinitatis, habet homo principium, ut audeat mittere manum in sanctissimum illud convivium. Terretur Angelus, ne temerè se ingerat inter divinas personas: vidit namque consortem naturæ suæ gulam desiderij ad hanc mensam extendisse, & non exinde divinitatem sibi, sed exitium derivasse. Vidit manum in lateribus Aquilonis obriguisse, cum omnipotentiã Patris, vel sapientiam Filij, vel bonitatem Spiritus sancti rapere sibi voluisset. Ne terreatur homo de mensa Trinitatis communicare, præcedit Virgo, & ostendit, quod si quis divinum ferculum, & vinum gustare tentaverit, non mortem, sed divinitatem in seipsum deriuabit: *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Non solum quis liber à morte efficitur, dum dignè cõmunicat, sed divi-

Ioa. 6. 59.

divinitatis consors, & particeps redditur: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, ipse vivet propter me.* Non est periculum, ut manus accipientis rigescat frigore, cùm Deus ipse, qui panẽ accepit in sanctas, ac venerabiles manus suas, dicat & nobis: *Accipite & manducate:* Accipite, non gelat, sed ardet, ac ne urat manum, accidẽtibus panis, & vini contegitur ignis. Crimen non est, sed meritum potius, in Eucharistia Patris omnipotentiam, vel filij Sapientiam vel Spiritus sancti bonitatem velle apprehendere. In Eucharistia relucet Patris omnipotentia, & idcirco cùm illam instituit, levavit oculos suos Christus *ad Patrem suum omnipotentẽ*, & hanc capit sibi sacerdos, dum cõsecrat. Capimus Sapientiam Filij, quia cibat nos *pane vitæ & intellectus*, & simul bonitatem Spiritus sancti: *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Maria cum se divinę mensę cõsortem fuisse cecinisset, & inde potentiam habuisse modulata est, *fecit mihi magna, qui potens est*, sapientiam quoque *Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo*, & tandem bonitatem Spiritus sancti: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Convertit ad nos cantionem suam, & horum trium attributorum ostendit nos esse participes, potentiæ quidem, quatenus Pater *fecit potentiam in brachio suo*, Sapientiæ divinæ, quatenus, *Suscepit Israel puerum suum* & bonitatis, quia Spiritus sanctus *esurientes implevit bonis.* Uis nosse mysterium hoc Virginis nobis omnibus communicari, audi Nyssen. li. de vita Moysis prope med. *Huius corporis panem non aratio, non satio, non agricolarum opus effecit, sed terra intacta permansit, & tamen pane plena fuit, quo famescentes mysterium Virginis perdocti facilè saturantur.* Quisquis igitur famescit mysterium Marię, & sanctissimæ mensæ Trinitatis particeps esse concupiscit, accedat ad Eucharistiam, ubi Deus ministrator est, & qui vult divinus esse conviva, ministrare quoque Deo tenetur instar purissimæ Virginis, nimirum conscientiæ puritate, humilitate, & fide, quibus se Maria dignam præstitit, ut in uterum suum Verbum incarnatum exciperet. Excepit, quod Angeli non audent capere, excipimus & nos, & ipsos Angelos excedimus, unde Chrysost. unumquemque monet Hom. 61. ad popul. *Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris, quod Angeli videntes horrescunt, nec liberè audent intueri, propter eminentem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, & facti sumus unum Christi corpus, & una caro.*

Ioan. 6. 58 · Eccl. 15. 3 · Zach. 9. 14. · Luc. 1. 48 · Luc. 1. 54. · Luc. 1. 53

Consonantia inter Eucharisticam mensam & Angelicam.

II. *Descriptio mensæ Angelorũ.*

ANgelorum mensa teste, & Doctore eodem Abbate Celens. *ex duabus naturis in unam personam Spiritus sancti artificio compingitur, cui assistunt ministratorij Spiritus, ministrantes Domino, & edentes cum ipso, quæ ibi apponuntur, bonitatem videlicet Dei, reparationẽ generis humani, repletionẽ numeri sui immuniti per apostasiam degenerantis rami, a bona oliua in naturã oleastri. A mensa illa eis dicitur: Afferte Domino filios arietum: id est, vos Angeli adducite animas Christianorum Domino creatori, & redemptori ad cæleste consortiũ. Deus in hac mensa posuit sua beneficia, Angelus sua obsequia: Deus, quod illum bonũ creavit, Angelus, quod in veritate, & bonitate stetit, & Deo adhæsit; Deus quod gratiæ primæ gratiã secundã ei superaddidit; Angelus quod liberum arbitriũ ad bonum obedientiæ, & reverentiæ Creatoris sui cõvertit. Infert Deus radios suæ contemplationis, refert Angelus puros aspectus in occursum superorientis luminis: Angelus os aperit in laudem Dei: Deus implet illud tam adipe divinitatis, quam carne, & sanguine integerrimæ naturæ humanitatis.* Hæc de mensa Dei cum Angelis.

Habet locum in mensa Angelorum anima cōmunicātis

Hec Angelica mensa, prout descripta est, quantam consonantiam habeat cum Eucharistica Sapientiæ mensa, quis non videat? Sed ut melius videri queat, perstringo singula. Laudanda imprimis est sancta mater Ecclesia, quod filios suos jejunos velit, & iubeat ad hanc mensam accedere. Benè Ambros. Serm. 37. *Ieiuniorum gratia in nobis portio Dei est, ut ieiunemus frequenter, quia Deus ipse semper ieiunat.* Meritò quoque Chrysost. Serm. 3. de ieiunio: *Ieiunium Angelorum imitatio est:* & Athanas. lib. de Virginit. *Qui ieiunio utitur, ordinis Angelici censendus est.* Venit ad mensam suam ieiunus Deus, & qui vocantur ad illam, ieiunare tenentur, ut participent Eucharistiam de mensa sanctissimæ Trinitatis: similiter etiam qui locum habere volunt in Angelorū convivio, debent esse ieiuni, ut vel ex hoc ordinis Angelici esse censeantur, & tanquam Angeli terreni cum cælestibus in mensa recumbant. Edunt Angeli bonitatem Dei, reparationem generis humani & imminuti sui numeri repletionem. Tria hæc non potest non gustare, quisquis altaris mysteria percipit, ubi bonitas Dei est, qui virtute Sacramenti *esurientes implevit bonis*; reparatio generis humani est, cùm in vivam restaurationis nostræ memoriam conficere sacrificium Deus ipse præceperit: repletio celestium sedium ex eo pendet, cum Eucharistiæ funiculis trahat Deus sursum homines, ut occupent vacantes sellas, iuxta illud Oseæ cap. 11. *In funiculis Adam traham eos, quasi exultans iugum super maxillas eorum declinavi ad eos, ut vescerentur.* Pomi prohibiti funiculis captus Adamus cecidit, declinavit ergo cibos altaris, & veluti quibusdam funiculis trahitur homo, ut sedeat in pulchritudine pacis, & in requie opulenta. Retibus, & laqueis trahitur auis, sed invita, voluntaria quidem & spontanea venit ad escam, & post eam currit, & volat: ut ergò cælestes aues ederent volatum ad sublimes illas sedes, & non violentè, sed spontaneè traherentur, oportuit, ut non retibus, & laqueis caperentur, sed funiculis Eucharistiæ: *præbuit namque se, ut te elevaret ad se, & nutriret de se*, sicut Iustinian. docuit. Ex Angelorū mensa vox illa egreditur: *Afferte Domino filios arietū*, quia cùm pascat Deus Angelos, tribus præfatis ferculis vult & ab eis pasci, cibus autem Dei conversio animarum est, quemadmodum testatus est ipse, cum deviam Samaritanam ad tramitem veritatis reduxit. Hic cibus ignotus erat Apostolis, ideo dixit illis Christus Ioan. cap. 4. *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis:* notus autem Angelis est, & ideo gaudent, & exultant, cùm peccator Creatori suo reconciliatur. Accedit Dionysius de cælesti Hierarch. cap. 15. *Reliquus nobis in explanationem de gaudio cælestium dispositionum sermo. Etenim acceptrices omnino non sunt eius, quæ secundum nos est passibilis delectationis: congaudere autem dicuntur de perditorum inventione iuxta Deiformem epulationem.* Deiformem hanc epulationem esse satis constat Lucæ cap. 15. cùm pro reductione Prodigi dicat Deus: *epulari, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est:* & Apoc. cap. 3. *Sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo.* Quisquis more Angelorum pascitur, sibi dictum putet, ut eorum imitator sit, & devias reducat animas, hædos conuertat in agnos, & arietum filios, quos Deus ipse manducat.

Luc. 1. 53. *Oseæ. 1. 4* *Ps 28. 1.*

Preterea si respicias Angelorum mensam, in ea posuit Deus beneficia sua, & Angeli sua obsequia, in Eucharistica mensa reperitur utrumque: proposuit enim Deus in Sacramento beneficia: *Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic est enim Calix sanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* nos proponimus obsequia nostra, & id-

& idcirco post consecrationem Sacerdos dicit: *Vnde & nos memores serui tui &c.* Deus proponit, quod hominem bonum reddidit in baptismo, proponat homo, quod in veritate ac bonitate stetit, & Deo adhæsit; Deus quod gratię primæ plures alias superaddidit, homo respondeat liberum arbitrium ad bonum obedientiæ Creatoris sui reducendo. Quod si inferente Deo radios suæ contemplationis, refert Angelus puros respectus in occursum superorientis luminis, cum in Eucharistia, teste Chrysost. Christus *emicantem splendorem* emittat, necesse est, ut puris fidei respectibus hæc mysteria veneremur. Non solum Angeli norunt aperire ora pro divinis laudibus in mensa; norunt & homines, sed non omnes, non divites, sed pauperes: *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum*: nec solum Angelicum os, sed etiam humanum Deus implet adipe divinitatis, carne, ac sanguine humanitatis: scriptum est enim, *Dilata os tuum, & implebo illud.* Condidit Deus hominem Angelis inferiorem: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*: paulo etiam minus minuit os humanum ab ore Angelorum: cumque cibum angelicum sumere deberet, dilatandum erat os humanum: dilatatum est non per naturam, sed gratiam, & *panem Angelorum manducavit homo,*

Ps. 21. 27. Ps. 80. 11. Ps. 8. 6. Ps. 77. 25.

Conveniunt inter se mensæ cælestis Beatitudinis, & Eucharistiæ.

III.

MEnsa vera, & æterna beatitudo Sanctorum est, ait idem Abbas Cel. cap. 2. *Hanc exornat sapientia, hanc præparat misericordia. Ad hanc non admittuntur, nisi quorum nomina in libro vitæ inveniuntur: Millia millium huic ministrant, decies centena millia assistūt. Ibi non aqua, non vinum potantur, sed plenissima iucunditas filiorum Dei ab ubertate impletur. Saporum diversitas non requiritur, quia omnis sapor in uno sapore percipitur. Quid plura? In contemplatione Iesu est refectio delicatissima, debriatio ultima, quies abundantissima, deambulatio spatiosissima, sanitas inconcussa, fortitudo robusta, omnium bonorum possessio secura, vita beata. Respicis Ierusalem, & accipis desiderium. Iesus te respicit, & in se rapit animum. O mensa quid es? Esne dicibilis, esne saltem cogitabilis? Lingua certè immunda non te apprehendit; polluta labia, etsi de te, non tamen te loquūtur: quia nemo dicere potest, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Vtinam cor meum vel tu intrares, vel ad te intraret illud, sine dubio si intrares, totum caperes: revera in utroque felix, vel si caperetur, vel si raperetur. Nam si caperetur, caperet, si raperetur, raperet. Quid autem caperet, vel quid raperet? Fortè caperet cibum, raperet pomum? immo caperet Spiritum, raperet Deum. Non timeas, qui ita capit, vel capitur, quod criminaliter, seu civiliter accusetur. Es plane (ô mensa immensa) etiam in hoc admirabilis, nihilominus & amabilis, quia non exijt a te, qui intrat ad te. Clauditur siquidem infra ambitum tuum, non tamen inclusus, verum plena beatitudine feliciter circumconclusus, & iocunde circumconscriptus.* Hactenus præfatus Abbas.

Proposuit mensam suam Sapientia, & non aliam vult esse Hugo Card. quā mensam beatitudinis, vel Eucharistiæ, nec potest esse alia, quæ iam descripta est, nisi mensa felicitatis æternę, vel Sacramentalis. Hanc ultimam exornat etiam Sapientia, & pręparat misericordia: exornat quidem Sapientia, quia teste Iustinian. Serm. de Euchar. *Mira divinæ sapientiæ est dispensatio, miraque prudentia, ut illius tentationes à tentatione te liberent, te vivificet*

Pertinet ad beatam mensam anima cōmunicātis

ficet mors te spiritualem eius efficiat caro: preparat etiam misericordia, quia,
Ps. 114. 4. *memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Ad hanc mensam non admittuntur, nisi qui pertinent ad librum vitæ: *Mors est malis, vita bonis.* Huic mensę assistunt, ac ministrant Angelorum millia, quare Chrysost. Hom. de divina Missa exclamat: *O miraculum mensæ mysticæ tam magnificè instructæ, in qua agnus Dei per se mactatur, ad quam assistunt Cherubim, descendunt Seraphim, qui senis alis præditi vultus dimittunt, ubi omnes Angeli cum Sacerdote pro te legationem obeunt.* Confirmat hoc ipsum Gregor. lib. 4. Dialogor. cap. 58. *Quis fidelium,* inquit, *habere dubium possit, in ipsa immolationis hora cælos aperiri, in illo mysterio choros Angelorum adesse?* Ibi non aqua, non vinum potatur post consecrationem, sed iucunditas filiorum Dei, quam efficit in cordibus hominum inebrians calix Servatoris. Unus ibi sapor est, sed qui continet omnem saporem, & omne in se delectamentum. Quid plura? In contemplatione Iesu sub speciebus panis refectio delicatissima est: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus:*
Gen. 27. 37. est debriatio ultima, non plus ultra. Dixit olim Isaac: *frumento, & vino stabiliui eum; & tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam?* In hoc quies abundantissima est, & idcirco canit Ecclesia: *A fructu frumẽti, & vini multiplicati fideles in pace Christi requiescunt:* est deambulatio spatiosissima ijs, qui cum sancto Elia pergunt in fortitudine cælestis panis usque ad montem Dei Horeb: est sanitas inconcussa, cùm profit *ad tutamentum mentis, & corporis, & ad medelam percipiendam.* Non potest non esse hîc fortitudo robusta, siquidem est
Ps. 103. 16 *panis cor hominis confirmans:* omniumque bonorum possessio secura nequit non esse, ubi Deus verè est, & possidetur; nec vita beata deesse potest: ubi promissa beatitudo est: *Habitabit Israel confidenter,* ait Moyses Deuter. 33. *& solus oculus Iacob in terra frumenti, & vini, cælique caligabunt rore: Beatus es tu Israel; quis similis tui popule, qui salvaris in Domino?* Respicis sacratam hostiã, & accipis desiderium, & clamas cum Iustinian. de Triumph. agon. cap. 4. *Cuius ista meditantis non ebulliat cor? viscera moveantur? inflammetur corporis organum? & totius animæ non reviviscat virtus?* Respicit inde nos etiã Christus,
Cant. 2. 9. & in se rapit animum: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos,* & rapit animam: *surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni.*

O mensa sacra Sapientię quid rei es? Es ne dicibilis; es ne saltem cogitabilis? Lingua certè immunda non te apprehendit: polluta labia, & si de
1. Cor. 12 3. te, non tamen te loquũtur, quia *nemo potest dicere. Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* In Spiritu sancto Paulus dixit & scripsit: *Ego enim accepi a Domino,*
1. Cor. 11 23. *quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem.* Utinam cor meum ad te intraret, vel tu intrares ad illud, quod latet in illo mysterio. Sine dubio si intrares, totum caperes: revera in utroque felix, vel si caperetur, vel si raperetur. Nam si caperetur, caperet, si raperetur, raperet. Quid autem caperet, vel quid raperet? Fortè caperet pomũ,
Ioan. 6. 58 imo caperet Christum, raperet Deum, & viveret propter ipsum: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Siue capias, siue rapias Deum, & eius regnum virtute Sacramenti, ne timeas, non est peccatum, sed debitum, pro cuius liberatione in hoc sacro convivio Christus sumitur, *& futuræ nobis gloriæ pignus datur.* Es plané (ô mensa immensa) in hoc admirabilis, nihilominus & amabilis, quia
Ioa. 6. 57 non exit à te, qui intrat ad te: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Manet & clauditur intra Christum non inclusus

clusus, verum plena beatitudine feliciter circumclusus, & iucundè circumscriptus, quia continetur in visceribus Iesu Christi, ob hanc causam altaris hostia non solum benedicta, sed *rata* nuncupatur, ut adstruit Aug. Serm. de Sacrament. altaris: *Eucharistia est oblatio benedicta, per quam benedicimur, accepta, per quam omnes in cælo ascribimur, rata, per quam in visceribus Christi censemur.* Hoc ipsum optabat Paulus Philippensibus c. 1. *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.* Lauda Ierusalem Dominum, quare? quia *posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Quærit in hunc locum Hieronym. quodnam sit hoc frumentum, quod adipem, & *viscera* habet? Cui tota respondet Ecclesia: *Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos*, nimirum corporis adipe, & pretiosi sanguinis melle refecit, ac recreavit.

Mensa Crucis & Mensa Altaris.

Exeamus ergo iam extra castra calorum idem ipse Cellensis ait c. illo 1. *id est iuxta montis radicem, & crucis passionem, Agni cœnam cum suis arietibus contemplemur. Mensa huius cœnæ, in qua Deus cum hominibus innovat (immo continuat) umbram luci, figuram veritati, nouum testamentum veteri: paratur in cœnaculo grandi, Apostolorum ministerio, ut pastus Dominus pascua, figurali in cœnaculo patiatur agnus sine macula in patibulo. In hoc Dominus convivio sanguinem, carnem, pellem, adipem, intestina, caput cum pedibus ponit, ut redemptio in sanguine, refectio in carne, vestis in pelle, stola prima in capite, consummatio beata in pedibus præbeatur. Clamat in abundantia saturitatis, & suavitatis suæ pauper ille amicus divitis, qui in convivio discumbebat: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Sed scire debuerat, quod Sapiens ait: Cum sederis ad mensam divitis, diligenter attende, quæ apponuntur tibi, sciens quia oportet te talia præparare. Carnem ergo pro carne repone, pro sancta sanctificatam, pro casta castigatam, & castificatam: pro integra impollutam, sanguinem quoque pro sanguine, scilicet profuso in ara Crucis effusum in rubore confessionis, pro puro impurum, pro bono malum, pro quieto turbidum. Pellem etiam pro pelle, sicut Iob ait, id est, patientiam, & imitationem mansuetudinis Agni incontaminati Iesu Christi rependere debemus. Retribue igitur Conviva Christi pellem pro pelle, immo secundum legem oculum pro oculo, dentem pro dente, livorem pro livore, animam pro anima. Quid enim pro te, aut tibi facere potuit Deus, quam ut animam poneret? Vade ergo, & tu fac similiter: exemplum, inquit, dedi vobis, ut & vos ita faciatis.*

IV. *Descriptio mensæ Crucis.* — Ps. 115 — Prou. 23. 1 — Iob. 2. — Exod. 21. — Ioan. 13.

Verumenimvero cum passionibus Christi communicantes debitum hoc rependere concupiscant, & cum se tantam facultatem non habeant, ut solvere queant, ad rependendum providit Deus de altaris mensa: Unde Sacerdos cum roget. *Quod retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* exonerat se hoc debito, ac dicit: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*: accipiam, inquit, altaris calicem, ut retribuam pro omnibus, pro sanguine, pro carne, pro pelle, pro adipe, pro intestinis, capite, ac pedibus, quæ mihi Dominus cõmunicare dignatus est in sacræ passionis suæ mensa. Repono in mensa altaris carnem pro carne, pro carne sancta, consecratam, pro cruenta incruentam, pro casta virgineam, pro integra immaculatam. Sanguinem quoque pro sanguine pro fuso in ara Crucis, effusum in altaris sacrificio, pro puro nitidum, pro bono probum, pro quieto tranquillum, & serenum. Legem impleo, quia rependo oculum pro oculo, dẽtem pro dente, livorem pro livore, animam pro anima. Exemplum mihi dedit

De mensa crucis est anima quæ communicat. — Ps. 115. 13

dedit Dominus, & quemadmodum & ipse fecit, & ego facio.

Descriptio mensæ Eucharistiæ Mensa passionis visibilis erat, quæ rependitur Sacramentali, & hæc invisibilis est, sed eiusdem Abbatis sermonibus explicanda, & nostris postea expendenda. *Est igitur mensa Domini, in qua non iam visibiliter apud mortales, sed sacramentaliter invisibiliter apud fideles usq; ad consummationem sæculi epulatur. Est autem mensa altaris, ubi veritate Corporis, & Sanguinis Domini existente, sed sub specie visibilis panis, & vini latente, memoria Dominicæ passionis cum effectu nostræ redemptionis, si adsit integritas fidei, quotidie tam utiliter, quam fideliter recolitur. Totum enim fides dignè sumentibus ibi operatur, quod (exhibitione certissima) credentibus exhibuit in cruce mors Christi. Intervenientibus verò carne, & sanguine calicis deitati Verbi communicantes; Patri quoq; Verbi per ipsum Filium, cooperanti, & assistente Spiritu sancto, indubitanter accedimus; & sic ex ipso, & per ipsum, & in ipso vivimus, movemur, & sumus: non sicut qualibet creatura, sed tanquam noua & renovata ad imaginem Dei rationabilis creatura. In mensa ista potentiam & gratiam ponit Deus; homo fidem, & obedientiam. Mirabilis potentia Dei, qua panis in carnem, & vinum convertitur in sanguinem: Mirabilis æquè potentia, qua sic tanta res agitur, ut sub signaculo fidei clausa solis mundis fidei aspectibus intra velamen oppositum penetretur. Gratia naturæ usum, & cursum transiliens, sicut carnem Virginis in carnem Christi sanctificando creavit, & creando sanctificavit; similitudinem quidem carnis peccati conformans Verbo Dei, sed ad purum excoquẽs naturam humanitatis, ne esset caro peccati: sic de pane (mirabili conversione) efficit corpus Christi, contegens specie panis id, quod veritate non similitudine est verus panis, qui de cælo descendit: similitudine autem non veritate panis, qui de clibano venit. Ecce gratia; ecce potentia, quæ ornant, sed & informant mensam istam.*

Expendamus pauca de multis, & imprimis quod Christus idem prorsus sit, tam in mensa visibili passionis, quam invisibili Eucharistiæ, qualis in aperto fuit, talis est & in abscondito. [illegible]mque sacrorum mysteriorum hæc conditio sit, foris, & intus sibi similes in bonitate, & sanctitate convivas requirunt, reijciuntur à mensa fallaces, & subdoli. Præterea, cum interveniente corpore, & sanguine Christi deitati Verbi, & Patri quoque Verbi per ipsum Filium accedamus, dubium non est, quin à mensa Eucharistica gradum faciamus ad epulum sanctissimæ Trinitatis. Accedimus quidem per Spiritum sanctum, qui bonis esurientes replet, & fastidiosos divites inanes dimittit. Item, cum Paulus Deum ignotum prædicaret Athenis, exorsus est inde, quod non longè esset ab uno quoque nostrum, in *ipso enim*
Act. 17. *vivimus, movemur, & sumus*. Deus ignotus corporeis oculis est in Sacramẽto, sed hic est summum Numen, & ex ipso, & per ipsum, & in ipso *vivimus:*
Ioan. 6. 53 *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*: *movemur*, unde cum ageret Christus de Sacramento Ioan. 6. *Omne*, inquit, *quod dat*
Ioan. 6. 37 *mihi, Pater, ad me veniet*, veniet panis cælestis virtute: *& sumus*, quatenus in Christo manemus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in*
Ioa. 6. 57 *me manet, & ego in eo*: In hoc convivio fides, & potentia comedunt de eadem lance, sicut etiam simul edunt gratia, & obedientia. Jam ista connexio prævisa *fuerat* in Maria, cùm panis viuus de cælo descendit: connectebatur potentia cum fide: *Fecit mihi magna, qui potens est: Beata tu, quæ credidisti*: as-
Luc. 1. 49
Luc. 1. 45. sociabant se invicem gratia, & obedientia. *Aue gratia plena, Dominus tecum,*
Luc. 1. 28 *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

Men-

Mensa Ecclesiæ, & mensa Eucharistiæ.

TOta Ecclesia mensa est, in qua, nos monet Petrus Abbas, ut videamus *pro mappa fidem in Ecclesia, magna luminaria quatuor euangelia, aquã Salomonis Sacramentum Baptismatis, Panem, & vinum Eucharistiæ mysterium, Cibos innumerabiles sanctas virtutes, servitores distinctos Ecclesiæ Ordines, Convivatores universi fideles, Vestes epulantium, mores Credentium, Fructus pomorum exempla Sanctorum. Miser, & miserabilis, qui non intrat in locum convivij, siue tabernaculi admirabilis, qui extra est tanquam frater senior in agro, qui audit, neque exaudit symphoniam unitatis, & chorum charitatis, qui audit (sed extra) organum divinæ iubilationis, qui audit (sed exors) psalterium modulationis. Qui enim intus est, lætatur: qui extra, cruciatur. Qui intus est, satiatur bonis, & qui extra est, deficit in malis.* V. *Descriptio mensæ Ecclesiæ.*

Nihil prorsus est in hac Ecclesiæ mensa, quod non exornet Eucharistia. Si mappa mensæ fides est, mysterium fidei Eucharistia est. Si quatuor luminaria quatuor Euangelia sunt, nullum est luminare, nullum est Euangelium, quod de hoc Sacramento non differat. Si Salomonis aqua baptismus est, verus noster Salomon non venit in aqua solum, sed in aqua & sanguine. Si cibi innumerabiles sanctæ virtutes sunt, Sacramentum hoc virtutes omnes corroborat. Si servitores sunt distincti Ecclesiæ Ordines, illi præcipui sunt, qui conficiunt Eucharistiam, si convivatores universi fideles, vel ex eo maximè quod in uno pane congregavit eos Dominus. Si vestes epulantium sunt mores credentiũ, vel tunc maximè requiruntur, cum quis ad communicandum accedit, ne terribile verbum audiat: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem.* Quod si pomorum fructus sunt exempla sanctorum, hoc venerabile Sacramentum est *frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* *Mensa Ecclesiæ tota est Eucharistica.* Matt. 22. 12. Zach. 9. 14.

Miser profecto ac miserabilis, qui non intrat in locum convivij siue tabernaculi admirabilis, ubi Ecclesię filij sicut novellę olivarum sunt in circuitu mensæ Dominicæ. Qui extra est tanquam frater senior, in agro non epulatur de vitulo saginato, vitulus autem saginatus, ut ait Ambros. in ca. 15. Lucę, divinum Sacramentum est, vitulus est & seges, vitulus est, ut se colat, & de se segetem faciat, ex qua conficiatur panis pinguis, & *anima Deo saginetur*: iuxta Tertull. lib. de Resurrect. carnis. Ubi Eucharistia est, non potest non esse symphonia, & chorus, cum & ipsa & unitatis & charitatis sit mirabilis consonantia. Consonantia est unitatis, cum sit *symbolum unius illius corporis*, cuius Christus caput existit, cuique nos tanquam membra arctissima fidei, spei, & charitatis connexione astrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis chismata, sicut definitum est in Concilio Trid. ss. 13. cap. 2. Charitatis quoque armonia est, siquidem, ut eodem loco statuit Concilium: *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit.* Amoris etiam erga nos mutui symbolum est hoc Sacramentum, & ideo Tract. 26. in Ioan. exclamat Aug. *O Sacramentum pietatis, ô signum virtutis, ô vinculum charitatis.*

AR-

ARGUMENTA SELECTA DE ARCE ET AVLA SAPIENTIÆ, PER BREVES ET VARIAS ANTIPATHIAS cum Aula prophana.

Misit ancillas suas, & vocavit ad arcem, & ad mœnia civitatis.

ANCILLÆ Sapientiæ sunt Apostoli ac viri Apostolici, de quorum sacris privilegijs ac festis Tom. 2. disservimus: Significantur autem non virili nomine, sed muliebri titulo ancillarum, quoniã, ut ait Philo lib. de Profug. *Quicquid post Deum est, quantumvis antiquum sit, cum secundo loco censeatur, collatum ad omnipotentem illum, non tam masculinum videtur, quam fœmineum, ut cæteris creaturis simile.* Vocavit Sapientia *ad arcem, & ad mœnia civitatis.* De hac mystica Sapientię arce, de civitate eius & mœnibus egit. S. Cyrill. per Apologos morales, ut ipse testatur in eorum prologo, ubi arcem vocat *Templum Sapientiæ atque prudentiæ, & palatium Reginæ iustitiæ*: męnia *murum fortitudinis:* civitatem verò *domus Ierusalem temperantiæ, atque modestiæ*, quibus bellum indixit Nabuzardam Princeps coquorum 4. Reg. 25. Erat ille princeps aulæ prophanæ, quæ est planè contraria sacræ aulę Sapientiæ, ut ex dicendis patebit. Acturus S. Cyrill: de aula & palatio Sapientiæ, per Apologos morales, statim in prohæmio, inquit, *Secundum Aristotelem in problematis magna vis est exemplorum, in moralibus maximè disciplinis, cùm ex rebus naturalibus & animalibus, quasi vivis quibusdam imaginibus humanæ vitæ qualitas exemplatur. Totus enim mundus hic visibilis quasi quadam schola est, in qua rationibus prudentiæ plena sunt omnia. Ex hac igitur, tanquam ex promptuario, moralia documenta colligentes, per exempla proponemus, ut Lector intelligat clarius, addiscat facilius, gustet suavius, reminiscatur tenacius, quæ per figuras & apologos perceperit.* Hæc quoque ratio & causa fuit, ut S. Epiphanius Physiologum suũ componeret, & S. Fulgentius Episcopus Carthaginensis in Mythologijs, ubi fabulas versat, & explicat, ut humanis moribus applicet. Sanctos hos Patres duces ac magistros conscios sacrarum literarum, in quibus & arbores & plantæ, nec non animalia loquentia interdum describuntur, habentes præ oculis sequemur, ut per apologos, & fabulas Æsopi ostendamus, qualis sit aula prophana, mundanis moribus agens, & qualis sit domus,

mus sacra, in qua sedem suam habet divina Sapientia Patris, quę *misit ancillas suas*, & per illas ipsa vocavit ad sacram aulam, quę gaudet nomine arcis, quippe quæ arcet a se totum id, quod est in aulis prophanis, & Herodianis fabulosum. Abhorrebat ab his Ioannes, quas & Christus taxavit, cũ ait, *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*. Adiunge commentarium Clem. Alexand. lib. 2. Pędagog. cap. 10. *Regias dicit Christus terrenas, mortales & corruptibiles: ubi est varia honesti opinio, inanis gloriæ ambitio, error & adulatio. Qui verò aulam cælestem observant, quæ est circa omnium Regem, incorruptibilem animæ vestem, nempe carnem sanctificant, & per eam induunt incorruptionem.* Quapropter ut ait Fulgent. lib. 2. Mytholog. initio. *Si ab his Lector melius sapit. Deum præferat, qui meliora concessit*, meliora scilicet, quam fingere fabulatores noverunt. Opposita iuxta se posita magis elucescent. Prou. 9. 3. Matt. 11. 8

Vocavit ad arcem, & ad mænia civitatis.

HÆc est arx & aula Sapientiæ, domus regia solennis Convivij longè alia, quam esse solet mundana atque prophana. Apparebit magis id, & elucescet, si diversas utriusque conditiones, moresque contrarios per decadas expendamus. Arx & aula Sapientiæ, ubi arx sacra Eucharistiæ est, quid nisi oraculum veritatis, Mundana verò aula quid nisi fabula? Huius mentis atque animj erat excellentissimus Marchio Aytonæ D. Franciscus de Moncada Heros domi, forisque gloriosus, in cuius ore versabatur in formam parœmiæ, atque proverbij, *Aula Æsopi fabula*, quoties a debita veritate illa deficeret. Quę non deficit a veritate Christiana, nec a vera Christianitate, hæc vel aula sacra Sapientiæ est, vel cum illa couvenit, quę verò prophana est, adversatur regię arci & aulæ Sapientiæ. Nulla est Æsopi fabula, quæ narrari non possit de aula prophana & aulicis eius rebus, nulla verò est, quæ locum habeat, & non exulet ab arce & curia Sapientię. Comprobemus assumptum assumptis fabulis, cum quibus fallax aula mundi concordat, discordat sacra & Eucharistia arx, ad quã nos vocat & invitat Sapientia. Ut simus ipsius cõvivæ, amatores veritatis, non fabulæ, de qua Philostratus li. 1. de vita Apollonij c. 5. hæc scribit. Postquam Mercurius Philosophiæ partes pro magnitudine sumptuum in sacrificia sua a singulis impensorum destribuerat, *Æsopo fingendi fabulas dedit facultatem, quæ sola in Sapientiæ domo relicta fuerat.*

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharisticæ cum aula prophana.

HUmana natura, ut ait Seneca lib. 2. de Ira *fert insidiosos amicos, fert ingratos, fert cupidos, fert impios.* Hæc naturæ humanę conditio sæpè in aula viget, & pro more suo, quemadmodum scribit Sylvius lib. 3. de rebus Alfonsi, non defuerunt Consiliarij, qui Fredericum Romanorum Imperatorem monerent, ut Ladislaum Hungariæ, ac Bohemiæ Regem adhuc puerum viventem apud se I.

 occi-

occideret, & utrumque regnum sibi assumeret. Quibus Cæsar: *Qui fit, quod me divitem potius, quam pium erga meos esse cupiatis?* Noluit impius in alienam prolem esse, ne amitteret aliquando propriam in pęnam commissi sceleris ad quod impellebant aulici, compellebant, ut faceret quod fecit aquila in fabula. Uulpes & aquila inierunt fœdus, ut amice secum agerent, sed cum aquila fameret, nec haberet quid comederet, vulpis filios arripuit & voravit. Accidit deinde, ut aquila ex ara, in qua carnes cremabantur, illas prędaretur, ferret ad nidum, ubi pulli erant, & ipsi semi adusti e nido caderēt, tunc accurrens vulpes eos voravit.

Vulpes et aquila.

Humanitas. Ps. 77. 25

Aquilæ & uulpes malè inter se convenientes, & sibi mutuò nocentes, procul ab arce & aula Sapientię, in qua *panem Angelorum manducavit homo*: nimirum homo dissimilis uulpi & aquilæ suo respōdens nomini iuxta monitum Ambrosij lib. 3. de Offic. cap. 3. *Considera ò homo, unde nomen tuum assumpseris, ab humo utique, quæ nihil cuiquam eripit, sed omnia largitur omnibus.* Malè timebat Herodes, ut auferret ei regnum, qui regna sua propria largitur; *Non eripit mortalia, qui regna dat cælestia.*

II. *Repulsa humilium*

Parcere subiectis Romani olim solebant, priusquam Imperatores aulas suas introducerent, in quibus elogium vetus cessavit, maximè in aula Caligulæ, teste enim Suetonio, non ignoscebat subiectis, rogatus sępè a Senatu, cumque idcirco publicum odium incurreret, jactabat, *Oderint, dum metuant.* Invisus omnibus publico odio punitus ipse vixit & obijt, post cuius obitum in Senatu, ut memorat Suetonius, *quidam sententiæ loco abolendam Cæsarum memoriam, ac diruenda tempora censuerunt. Obseruatum, notatumque est imprimis Cæsares omnes, quibus Caij prænomen fuit, ferro periisse iam inde ab eo, qui Cinnanis temporibus sit occisus.* Quod si adhûc Cæsarum memoria est, extant rari, vel nulli, in quos cadit fabula aquilę & scarabei, cū enim aquila supplici lepori non pepercisset, insurrexit contra illam, & eius sobolem scarabæus, & extinxisset, ni superi aliter disposuissent. Assonat præsenti argumento apologus, cuius meminit Cyrill. Alexandrin. lib. 1. Apolog. cap. 22. *Vrsi catulum in captum agniculum sæuientem desuper columba prospiciens dixit: Vt quid in miserum sæuis, cui ille; si generationem complexionemque & morem meum attenderes tu tibi responderes. Nimirum vrsi filius sum, ursum me fore physionomia ostendit, atque ideo nunc ursi morem imitor.* Nec agniculum balantem, nec columbam supplicantem attendit.

Aquila et scarabæus

Admissio. Ps. 26. 4.

Arcem & aulam Sapientię appetebat David, cum diceret, *vnam petij a Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini.* Petierat idem David a Saule, & supplex quidem, ut parceret eius sanguini, nec obtinuit, cuius causa domus Saulis distructa, devastataque est. Longè alia est aula, ubi ara sacræ Eucharistiæ est; *Etenim passer invenit sibi locum, & turtur nidum, ubi ponat pullos suos, altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus:* Passer, quem persequebatur Saul, columba, quam accipere cupiebat, invenit suum refugiū in altaribus divinis, aliquando dedicandis, consecrandisque Eucharistiæ, ubi Deus est, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Supplices hic rogamus & impetramus. Procul hinc immitis aquila, ubi agnus mansuetus est ad preces supplicum excipiendas, expediendasque paratus.

Ps. 83. 4.

Iac. 4. 6.

III. *Attentio ad præsentia.*

Viuitur è rapto in aula sępè, sicut vivere solent accipitres, qui cùm semper inhient prædæ, quam semel habent, tenent, nec auolare permittunt. Accipitres esse volebat ministros Nero, neminem quippe ad publicum officium promovebat, cui non diceret; *Scis, quibus mihi est opus, & hoc agamus, ne quis quid habeat.* Hęc accipitrum natura est, ut dum parva venantur,

quæ

quæ sunt magna minimè curent. Talis conditio plurimorum aulicorum, ut præsentibus rebus, parvis & exiguis attendant, futuris magnis & eximijs, quę sunt in regno cœlorum, non intendant, dementiæ ducentes privari præsentibus sub spe futurorum bonorum, quæ latent & non videntur. Ceperat accipiter philomelam, & cum illa rogaret, ut ad *Accipiter* maiores se aves converteret, respondit; *Sed certè, ego amens essem, si qui et philo-* *in manibus paratus est, cibo dimisso, quæ non videntur persequar.* Sic pręsente *mela.* luna lætatur simia, quam irridet vulpes apud S. Cyrill. libr. 1. Apologor. cap. 9.

Lex hæc in aula Sapientiæ est, *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus:* oportet renuntiare præsentibus, quæ parva & exigua sunt, præ bonis cœlestis beatitudinis, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* In sacra Eucharistia *futuræ nobis gloriæ pignus datur.* Indigni ut illam percipiant, qui præsentibus incumbunt, quemadmodum incumbebant ad cænam invitati & se in Euangelio excusarunt per id, quod in manibus habebant. Dixit unus, *Villam emi*, dixit alius, *iuga boum emi quinque*, dixit tertius, *Vxorem duxi:* omnes præsentibus studebant, & illis affixi inhærebant, dissimiles ijs, qui nati ad aulam cælestem protestantur; *Se patriam inquirere* futuram.

Attentio ad futura Luc. 14. 33. 1. Cor. 2. 9. Luc. 14. 18. Heb. 11. 14.

IV. *Ascensus difficilis.*

Quisquis in aulam descendit, difficilè ascendit, facilis descensus in aula, sed superas evadere ad auras amissi semel favoris, hoc opus, hic labor est. Opus quoque & labor est, ut incolumis evadat, si quis descendat, ut nimias divitias hauriat, sicut & moris est ijs, qui aulica officia pauperes ingressi ditantur. Agit de his Lucian. in Apolog. de mercede conduct, & rogat, *Illud Theognidis quis ignorat, non vitio dari, si quis se ipsum in profundum mare demergat, vel è rupe præcipitet, modò paupertatis onus hoc modo excutiat?* Mergunt se in profundum, ut onus paupertatis excutiant, freti favore & gratia, & etiam potentia, & cùm minus cogitant, & à quo minus putant, deseruntur, & ab eo, cui auxilio fuerunt, produntur, ac traducuntur. Meminerint fabulæ vulpis & hirci. Descenderunt ambo in puteum, auxilio hirci vulpes evasit, hircus verò irrisus & ludibrio habitus, in profundo puteo mansit. Evasit è carcere pincerna Pharaonis, mansit in carcere Iosephus plenè destitutus ab ipso, cuius dederat adiutorium, cuius imploraverat opem.

Vulpes & hircus.

Cum Sapientia Patris dicat, *Thesaurizate vobis thesaurum in cælo,* in eius aula, non descendunt, sed ascendunt, qui divites esse volunt, & ut ascensum eò faciant; Christus in Eucharistia perpetuò porrigit manum, ut suos in sublimè vehat, sicut & olim vexit in typo Eliam, & super cacumen montis extulit, & erexit. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Non est periculum, ut urgeat supra eos puteus os suum.

Ascensus facilis. Matt. 6. 20. Matt. 5. 3. Psa. 68. 16

Magnum est, ut adstruit Cicero Philipp 8. *personam in Rep. tueri Principis, qui non animis solum debet, sed oculis servire civium.* Maius illud est servire oculis aulicorum, amicè & familiariter agere, & Principis tueri personam. Noverit Princeps se esse leonem, & rem esse sibi cum vulpibus aulicis, In quorum animis familiaritas nimia contemptum parit,

Conuersatio causa cõtemptus

& audaciam, ut refert fabula de vulpe, quæ per accessum revereri leonem paulatim desijt. Quæ causa esse solet, ut Principes aspectum hominum fugiant, per fugam suo cultui & venerationi consulentes, sicut & Assuerus fecit, cum omnem ad se aditum, & colloquium interdixit.

Causa æstimationis Princeps & Rex in aula Sapientiæ Deus est, & contra morem humanum, qui magis illum accedunt, magis reverentes existunt. Nulla maior Deo reverentia fit, quam quæ fit in Eucharistia, nec tamen est, nec esse potest maior ad Deum accessio, quàm sit illa. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.* Quò magis soli visus humanus approximat, eò magis eius reveretur splendorem, & quò quis Christo propinquior est, eo maior æstimator est divinę suæ maiestatis. Cultores Christi præ cæteris fuerunt, qui magis ad illum accesserunt, si matrem eius consideres, Petrum Iacobum & Ioannem; & Thomas tunc magis reverens fuit, cum exclamaret, *Dominus meus, & Deus meus*; exclamavit autem factus familiaris.

Ioan. 6. 57

Ioa. 20. 28

VI. *Licentia peccandi.* Praua natura aulicorum multorum, qui cum peccare velint, prius aliquem prætextum quærunt initio, sed postea apertis parietibus in malum eunt, quicquid illis obijcias, audiunt, sed parum proficis. Parum profecit gallus, agens cum fele varijs ac diversis rationibus, cui felis, *sed si tu multis abundas euidentibus responsionibus, ego tamen ieiunus non perstabo, & ipsum devoravit.* Pulchrè Cato apud Bruson lib. 1. ca. 41. *Perdifficilè sanè est ad carentem auribus ventrem verba facere*: & ad aulicum ventriculosum, si ille famescat.

Felis & gallus.

Fuga delicti. In hac aula non quæritur prætextus, ut malè fiat, ubi non solum sibi à culpa cavent aulici, sed etiam ab omni specie mali, implentes, quod ex parte Sapientiæ monet Apost. 1. Thesal. 5. *Ab omni specie mali abstinete vos.* Quod si fortè deliquerint, ne peccent, sacram edendo Eucharistiam, præcipitur, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Probare se quis debet, non solum ab his, quæ sunt manifesta crimina, sed etiam ab ijs, quę virtutis etiam prætextu sunt malè perpetrata.

1. Thes. 5. 22.

1. Cor. 11 28.

VII. *Cura suarum rerũ* Rarus in aula est, qui suis commodis non studeat, nullus ferè inter consiliarios, qui sua non curet, sub prætextu tamen boni communis suadendo ea, quæ nec Principem neque Rempublicam decent. Vidimus zelatores clamantes nequis multis stipendijs tam domi, quam foris frueretur, & hoc ideo, quia illis ipsi carerent. Carebat itaque vulpes cauda, & hæc ipsa conabatur persuadere, è re communi esse, ut cæteræ aliæ vulpes sibi similes esse vellent. Vellent aulici sibi similes esse socios in eo, quod sibi deficit, sed non in eo, quod habent, & quo gaudent.

Vulpes.

Cura communis. Charitas valet & regnat in aula Sapientiæ, & charitas *non æmulatur*, ut sub specie zeli & æmulationis boni publici privatum agat. Charitas *non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi.* Hic Princeps, *sibi non placuit, sed sustinuit crucem*, cuius ei memoriam celebramus in Eucharistia, ut dum illam sumimus, discamus nobis ipsis non placere, nec suadere, quę non decent, nec velle, quod nobis deest, alijs deesse, sed optare, ac procurare, ut quod bonum nostrum est, commune fiat, utpote credentes ac profitentes *Sanctorum communionem.*

1. Cor. 13 4.

Rom. 15. 3

VIII. *Malum refugium.* Habet suos aula prædones, habuit & fures, imperantibus Augusto & Tiberio

Tiberio,& idcirco,teste Dione in Augusto, cum Batto Dalmata rogaretur a Tiberio,cur toties ab Imperio defecissent, respondit, *Vos Romani in causa estis,qui ad greges vestros custodiendos canes non dedistis, nec pastores, sed lupos.* Summiserant se Dalmatæ,ut sibi auxilio Romani forent, & in manus ministrorum incidebant,qui non partes suas iuuarent, sed sua bona diriperent,referentes planè rubum,ad quem auxilij causa vulpes confugit & suum invenit excidium;stultum quippe est ad eos pro adiumento pergere & accurrere,quibus natura insitum est lædere & offendere. *Vulpes et rubus.*

Magnum spectaculum vidit in rubo Moyses, vidit in rubo Deum, qui *nusquam Angelos apprehendit,sed semen Abrahæ apprehendit,*ut capiendo carnem liberaret naturam humanam. Differt rubus a rubo, Rubum incombustum,quem vidit Moyses, novimus Marianam esse Virginitatem, ad quam si quis auxilij gratia recurrat, certum inveniet præsidium. Apprehendit hic rubus Deum,siquidem dicit Maria: *Tenui eum,nec dimittam,*& ut similiter capiatur Christus ab anima Christiana & Mariana, inuitatur ad arcem Sapientiæ, in qua per sacram communionem sumitur & tenetur. *O sacrum convivium,in quo Christus sumitur*, sed non læditur, nec offenditur,nisi quis indignè capiat Eucharistiam. *Refugium bonum.* Heb.2.16 Cant.3.4.

IX. Democritus, ut ait Stobęus Sermon.84.in eos,qui de sola domus & familiæ antiquitate gloriabantur,dicere solebat; *Pecudum nobilitas in bono, validoque corpore sita est,hominum autem in bonitate morum.* Accedit & Iuvenalis. Satyr.3. *Vana nobilitas.*

Stemmata quid faciunt,quid prodest, Pontice,longo.
Sanguine censeri,pictosque ostendere vultus,
Maiorum,& stantes in curribus Æmilianos,
Fumosos equitum cum Dictatore Magistros,
Si coram Lepidis malè vivitur?

Commune hoc vitium aulicorum est,& qui hoc vitio laborant, habent aliquid cum crocodilo de sua nobilitate apud vulpem gloriante inaniter & mendaciter,Habes quoque de crocodilo apologum apud S.Cyrill. lib. 2,Apolog.c.2. *Vulpes et crocodilus.*

Nobilis aula Sapientiæ,nobiles aulici,*Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Hæc nobilitas Ecclesię est,non Synagogæ inaniter se iactantis de antiquis suis sacrificijs. Cedant omnia novo Eucharistiæ sacrificio & sacramento,quod est in Sapientiæ mensa; *In hac mensa novi Regis, Nouum Pascha noua legis, phase vetus terminat. Vetustatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat.* Non hîc agitur picturis more Romano, nec figuris ritu Hebręo, *Omnia in figura contingebant illis.* Adest Christus pręsens, & cavendum,ne coram illo malè vivatur. *Nobilitas vera.* 1.Pet.2.9. 1.Cor.10 11.

X. Non hospes ab hospite tutus semper in aula est. Sæpe homines eiusdem conditionis & generis,eiusdem voluntatis non sunt, sibi mutuò dissentientes & adversantes.Plena discordijs aula erat Philippi Regis, qui cum Damarathum Corinthium interrogasset, quo pacto Græci mutuam inter se concordiam agerent, respondit aqud Bruson. li.2. c.20. *Tuà minimum interest, Philippe, hâc curam suscipere,qui tot discordiis ac calamitatibus propriam cumulasti regiam.*Cum regia sic discordat, ut similes sibi non ament, sed illis noceant; mirari non debent, qui sunt alterius naturæ & sortis, si quando etiam in ipsos cristas in palatio erigentes insurrexerint. Hæc, ut narrat fabula,perdicis consolatio, cum esset inter gallos mutuò se impetentes & pungentes, *Discordia* *Perdix et Galli.*

Cōcordia Hospes ab hospite tutus, ubi summa pax & concordia est. *Filij tui sicut*
Ps. 127. 3. *nouellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Concordiæ & pacis typus oliva est, competens Christi fidelibus, qui de una mensa, & de uno pane viuunt. Ubi
Psa. 86. 3. tantus consensus est, nihil est, cur hospites timeant; *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei: Memor ero Raab & Babylonis scientium me, Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopum hi fuerunt illic.* Liberat a discordijs regiam Princeps pacis, liberat eam calamitatibus, qui clamat, *Venite ad me omnes, qui laboratis &*
Matt. 11. 28. *onerati estis, & ego reficiam vos.*

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharisticæ cum aula prophana.

I. *Insufficiētia ministrorum.* ANtisthenes apud Laert. lib. 6. c. 1. hortatus est Athenienses, ut asinos æquè atque equos deligerent ad agriculturam. Cum illi replicarent, hoc animal nimis esse a ratione alienum. *Quid refert*, inquit, *cum in vestra Republica duces sint, qui nunquam didicerunt administrandi rationem, sed hoc satis est, quod a vobis delecti sunt.* Hæc quidem non tam capita Reipublicæ, quam capitones erant, quorum parvo & exiguo cerebro tota Græcia regebatur. Sæpe aula Græca est, sæpe tales deligit gubernatores, quorum iudicio publica administrentur negocia, nullam habentes sufficientiam, nec ius præter ius malum iniquissimæ electionis. Sic mundus paruo interdum regitur cerebro, & tamen eius regimini vacantes aulici magnam exterius præ se ferunt, ostentantque
Vulpes et mimus. magnificentiam. *Vulpes in domum mimi profecta, & singula ipsius vasa perscrutata, invenit & caput larvæ ingeniosè fabricatum, quo & accepto manibus ait; O quale caput, & cerebrum non habet.* Cerebrum stultus non habet, quamvis
Isai. 19. 11 esse videatur sapiens, & stulti Principes Taneos, sapientes consiliarij Pharaonis.

Ministrorum sufficientia. Hæc dos & prærogativa solius Sapientiæ est, ut quos delegit ministros, habiles & idoneos reddat, scribitque propterea Paulus 2. Cor. 3. *Sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos ministros nos fecit novi testamenti*: noui scilicet testamenti, quod agitur & colitur in sacro altari. Habiles & idonei, ut totum gubernent mundum, nec se efferunt nec se ostentant, sed se humiliant
2. Cor. 10 18. ac deprimunt: *non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Non commendat, sed damnat vanam & inanem ostentationem Deus absconditus latens humiliter in Eucharistia.

II. *Vita periculosa.* Laudabile monitum est; *Fugiat ab aula, qui velit esse pius.* Quis tanget picem, & ab ea non inquinabitur? Erat in aula Arsenius candidus ac sincerus Christianæ pietatis amator, & scire volens modum & artem, ut vitę suę candorem ac puritatem servaret, monitus e cælo est, *Arseni fuge homines*, &
Carbonarius et fullo. aulam deseruit; *Carbonarius in quadam habitans domo rogabat, ut fullo accederet, & secum cohabitaret: fullo autem respondens ait, sed non hoc possem ego facere, timeo enim, ne quæ ego dealbo, tu fuligine repleas.* Apposite Maximus Tyrius, Dissert. 2. *Vt qui fuligine imbutum tractat, aut cum eo luctatur, necesse est, ut corpus inficiat, ita qui cum improbo congreditur, & quasi volutatur necessariò mali fit particeps &*
Vita secura. *eadem imbuitur fuligine.*

Qui pius esse velit, necesse est, ut ad aulam Sapientiæ recurrat; cuius candidi

candidi Nazaræi & lacte albiores sunt. Non hic amittitur pietas, sed acquiritur, ubi *manifestè magnum est pietatis Sacramentum*, in cuius cultum Paulus adhortatur, *sobriè & iuste, & piè vivamus.* Non hic destruitur candor, sed adstruitur. *Nive dealbabuntur in Selmon.* Procul hinc carbonarius, vbi fullo non humanus, sed divinus est; *Ipse enim quasi ignis conflans & quasi herba fullonum. Et sedebit conflans & emundans argentum: & purgabit filios Levi, & colabit eos, quasi aurum & quasi argentum: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.* Hûc pertinet quod ait Anselm. lib. de similitud. cap. 72. *Quemadmodum si sordidus aliquis, & omni fœtore plenus occurret alicui, dicens se cum eo velle conciliari, non debet mundus subsistere: sic nec voluntas appetitui carnali acquiescere.*

1. Timot. 3.16. Tit. 2.12 Ps. 67. 15. Malach. 3 2.

III. *Spes frustrata.* *Piscatores.*

Nemo laborat in aula sine spe futuræ remunerationis, & cum diu laboratum est, nec respondet compensatio; tunc est communis querela, quæ est apud Iuvenalem, *Perierunt tempora longi servitij.* Nec tamen desunt, qui post frustratam iam spem, ne malè remunerati tristentur, sed adhuc expectent tempora meliora, quibus è voto petitio succedat. Quod solatium grandior natu sociis suis piscatoribus præbuit, cum loco magni piscis, què putabant rete trahere, ingentem traxissent lapidem. Lassantur in aula brachia, franguntur vires, perit salus negotiantium, moriūtur, & post longam piscationem, sepulchralem habent lapidem, sub quo iaceant.

Spes firmata. Matth. 4. 19.

Habet aula Sapientiæ piscatores suos, quibus & Christus dixit; *Venite post me, faciam & vos fieri piscatores hominum,* & ut melius & certius illos capiant, providit de esca Sacramentali, qua capti & tracti eos in cælum euehant. Nec periculum est, ut spe sua cadant, siquidem prælecti cælo homines per manus & retia Apostolorum capiuntur, & in cælum sine defectu, & errore ullo assumuntur, cum quibus & ipsi piscatores eleuati simul remunerantur.

IV. *Iactantiæ vitium.* *Iactator.*

Mira de se jactant aulici gloriosi, quæ missi egerunt apud externas nationes, varia referunt testimonia in sui commendationem ficta potius quā vera, sicut etiam quæ allegantur a militibus extollentibus sua præclarè gesta in varijs, ac diversis prælijs, quibus non affuerunt. Interim tamen postquam iam redierunt in aulam, nihil boni pro Republica faciunt, cùm possint, & debeant. *Vir quidam peregrinatus, deinde in suam patriam reversus, aliaq; multa in diversis viriliter gessisse locis iactabat, atq; etiam Rhodi saltasse saltum, quem nullus eius loci potuerit saltare: ad hoc & testes, qui ibi interfuerunt, dicebat se habere. Quidam autem ex his, qui aderant, respondens ait; Heus tu, si verū hoc est, En Rhodus, en & saltus.* Credendum potius oculis quam auribus, cùm jactant se aulici. Habes sui suarumque rerum jactatorem gallum apud S. Cyrill. lib. 2. Apologor. cap. 28, ubi & coruus illum redarguit, & convicit hoc dilemmate. *Ad quid te laudas? Certè si notus es, agis superfluum: si non notus, memento, quod latere desideret vera virtus,*

Humilitatis virtus. Luc. 17. 10. 2. Cor. 4. 7.

Nemo se jactat in aula Sapientiæ, una est omnium vox, *servi inutiles sumus.* Nemo gloriatur, & meritò, *Quid enim habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quid fideles fecissent assistentes Christo morienti, ostendunt atque declarant sacræ eius memoriæ, & Eucharistiæ piè servientes, devotè ac religiosè famulantes, & simul venerantes Sacramentum, in quo saltum, quem è cælo Christus incarnatus dedit, consecratus semper in oculis Ecclesiæ edit.

V. *Falsitatis promittendo.*

Cum Agesilaus Rex Lacedemon apud Plutarch. in Laconic. urgeretur, ut promisso suo staret, respondit, *Dixi, non promisi.* Hic verè aulicismus est, solen-

solennis apud eos, qui dant verba, & præter verba nihil. Nuper aulicus quidam minister se plusquam posset, pro candidato facturum pollicitus est, & cum ultra potentiam nihil esset, nihil fecit, & candidatum decepit. Hic profectò sibi impossibilia promittens, si opus sit, conabitur fallere Deum, sicut & ille alius, de quo fabula; *Vir pauper ægrotans & malè affectus cum a medicis desperatus esset, Deos rogabat pollicens, si sanitatem sibi restituissent, centum boves ipsis oblaturum in sacrifitium. Vxore autem eius rogante, & ubi tibi hæc, si convalueris? Ille ait, Putas enim surgere me hinc, ut dij hæc a me repetant?* Forma verborum solet esse forma votorum, quæ ab aulicis emittuntur.

Impossibilia promittens.

Veracitas in adimplēdo.

Lex aulæ Sapientiæ est, quam cap. 3. sapiens Ecclesiastes promulgat; *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim infidelis & stulta promissio.* Promittit sapiens, quæ potest, insipiens verò, quæ non potest. Sapientes nos vult esse omnes David, cum dicit Psalm. 75. *Vovete, & reddite Domino.* Vovit ipse & reddidit: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.* Hęc vota Eucharistica sunt, quæ a verbis pendent consecratorijs verissimis atque certissimis, excedentia vires voventis, sed non Dei conferentis & etiam repetentis.

Ps. 115. 12.

VI. *Imponitur principi.*

Non raro, sed sępè barbato imponitur Regi, præsertim ab ijs, qui valent gratia & potentia in aula regia, & pro more suo modos & formas quærunt, quibus recreent, teneant, & decipiant Principem intentum rebus ludicris ac nugatorijs, ut penes solos ipsos collocetur imperium. Quod si facti potentes in suum Principem invaluerint & prævaluerint, eius responsa contemnunt, & planè in contrarium vertunt ac pervertunt. Qua malignitate laborantem fabula inducit eum, qui Delphos ivit ad Apollinem, rogaturus quid haberet in manu vivumne, an mortuum passerculum? Contexit illum veste, accedensque tripodem ait; *O Apollo, quod manibus fero, vtrum viuum est, an mortuum?* Si mortuum diceret, viuum ostensurus erat passerculum: sin viuum, statim suffocasset, & suffocatum illum obtulisset. Respondit Oraculum penes ipsum esse vivum passerculum servare vel vita privare. Quæ vitæ & necis potestas in subditos apud favoritos talis est, ut pro suo arbitrio eos servent & perdant, unde gratioso suo Amano, iurato hosti Iudęorum dixit Assuerus, *De populo age, quod tibi placet.*

Malignus

Non imponitur Deo. Gal. 6. 7. Ps. 5. 5.

Deus non irridetur, Deus nec decipit, nec decipitur, qui habitat in aula Sapientiæ, nec accipit personas hominum, nec patitur viros malignos; *Manè astabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Nemo in aula Sapientiæ vitæ & mortis habet potestatem. Deus solus *mortificat & vivificat*: & in sacrosancta Eucharistia *mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis, quam sit dispar exitus.* Solus ipse vult esse Deus, solus Rex, cæteri ministri sunt, & quidem rationabiles sine dolo.

VII. *Potentia fortunæ.* *Piscatores*

Non merita, non obsequia in palatio Regum valere solent, valet bona fortuna, quæ præter ordinem rerum immeritis favet, & interdum desperatis, qui præ desperatione de aula deserenda agunt. *Piscatores egressi ad venationem cum multo tempore defatigati, nihil cepissent, & admodum tristarentur, & discedere appararent, statim thunus, maximo quodam insectante pisce, in navigium ipsorum insiluit, quo capto læti abiere.* Quoties vnus creabatur Imperator, in eius cubiculo imago Fortunę collocabatur, ut bona

bona fortuna electus declararetur, fautor eorum, quibus fortuna faveret.

Sapientiæ nihil fortuitum accidit, nihil pręter tempus, nihil præter rerem ordinem euenit, nemo apud eam immeritus remuneratur, nemo dignus præmio suo non donatur. Labori respondet merces, laborantibus in vinea solvitur, quibus & dicitur, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Reficit in tempore Christus, de quo David, *Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno.* Sacra non prophana fortuna est Eucharistia reposita in Ecclesia, ubi Deus iustitiæ regnat. *Fortuna impotētia.* Matt. 11. 18. Ps. 103. 27

Apud Lucian. libr. de mercede conductis, Aulici *similes sunt pulcherrimis libris, splendidi conspicuique, porrò intus sub purpura varias occulunt tragædias.* Occulunt & fabulas, *quorum unumquemque si euolueris explicuerisque, fabulam non mediocriter longam reperies Euripidis cuiusdam aut Sophoclis.* Adde & Æsopi, apud quem deceptor Dei & hominum est, qui cum pauper esset, & ęgrotaret, centum se boves daturum vovit, & ex pasta fabricatos centum boves obtulit, & idem ipse cum captus à piratis esset, pro sua liberatione mille auri talenta promisit, tentans decipere, sed non potuit. Captus & venditus mendaciorum suorum pœnas luit. Mentiti sunt Deo Annanias & Sapphiras, & ambo pænas dederunt. VIII. *Apparētia* *Deceptor.* Act. 5. 2.

Aula Sapientiæ Ecclesiæ non foris, sed intus habet, quod magis pulchrum & gloriosum est, *Omnis gloria filiæ eius regis ab intus.* Quotquot ad illam pertinent, similes non sunt libris foris speciosis, sed intus, quorum unumquemque, si evolueris explicuerisque, invenies non tragædias, nec inanes fabulas, sed veram notitiam Dei, quam prędicatio Apostolica imprimit in animis cordibusque fidelium, quibus scribens Petrus ait; *Non enim doctas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem & præsentiam.* Procul a virtute & præsentia Christi in Ecclesia, & in Eucharistia fabulæ, & fabulosæ deceptiones ac deceptores. Monetque propterea Paulus 1. Timoth. 4. *Ineptas & aniles fabulas devita: exerce autem teipsum ad pietatem.* Procul hinc ineptæ fabulæ, quibus sacra pietatis Christianę repugnat aula. *Veritas.* Ps. 44. 14. 2. Pet. 1. 16

Cum Plotina vxor Traiani Imperatoris, magnis accepta applausibus, Capitolium ingrederetur, stans in gradibus, sicut refert Xiphilinius; *Talis*, inquit, *hûc ingredior, qualem me exire cupio.* Communis aulicorum hic est error, ut de ingressu atque progressu meditentur, nec tamen de egressu & evasione, cum periculum instet, quicquam cogitent. Errant qui ita inconsideratè viuunt. *Duæ ranæ in palude pascebantur, æstate autem siccata palude, illa derelicta quærebant aliam: cæterum profundum invenerunt puteum. Quo viso altera alteri inquit, Descendamus, heus tu, in hunc puteum: illa respondens ait; Si igitur hic aqua aruerit, quomodo ascendemus?* Profundus aulæ puteus, in quem periculosus ingressus, egressus verò exitialis est. IX. *Incertus exitus.* *Ranæ.*

Pulchros ingressus, progressus & simul egressus aula Sapientiæ habet, cum vbique Deus sit, *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum.* Ubi Deus, ibi & salus, *Deus noster Deus salvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis*, Felicem exitum parat, & facit per viaticum Eucharisticum, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Hic Dominus est, qui monet aulicos suos, *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Procul hinc *Certus.* Psa. 120. 8 Ps. 67. 11 Apoc. 14. 13. Matt. 24 42.

Deut. 32. 29. hinc aula prophana, *Gens absque consilio est, utinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent*. Bellus exitus vitæ totam honorat vitam.

X. Honores. Tiberius in primo aditu imperij, ut libr. 1. Annal. refert Tacitus, variè differuit de magnitudine impositi sibi oneris, *sua modestia* concludens *solam Diui Augusti mentem tantæ molis capacem: se in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didicisse, quam arduum, quam subiectum fortunæ regendi cuncta onus: proinde in civitate tot illustribus viris subnixa, non ad unum omnia deferrent, plures facilius munia Reipub. sociatis laboribus executuros. Plus in oratione tali dignitatis, quam fidei erat.* Tunc Asinius Gallus interrogavit, quam partem Reipublicæ demandari sibi vellet, cuius rogatu totus perculsus Tiberius fuit. Laborant aulici hoc vitio ac morbo Tiberiano, præcipuè antiqui & veterani, ut impares se oneribus pro sua modestia dictirent, & recipere se velle domum, ut privatam vitam agant, aut si debeant remanere à tanto onere, saltem ex parte absolvi se velle jactitent. Credat qui velit, nec enim hujuscemodi aulicis maior debetur fides, quam Tiberio, vel etiam seni, qui est in fabula, Senex & mors. *Senex quondam incisis in monte lignis, ac in humeros elevatis, ubi multam viam oneratus iuit, defessus deposuit ligna, & mortem, ut veniret, invocabat. At morte illicò astante, & causam rogante, quare se vocasset, Senex ait, ut onus hoc sublatum imponeres humeris.* Credendnm æquè aulicis est, cum dicunt se velle esse defunctos officio, ac si dicerent velle se privatos esse vitæ mortalis beneficio.

Onera. Non amant imperium, sed obsequium, qui habitant in aula Sapientiæ, æmuli sui Principis, qui *non venit ministrari, sed ministrare*, & adhuc ministrat in Eucharistia. (Matt. 20. 82.) Quapropter cum aulici, cum dignitatibus augentur, non tam honoribus gaudent, quam sub honoribus gemunt. Gemebat sub onere regio qui dicebat: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* (Psa. 129. 5) Gemebat sub onere Apostolatus, qui exclamabat; *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* (Rom. 7. 24.) Inclamabat mortem Martinus gravatus onere Episcopatus, & ne subterfugere laborem videretur, astante iam sibi morte, dixit Deo, *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*. Sed qui dixit; *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, (Matth. 11 18.) refecit Martinum liberum ab onere & labore. Sanctis viris eadem debetur fides, cum aiunt velle se vita & honore privari, utrumque enim illis est onus, quod lassi deponunt in via, sacro refecti viatico. Et quidem Christus, cum illud instituit vicinus iam morti spontaneæ ac voluntariæ, in qua non vitam solum, sed etiam officijs humanis se libens & volens abdicavit, exemplo suo edocuit Apostolos, quàm prompti esse deberent ad hoc, ut onera mortalia deponerent, cum Deo placeret.

AN-

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharisticæ cum aula prophana.

ANiles nugas aula sæpe amat, & habet, presertim sub Principe sepe non dissimili Metello, quem exercitus apud Plutarchum *anum* vocavit. Princeps qui non benè videt, nec considerat, quid domi fiat, & quomodo spolietur bonis ab ijs, qui jactant se curatores regni esse, cũ sint predatores & raptores. Si quando aperiat oculos Rex, advertet de se fabulam narrari; *Mulier anus dolens oculos, conduxit medicum quendam mercede, conventione facta, si se curaret pactam mercedem ei daturam: sin autem minimè, nihil daturam. Aggressus est igitur medicus cūram: quotidie verò accedens ad vetulam, & oculos ei ungens, cum illa nequaquam videre posset ea hora ob unctionem, ipse vas aliquod ex domo auferens, quotidie discedebat. Anus igitur suam supellectilem videbat singulis diebus minui, adeo ut tandem sanatæ nihil relinqueretur.* Non curabat medicus vetulam, sed eius bona, quibus illam spoliabat, nec curant illi Principẽ, qui regias eius facultates furto capiunt. I. *Defectus visus.* *Anus & medicus.*

Nec visu nec oculis laborat Princeps, cuius est aula Sapientiæ, totus oculatus est, omnia videt, omnia considerat, *Quis sicut Dominus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra?* Benè videt omnes, qui ingrediuntur in aulam, & accedunt ad aram. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Caveat ne superveniat Rex, dicatque sumenti indignè; *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Sumenti indignè non debetur Eucharistia, & qui indignè ceperit illam, furto accipit, reus corporis & sanguinis Domini, qui videt omnia. *Perspicacitas.* Psa. 112. 5. 1. Cor. 11. 28. Matt. 21. 12.

Cato rogatus quis esset agricolæ quæstus? respondit, *Arare & benè vertere.* Nec dubium quin thesaurus ex labore hominibus fit. *Agricola quidam vita excessurus, ac volens suos filios periculum facere de agricultura, vocatis ipsis ait, Filij mei ego iam e vita discedo, vos autẽ, si quæ in vinea a me occultata sunt, quæsieritis, invenietis omnia. Illi igitur rati thesaurum illic defossum esse, omnẽ vineæ terrã post interitum patris defoderunt, & thesaurum quidem non invenerunt, sed vinea pulchrè multiplicem fructum reddidit:* Cum susque deque potentes invertunt aulam regiã, suũ quæstum ac lucrum quęrunt. More rusticorum agunt, ac proinde non mirum est, si invertẽtes omnes & omnia inurbanè procedant. II. *Inuersio rerum.* *Agricola & filij.*

Nyssenus agens de vita Moysis, inquit, de pane cęlesti; *Hunc corporis panem non aratio, non satio, non agricolarum opus efficit. virgo intacta permansit, & tamen pane plena fuit. Famescentes mysterium Virginis hoc pane facile saturantur.* Hic quæstus aulæ Sapientię, quo ut aliquis fruatur, non opus habet, ut more rustico terram vertat, & illam invertat, sed communicet, & sciet, quomodo *sub diversis speciebus, signis tantùm, & non rebus, latent res eximiæ.* Mirabilis hic thesaurus est pauperes ditans, dites depauperans. *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* *Retentio.* Luc. 1. 53.

Cum exoritur in aula tempestas, nemo est, qui alteri fidat, & quidem meritò, cum pro more suo suis etiam non parcant benefactoribus aulici, unde fit, ut tunc maximè ab illis cavendum sit. *Vir quidam à tempestate in suo suburbio deprehensus primùm oves comedit, dein capras. Tempestate autem invales-* III. *Malum causa mali.*

Herus et canes. *valescente, & operarios boves iugulatos comedit. Canes verò his visis dixerunt inter se. Sed fugiamus nos hinc: Si enim operarijs bobus herus noster non abstinet, quomodo nobis abstinebit.* Timeant, qui benè faciunt, qui verò malè, ne in aula metuant, ubi boves mactantur, canes servantur.

Malum causa boni Magna sacræ passionis tempestas, *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Tunc temporis *non sibi placuit* Christus, ut placeret suis, *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Tunc bonus pastor dedit animam pro ovibus suis, non illas Christus comedit, edendum se illis tradidit, sed non canibus, *Verè panis filiorum, non mittendus canibus*, qui alienam famem non curant, sed suam, qui latrant in pauperes advenientes, eosque cędunt, & offendunt.

Psa. 68. 3. Ioa. 13. 1.

IV. *Abusus beneficiorum.* Cum præ omnibus aulicus præfertur, ditatur & nimis honoratur, licet dicere infortunitatis, quod est apud Iuuenalem Satyr 13.

Tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infœlicibus ovis.

Mulier et gallina. Contingit autem, ut nimis honoratus oneratusque beneficijs inutilis omnino reddatur. *Mulier quædam vidua gallinam habebat, singulis diebus ouum sibi parientem: rata vero si plus gallinæ hordei proijceret, bis parituram die, hoc fecit, Sed gallina pinguifacta, nec semel quidem die parere potuit.* Errant qui putant, quod si ad pinguiorem fortunam veniant, servient melius.

Usus. Psa. 62. 6. Quos alit aula Sapientię, pingues reddit, ut pro divinis obsequijs fiant promptiores & utiliores, iu quem finem dicebat olim David; *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Et quidem *pinguis est panis Christi, & præbebit delicias regibus.* Nec tamen populus Christianus similis illi alteri est, de quo Moyses. *Incrassatus est dilectus, impinguatus. dilatatus recalcitravit.* Quid inde? euenit, quod prædicitur ab Isaia ca. 17. *Attenuabitur gloria Iacob, & pinguedo carnis marcescet*: ut quos Sion non fecit crassa proventus, ferat macilenta.

Deut. 32. 15.

V. *Nequam tractus.* Seneca li. 2. de Ira; *Notissima vox est eius, qui in cultu Regum consenuerat, cum illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset senectutem, iniurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo.* Hoc est illud remedium, quod suasit in fabula medicus, si non aulicus, saltem aulicè. *Morsus à cane quidam medicaturum circuibat quærens, cum autem occurrisset quidam ei, & cognosceret, quod quærebat; Heus tu, ait, si sanari vis, accipe panem, atque eo sanguinem vulneris sicca, & ei, qui momordit, cani ad edendum da.* Et si per dolum panem dedit Absalon natu maiori fratri, a quo fuerat morsus & læsus.

Morsus a cane.

Bonus tractus. Ab arce & aula Sapientiæ exulat omnis iniuria, & in domo Christi Regis multi consenuerunt, nec iniurias acceperunt, sed continua beneficia, pro quibus gratias agendo vixerunt, & communicarunt. Differt panis a pane, aulicus ab Eucharistico, aulicus canibus datur: Eucharisticus illis negatur; *Verè panis filiorum, non mittendus canibus*: canibus Iudæorum, qui dentes Christo infixerunt, & grauiter eum læserunt, & offenderunt.

VI. *Dissimulatio cum arte.* Magnæ artis opus non est, quod summum aulici putant, ita loqui, ut apertè non mentiaris, sed agas æquivocè occultando veritatem. Hæc ars Naburzadam principi coquorum nota, quæ novit carnes parare, & ita condire pisces, ut esse aliud videantur, quam sint. Et quidem in culina *duo adolescentuli iuxta cocum assidebant, & coco in aliquo domestico opere occupato, alter horum partem quandam carnium subreptam in alterius demisit sinum. Converso autem coco, & carnem quærente, qui abstulerat iurabat non habere, qui autem habebat, non abstulisse. Cocus verò, cognita malicia ipsorum, ait. Sed & si me latueritis, peieratum Deum non latebitis.*

Hoc

Hoc est opus magnæ artis, quod fit in aula Sapientiæ, ut possit affirmare Christus, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, nec appareat caro & sanguis, sed panis, nec tamen in hoc Sacramento ullum habeat æquivocatio locum, cum caro sit verus panis, & panis verè caro, vinum sit verè sanguis, & sanguis mysticum vinum. Quod si id non assequaris, crede & id assequêris; *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.* Nulla est æquivocatio in dicente, *Caro verè est cibus*, nec est in verè credente, *etsi sensus deficit.* *Sine arte.* *Ioa. 6.56.*

Rogatus Thales apud Maximum, quemadmodum quis calamitatem suam ferre posset, non tam philosophicè, quam aulicê respondit, *Si hostes videat in maiori versari miseria.* Redacti ad miseriam aulici solantur se, si noverint hostes suos in eodem malo præire, atque perire. *Duo quidam inter se inimici, in eadem navi navigabant, quorum alter in puppi, alter in prora sedebat. Tempestate autem superveniente, & nave iam submergenda, qui erat in puppi, gubernatorem rogabat, utra pars nauigij prius obruenda esset. Cumque ille proram dixisset. Sed mihi non est grave, ait, mori, si visurus sum ante me inimicum morientem.* Hæc humana conditio est, communis mundanis omnibus, ut priusquam ipsi moriantur, hostes & inimicos suos mori velint, & cum hoc voluisset Herodes, mandavit vxori, ut statim post suam mortem nobiles occideret aulicos, ut essent, qui in ipsius morte lugerent. VII. *Odium inimicorum.* *Inimici.*

Princeps huius aulæ pro inimicis mortuus est, & omnibus præcepit aulicis, ut suos inimicos diligerent. Semel in cruce pro inimicis immolatus est, sed semper offertur *in remissionem peccatorum*, consecratus in altari. Nobilis princeps, qui mori maluit ante malum etiam latronem, ne inimicum prævideret morientem. Cum hostes suos Saulem & Absalonem mortuos ante se David lugeret; in se Christum referebat, & illum imitabatur. Et quidem Stephanus protomartyr omnium martyrum, primus, inter Apostolos martyr Iacobus maior, & Iacobus minor inter Episcopos morientes pro inimicis rogarunt, ut in æternum viverent. *Inimicorum amor.*

Sunt in aula venatores, & venantur instar felis, modò per insidias, modò per simulationem. Captant omnem occasionem rapiendi bona, quæ possunt, & cum rapere non queant, simulant se mori præ fame, ut dona regalia obtineant. Nuper erat in extremis vir apud Regem magnus, qui & magna habebat stipendia, & cum ex aula rogatus esset, qui valeret, respondit, se mori, & quidem præ fame; nec credidit aula; *Felis, cum non amplius mures descenderent, statuit apud se per astutiam eos decipiens evocare. Ceterum cum pessulum quendam conscendisset, de eo se suspendit, & mortuam simulabat. Ex muribus autem quidam acclinatus, visoque eo ait; Heus tu & si saccus fieres, non te adibo,* Qui similia fingunt & simulant, id prætendunt, ut fiant saccus pecuniarum. Hic actus felium est, hæc vulpium astutia. Apud Sanctum Cyrillum libr. 1. Apologor. capitulo 6. vulpes simulavit se mortuam, ut caperet coruum, sed non potuit. VIII. *Paupertas affectata.* *Felis et mures.*

Nec mures, qui rodant, nec feles qui rapiant, aula Sapientiæ habet. Qui rodunt aliorum famam, procul ab aula Sapientiæ, ubi nemini detrahere licet. Qui rapiunt aliena, exulant ab hac aula, ubi prohibetur furari, & unusquisque monetur, ut de suo proximis benefaciat. *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus:* Deus *Amata.* Heb. 13.16

Luc. 10. 4 non amat pauperes fictos, sed veros, quibus propterea iubet: *Nolite portare sacculum, neque peram.*

IX. *Dedecus virtutis.* Apud Laert. libr. 6. ridet & irridet Diogenes vilem & ignauum hominem tectum exuuio leonis: *Non tu desines*, inquit. *virtutis stragulas pudefacere?* Non minus turpe est, privatum hominem velle sibi regnum usurpare, & pudefacere regia insignia maiestatis. Malè cessit simio, quod Rex vellet esse animalium, cecidit in cassidem, & ut narrat fabula, post casum *Vulpes et simius.* irridens eum vulpes dicebat; *O simie, cum talem tu habeas dementiam, imperium in bruta tenebis?* Qualis simius, talis & gratiosus Seianus, de quo Iuuenal. Satyr. 10.

Nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior eßet
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.

Honor. Psa. 83. 8. Ps. 94. 6. Nemo in aula Sapientiæ pudefacit stragulas virtutis, nec insignia maiestatis, illam profitentur omnes, *ibunt de virtute in virtutem*: hanc reverentur omnes, omnes se mutuò excitant ac cohortantur. *Venite, adoremus, & procidamus ante Deum.* Nemo hîc affectat imperium, ut cadat, sed præstat obsequium, ut sursum ascendat instar Eliæ, qui post esum panis Angelici non substitit, donec ad montem Dei Horeb sublimem sibi faceret ascensionem. Psa. 83. 6. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.*

X. *Contentio* Cum sunt res turbatę in aula, quę exorta fuerit rixa, rixantibus famulis periculosa & exitiosa esse solet, Solent ex aula dimitti, & extra illam perire. *Thunnus, Delphino persequente, magno impetu ferebatur. Cum capiendus* *Thunnus et Delphin* *eßet, inscius ob vehementem impetũ decidit in insulam quandam. Ab eodem vero impetu & Delphin cum eo eiectus est. Thunnus autem conversus, cum agentem animam delphinum vidisset, ait: Non amplius mihi mors molesta est, cum videam, qui mihi causa fuit ipsius, vnà mecum perire.* Sic aulicus Testamenes in morte Critiæ, qui iusserat dari illi venenum, solari se volebat. Postquam iam illud ebiberat, poculum illisit in solo, ut clarum sonum ederet, credensque servo publico inquit: *Critiæ propino, vide igitur, ut hoc poculum continuò ad illum perferas.*

Consensio. Luc. 22. 40. Procul ab aula Sapientiæ inter famulos contentio, quam vel in ipsa nocte cænæ Apostoli inter se habuerunt; *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* Repressit illam Christus statim, & extinxit, utpote noxiam & exitiosam ijs, qui de mutuis bonis & non reciprocis malis gaudere deberent, & si opus esset, proprię vitæ, & sanguinis pretio emere vitam sociorum tenerentur. Hoc erat sanctis solatio posse non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis mori, pro quorum vita ac salute Christus calicem consecravit, & simul propinavit, de hoc mundo ad Patrem transiturus, & adhûc etiam propinat per manus sacerdotum, quoties sacrum fit, & celebratur in altari.

AN-

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharisticæ cum aula prophana.

SErò *sapiunt Phryges*, serò & aulici sapiunt. Cum Nero sibi manus iniecisset, & gravi se vulnere affecisset, accurrit Centurio, ut saluti Imperatoris prospiceret, cui Nero, *Iam est serò. Hæc est fides*. Hæc mehercule est fides aulica, ut damnis, quæ timeri possunt, non statim accurrat, sed post casum & ruinam miserorum aulicorum adveniat, & moneat quid facere debuissent, ne corruerent. Serò medicina paratur. *Medicus ægrotum curabat; ægroto autem mortuo, ille efferentibus dicebat, Homo hic si vino abstinuisset, & clysteribus usus fuisset, non interijsset. Quidam autem ex eis, qui aderant, respondens ait; Optimè, non oportebat te hæc nunc dicere, cum nulla utilitas est, sed eum admonere, cum his uti poterat.* Cum quis amandatur ab aula, depositus ab officio, qualis censeri debeat, scribit in Epist. Cassiodorus: *Similis est mortuo, qui a suo dominante nescitur, nec sub aliquo honore vivit.* Tunc serò malis occurritur.

I. **Medicina importuna.**

Medicus & ægrotans.

Non est sera monitio, quæ est perpetua, & perpetuò quis in aula Sapientiæ monetur, *Qui stat videat, ne cadat:* rogatur. *Quis est homo, qui vult vitam, & diligit dies habere bonos?* & simul respondetur. *Prohibeat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum.* Non serò paratur medicina, quæ parata semper est in Sacramentis, & semper exposita in venerabili Eucharistia, quæ cor hominis confirmat, & ab omni infirmitate liberat. Hoc remedium Christus prævenit, cum illud publicavit ac promulgavit, instituit ante mortem, & ante mortem dandum iniunxit, & præscripsit.

Tempestiva. 1. Cor. 10 21. Psa. 33. 14

Experto credo Boetio libr. 3. Prof. 5. cum de sublimi potentia, quam viderat & habuerat ipse in aula Theodorici Regis, inquit; *Quæ est igitur hæc potestas, quam sollicitudinum morsus expellunt, quæ formidinum aculeos vitare nequit? Atque vellent ipsi vixisse securi, sed nesciunt.* Latet quippe anguis in herba, ut mordeat venatores, qui potentiam & gratiam aucupari in aula solent. *Auceps visco accepto, & arundinibus aucupatum exijt; viso autem turdo super alta arbore sedente, & arundinibus inter se in longitudinem coniunctis sursum eum comprehensurus suspiciebat. Cæterum ignarus viperam dormientem conculcavit. Cum vero irata momordisset ipsum, ille iam animam agens dicebat; Me miserum! alium ego capturus, ipse ab alio captus sum ad mortem.*

II. **Potentia mala.**

Quæ est potentia in aula Sapientiæ, cum humana non sit, sed divina, non subiacet serpenti, aut viperæ, quæ mordeat & veneno inficiat. Hac præditus potentia dicit Paulus, *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Qui potens in Deo est, non habet ille, cur metuat, *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me:* Subiungit, *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Capitur ille a Christo, vicissim capit & ipse Chri-

Potentia bona. Phil. 4. 13. Ps. 22. 6. Io. 6. 60.

stum non ad mortem, sed ad vitam. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

III. *Ingratitudo.* Alphonsus Aragoniæ Rex, ut refert Panormitanus libr. 1. cum e Sicilia navigaret, videretque garras aves triremem circumvolantes, & bolos proiectos à navigantibus statim arripientes & avolantes, ostendens digito euolantes aves dixit, *Persimiles sunt his garris aulici aliquot mei, qui simul atque concertantes beneficium a me accipiunt, statim a me fugiunt.* Conveniunt cum Æsopico cane. *Canis & cocus.* *Canis irrumpens in culinam, & coco occupato, corde arrepto fugit. At cocus conversus, ut vidit ipsum fugientem inquit, Heus tu, scito ubi ubi fueris, me observaturum, non enim mihi cor abstulisti, sed dedisti potius.* Sunt parvi & magni canes, sunt parvi homines & etiam Principes, qui accepto beneficio aufugiunt; optandum est, ne cor auferant, & solum sint garris similes.

Gratitudo Dissimiles prorsus aulici Sapientiæ sunt, qui acceptis donis ac beneficijs magis adhærent benefactori Deo, qui & dicit, *In funiculis Adam* Oseæ. 11. 4 *traham eos, in vinculis charitatis.* Funiculis & vinculis beneficentiæ tra-Psa. 72. 28 ctus ait David, *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Cum verò summum beneficium sit, quod Christus confert in Eucharistia, quisquis illud accipit, non agere potest fugam, cum dixerit Christus ipse, *Qui mandu-*Io. 6. 57. *cat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.* Hic est, qui dicere potest cum Paulo, *Vivo ego iam non ego, vivit verò in me* Gal. 2. 20. *Christus.*

IV. *Dona inidonea.* Apud Plutarchum in Apotegma. Regum Antigonus Trasillo Cynico petenti drachmam, *Non est*, ait, *munus regium*, Cynico subijciente, *Talentum igitur da*, respondit Rex, *Non est Cynicum tale munus accipere.* Cum nec pro sua parvitate munusculum, nec pro regia magnificentia aulicus habet donum, Cynice cum eo agitur, & aulicè illuditur, similis factus lupo, qui prius tenui & pingui postea cane caren peribat *Canis & lupus.* fame. *Canis ante stabulum quoddam dormiebat, cumque lupus irrupisset, & devoraturus eum esset, rogabat ne tunc se mactaret. Nunc enim, inquit, tenuis sum, & macilentus: si autem parumper expectaveris, mei domini facturi sunt nuptias, & ego tunc multa depastus pinguior ero, & tibi suavior cibus fiam. Lupus igitur persuasus abijt. Post aliquot dies reversus invenit superius super domus tecto canem dormientem, & stans inferius ad se vocabat, admonens eum fæderis: & canis. At, lupe, si post hac ante stabulum me videris dormientem, non amplius expectes nuptias.*

Dona idonea. Celebrantur in aula Sapientiæ solennes nuptiæ Eucharistiæ, nec est, quod inde sperent aliquid canes & lupi. Arceantur inde canes, *Verè panis filiorum, non mittendus canibus.* Arceantur & lupi, Audi Chrysostom. Homilia 83. in Matth. *Sanctis carnibus suis nos dedit impleri, semetipsum apposuit immolatum. Quanam igitur erit nobis excusatio; cum talibus pasti, talia peccemus, cum lupi fiamus agnum comedentes?* Lupus rapax Iudas erat, & idcirco concludit Chrysostomus, *Nullus itaque Iudas hanc mensam petat:* hanc nimirum mensam, in qua Christus, *se dat spiritus pinguedinem*, & quidem regaliter atque magnifice: *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus.* Nec negat pauperi hoc tam magnificum munus, sed donat, *O res mirabilis, manducat Dominum pauper servus & humilis.* Procul hinc canes, procul a sacris nuptijs agni Sacramentalis lupi rapaces.

Qui

Qui sint in palatio canes declarat Boetius libr. 1. Pros. 4. *Paulum*, inquit, *consularem virum, cuius opes palatini canes iam spe atque ambitione devoraverant, ab ipsis hiantium faucibus retraxi.* Accedit S. Thom. in Commentarijs. *Nota quod familiares Regis, qui præsidebant in palatio, vocabantur canes palatini, sicut enim canes habent ora hiantia ad cupidas escas, sic isti hiabant ad diripiendas facultates pauperum Romanorum.* Si quando huiuscemodi canes dormiant & excitentur, excitatores suos vorare solent. *Canis & gallus inita societate iter faciebant, vespera autem superveniente gallus conscensa arbore dormiebat: at canis ad radicem arboris excavatæ. Cum gallus, ut assolet, noctu cantasset, vulpes ut audivit, accurrit, & stans inferius, ut ad se descenderet, rogabat, quod cuperet adeò egregio cantu animal complecti? Cum autem is dixisset, ut ianitorem prius excitaret ad radicem dormientem, ut cum ille aperuisset descenderet, & illa currente, ut ipsum vocaret, canis statim prosiliens eam dilaceravit.* Sub canicula mundus laborat, & sub canibus palatinis malè regnum habet, laborat Respublica. V. *Fames accensa.* *Canis et gallus.*

Curia Sapientiæ palatinos canes non habet, qui prædæ pauperum inhient: quinimmo adest in illa Deus, qui liberavit *pauperem à potente* hiante ore, ut eum diriperet, ac voraret. Nec solum ex hiantium faucibus retrahit, sed alit egenos homines, & canes palatinos depauperat, *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Canis inferni prædæ inhiat, cum extremè homo laborat, accurrit tunc Christus per modum viatici datus & prædam aufert: *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ.* *Extincta.* Psa. 71. 12 Luc. 1. 53. Amos. 3. 12.

Constantinus Imperator, ut refert Nicephor. lib. 8. ca. 40. vocavit ad se Magnum Antonium, excusavit Abbas se, dixitque domesticis suis: *Si ad Imperatorem venero, Antonius ero, sin minus, Abbas Antonius.* Solent Principes & Reges ex auditu & relatione probos & Doctos viros æstimare, sed eos parvi pendere, cum aulam accedunt, & familiarius corám agunt. *Leo audita aliquando rana valdè clamante, vertit se ad vocem, ratus magnum aliquod animal esse; parum per autem expectando, vt vidit illam stagno egressam, accedens propius conculcavit.* VI. *Nimia sonantia.* *Leo et rana.*

Similes huic ranæ homines, qui solum sonant & tonant & *perit memoria eorum cum sonitu.* Qui sunt in aula Sapientiæ silent, cum scriptum esse sciant; *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* Qui novit se continere, non patietur detrimentum, sed sibi comparabit augmentum: *Sedebit solitarius, & tacebit, & leuabit se super se.* Huic similem Deus Augustinum esse volebat, cum eum moneret, *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me.* Nec periculum est, quod familiaritas ista hominem deprimat: immo extollit & effert, *Sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Cibus non datur, ut quis decrescat, sed ut crescat, & frequens eius vsus non minuit, sed auget hominem. *Parum sonantia.* Ps. 9. 8. Isai. 30. 15 Thren. 3. 28. Ioa. 6. 58.

Eumenius Rex, ut refert in Milissa Antonius crebró dicere fratribus suis solebat; *Si ut me Rege usi fueritis, vobis tamquam fratribus gratificabor: si autem tamquam fratre, ego vobis ut Rex.* Agere ex æquo cum Principe, etiam fratribus, periculosum est. Certa hæc ad exitium via semper fuit. *Leo & asinus & vulpes, inita sotietate, egressi sunt ad venandum. Multa igitur præda capta iussit leo asino, ut divideret sibi. At ille tribus partibus factis æqualiter, ut eligerent eos, hortabatur. Et Leo ira percitus asinum devoravit. Inde vulpi, ut divideret, iussit. Illa autem in unam partem omnibus* VII. *Ex æquo cum maiori agitur.* *Leo asinus, et vulpes.*

congestis sibi minimum quiddam reliquit. Tunc leo ipsi. Quis te, ô optima, dividere sic docuit. Ea inquit asini calamitas.

Non cum Deo ita agendum. Psa. 64. 6. Psa. 28. 9. Act. 22. 22. Isai. 14. 14.

Palatium Sapientiæ templum est, de quo David, *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Hæc exigit, ut nihil sibi assumat homo, sed totum ascribat Deo; *In templo eius omnes dicent gloriam.* Unde cum Petrus & Ioannes ad portam speciosam templi claudum sanassent Act. cap. 3. & stupentes ad eos recurrerent, nihil sibi attribuens Petrus, inquit, *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare!* Longè alius Herodes erat, cui applaudens populus; *Voces Dei & non hominis*, divinamque acceptavit gloriam, & *consumptus vermibus expiravit.* Procul hinc qui dixit olim, *Similis ero Altissimo*, ideoque à cœlesti aula expulsus est. Quamvis non ex æquo & pari homo agere cum Deo nec debeat, nec possit, Deus autem ex pari & æquo cum homine, egit; cum factus est homo.

VIII. *Irritus labor. Leo et vrsus.*

Magna hęc miseria est, ut neutra pars litigantium ac concertantium rem, pro qua concertatur, obtineat, sæpe contingit in aula, ut post multas contentiones tertius alius superveniat, qui officium ac beneficium rapiat. *Leo & vrsus simul magnum nacti hinnulum, de eo pugnabant. Grauiter igitur ab ipsis affecti, ut ex multa pugna etiam vertigine corriperentur, defatigati iacebant. Vulpes autem circum circa eundo, ubi prostratos eos vidit, & hinnulum in medio iacentem, hunc per medios utrosque percurrens rapuit, fugiensque abijt. At illi videbant quidem ipsam, sed quia non poterant surgere, Nos miseros, dicebant, quod vulpi laboravimus.* Dum se mutuò impetunt aulici, excipiuntque se mutuò pro obtinenda dignitate, alius obtinet, cui suis litibus & dessensionibus profuerunt.

Proficuus labor. Ioa. 4. 38.

Cum dixerit Christus, *Alij laboraverunt, & vos in labores eorum introistis*, posset quis existimare in aula Sapientiæ laborantes suo defraudari præmio, non operantes furari. Laborarunt olim Patriarchæ & Prophetæ non sibi solis, sed etiam Apostolis, qui hæredes ipsorum fuerunt, nos verò Apostolorum, quorum operantiũ ac promerentium, iure hęreditario laboribus utimur pariter ac fruimur, sicut & passionibus Christi in Eucharistia, nec tamen quęritur quod passus sit, sed gaudet, quod crux & mors sua proficiant sine acceptatione & sine exceptione ulla personarum. Christus fatigatus ex itinere gaudet, ut eius bonis fruatur Samaritana, & in cruce passus & lassus lætatur, ut in sacra hostia labores eius comedamus.

IX. *Incuria sui.*

Apud Maxim. Sermon. 21. rogatus Dæmonax an mundus esset animatus & globosus respondit; *Vos de mundo solliciti estis, & vestram ipsarum immunditiem non curatis.* Hæc est conditio aulicorum agere sæpe de his, quæ in mundo aguntur vel agenda sint, quid vero fiat domi, prorsus ignorare, nec curare, donec omnium rerum suarum iacturam egerint.

Vates. *Vates in foro sedens disserebat: cum autem supervenisset quidam derepentè, & renuntiasset, quod domus ipsius fenestræ apertæ omnes essent, & quæ intus erant ablata omnia, exilivit suspirans & cursim ibat. At cum vidisset ipsum currientem; Heus tu, inquit, qui alienas res præscire profiteris, tuas ipsius non prævacinabare?* Heus tu, Aulice, prudens & prævidens futura in Republica, cur non provides rebus domesticis, ne pereant & pereas?

Cura sui. Matth. 5. 19. 1. Thesal. 4. 11.

Magnates habet aula Sapientiæ, qui primum benè operando sibi consulunt, & deinde benê docendo alios instruunt, *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Cura imprimis propriâ demandatur, *Negotium vestrum agatis*, imprimis propriæ domus gubernatio recta consideratur,

ratur, ut qualis esse debeat. Prælatus dignoscatur. *Qui enim domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit.* Qui victum & amictum malè domi dispensat, qui potest fieri, ut benè fidelibus Christi sacra distribuat Sacramenta? *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus, super familiam suam ut det illis in tempore tritici mensuram.* — 1. Timot. 3.5. Luc. 12. 24.

Rogatus Theophrastus apud Stob. Serm. 41. Quid nam vitam tutaretur & conservaret, respondit. *Beneficentia;* Respondet dicto Philosophi fabula. *Formica sitiens descendit in fontem, ac tracta a fluxu suffocabatur. Columba verò hoc viso ramum arboris decerptum in fontem proiecit, super quo sedendo formica euasit. Anceps autem quidam post hoc calamis compositis ad columbam comprehendendam ibat. Hoc autem viso formica aucupis pedem momordit; qui dolens & calamos proiecit, & ut columba statim fugeret, auctor fuit.* Hic auceps est, qui paruulis insidiatur, & dum parui se conjungunt ac sibi invicem benefaciunt, a parvo magnus lęsus se retrahens socium relinquit illęsum, cui malum machinabatur. — X. *Beneficentia. Formica et columba.*

Nullibi certius & melius vita per beneficentiam servatur, quam in Sapientiæ aula, ubi regnat auctor uitę, qui dicit de se. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Hic dat *vitam, inspirationem & omnia.* Hic consecratus ait, *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Accepit a nobis vitam, & nostram ille ipse tutatur ac servat. Ille *liberabit me a laqueo venantium:* ille, qui dicit de se, *Ego sum vermis & non homo,* ut & dicere possim, *Non moriar, sed vivam & enarrabo opera Domini.* Vita in fuga est, *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Fugit aucupem columba, & non capitur. — *Beneficentia prodest.* Io. 10. 10. Act. 17. 25 Ioan. 6. 58 Psa. 90. 3. Ps. 21. 7. Ps. 117. 17. Ps. 54. 7.

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharisticæ cum aula prophana.

Magna maris tempestas est, sed maior aulæ, & minus effugium ab aula, quam ab ipso mari est. *Nero,* ut ait Boet. libr. 3. Prof. 5. *Senecam familiarem præceptoremque suum ad eligendæ mortis coegit arbitrium. Papinianum, dum inter aliquos potentem militum gladijs Antonius obiecit, atque vterque potentiæ suæ renuntiare voluerunt, quorum Seneca opes suas tradere Neroni, seque in otium conferre conatus est. Sed dum ruituros moles ipsa trahit, neuter quod voluit, effecit. Quæ est igitur ista potentia, quam pertimescunt habentes, quam cum neque habere velis, tutus sis, & cum deponere cupias, visare non possis?* Nec quidem ipse Boetius vitare potuit, cum voluit. Qualis aulæ tempestas? maior, quam quæ est in fabula, *Vespertilio & rubus, & mergus inite societate mercatoriam decreverunt vitam agere. Itaque vespertilio argentum mutuata deposuit in medium, rubus vestem suum accepit, mergus tertius æs, & enauigarunt. Tempestate autem vehemente oborta, & navi eversa, omnibus perditis, ipsi in teraam euaserunt.* Non evasissent ex aulica tempestate, & si, more aulico *mergus littoribus semper assidet, num quopiam æs iaciat mare:* & eiectus ex aula nequit ab ea dimoveri expectans meliorem fortunam. *Vespertilio verò creditores timens interdiu non apparet, sed noctu ad pabulum exit:* Oberatus quoque aulicus comparere non audet. *Rubus præterean-* — I. *Certa tempestas.* *Vespertilio et rubus et mergus.*

tereuntium vesti inhæret quærens sicubi suam cognoscat: aulicus etiam expulsus prensat vestes aliorum, vt possit in pristinum suum statum revocari. Apud S. Cyrillum lib. 3. Apologor. ca. 6. Pavonem pennis aureis undique spoliatum cum coruus aspiceret deridens pomposum & olim divitem dixit inter alia, *Gaude si prudens es, quod hostiles opes amiseris, nec eas ultro appetas, sed opulentum iudices te, si illis careas. Quibus eruditum ditavit depaupertatum Magister.*

Certa trãquillitas. Tranquilla aula Sapientiæ, a tempestate secura, & libera ab omni naufragio. Exercetur in ea mercatura cęlestis, cum regnum cęlorum venale sit. Negociantur in vestibus pauperum Laurentius & Martinus, in auro & argento Matthæus & Zacchæus, in ære Euangelica mulier, quæ minutam pecuniolã misit in gazophylacium, & omnibus benè cessit, cuius boni successus mercatoribus datur in pignus venerabile Sacramentum, *mens impletur gratia, & futuræ nobis gloriæ pignus datur*, Pessimus mercator Iudas, qui non in hac aula, sed in curia Annæ & Caiphæ negociari voluit, & omnia perdidit.

II. *Præ bonis perire* Antisthenes apud Stobęum Sermon. 12 hoc esse ingenium meretricum asserebat, ut præter mentem, & prudentiam omnia bona & fausta suis amatoribus precarentur. Hoc ipsum ingenium adulatorum est, ut mentem & prudentiam adesse Principi nolint, ne attendat, nec videat dolos, quibus persuadere Principi conantur bono esse loco omnia, quæ ad Reipublicæ statum pertinent. Quod si interim Rex pereat, dum aulici bona omnia ominantur, accidit quod est in fabula, *Ægrotus quidam a medico rogatus quomodo valuisset. Plus, inquit, quam oporteret, sudasse, illi ait, bonum hoc esse. Secundò verò ab ipso iterum rogatus, quomodo habuisset, horrore correptum, ait, valdè concussum esse, & ille & hoc rursus bonum esse ait. Tertiò rursum rogatus quomodo valuisset, ait, in intercutem incidisse. Ille & rursus hoc bonum esse ait. Indè ex domesticis quodam ipso rogante. Vt habes? Ego, ait, heus tu, præ bonis pereo.*

Ægrotus et medicus.

Præ bonis stare. Omnes in hac aula sapiunt, omnes sunt prudentes & sapientes, si quę sunt stultæ virgines, ad hanc non pertinent aulam, & cum rogant, ut sibi aditus fiat; *Domine Domine aperi nobis*, respondit Princeps. *Nescio vos.* Qui nescit virgines fatuas, novit prudentes, quæ bono suo servantur, sicut imprudentes malo suo condemnantur. Nemo est, qui dicat in hac domo *bonum malum, & malum bonum:* nemo qui vertat *dulce in amarum*, nemo qui pereat bonis, si bonus sit, ille solus perit bonis, qui malè utitur bonis Eucharistiæ.

Matt. 25. 11.

Isai. 5. 20.

III. *Cupiditatis iactura* Apud Maximum Sermon. 12. Plato philosophus aulicum quendam monuit; *O improbe, ne possessioni augendæ studeas, sed minuendæ cupiditati.* Cupiditatem minuit, qui sua sorte contentus est, augendæ verò possessioni studet, qui per fraudes & dolos plus sibi deberi quam mereatur, coram principe agit. Lignator quidam iuxta fluuium suam amisit securim. Inops igitur consilij iuxta ripam sedens plorabat. Mercurius autem intellecta causa, & miseratus hominem modò auream, modò argenteam se curim ex fluuio extraxit, & rogabat, utra esset perdita securis, neutram ille respondit, sed esse ligneam, quam Mercurius extra ctam restituit, & miratus æquitatem lignatoris, alias duas superaddidit. Profectus ille narravit socijs, quid sibi accidisset. Non defuit, qui augere suam possessionem vellet, & eo animo venit ad enndem fluuium, & ultro permisit cadere securim, & rogavit Mercurium, ut sibi adesset. Affuit, & extulit flumine securim auream & argenteam, cum quæreret, an pertineret ad se, lętabundo vul-

Lignator et Mercurius.

do vultu annuit. *Perosus Deus tantam impudentiam, non solum illam retinuit, sed ne propriam quidem reddidit.* Querelum servorum genus præsertim in aula, ubi pro augendis suis possessionibus, expostulare aulici consueverunt, in servicio sui Principis multa aureorum millia amisisse, cum parum aut nihil amiserint, digni propterea ut non ditentur, sed potius depauperentur. Cum uno ex his agit Fortuna in apologo apud S. Cirill. lib. 3. cap. 4. & ait; *Ecce te depauperavit auara voluntas, exinanivit cupiditas.*

Nihil in aula Sapientiæ propter Deum amittitur, quod non cum magno fænore recipiatur. Ad hanc aulam pertinebat Iobus, qui bona perdita, in duplum aucta resumpsit. In hac aula, qui amiserit unum, *centuplum accipiet:* In hac aula, *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Hæc est aula, in qua nemo augendis possessionibus studet, sed minuendæ cupiditati, quæ est *radix omnium malorum*: nemo quicquid perdiderit propter Deum, se quicquam perdidisse conqueritur, sed cum Paulo dicit, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Quid ni vivere Christus sit? *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* *Lucrum.* Matth. 19. 29. Ioa. 12. 25 1. Timot. 6. 10. Phil. 1. 21. Ioa. 6. 59.

IV. *Infelix seruitus.*

Lucianus de mercede conductis agens, inducit aulicum servum miseriam suam plorantem, & præ dolore exclamantem; *O me miserum, ô me infortunatum! in quale barathrum me præcipitem dedi. Iuxta id, quod in proverbiis iactatum est. Leo in chordula vinctus sursum & deorsum circumfertur.* Qui sunt nati ad servitutem, errant, dum putant, leuiora se onera reperturos, si de magno domino cui serviant provideatur. *Asinus seruiens olitori, quoniam parum comedebat, plurimum laborabat, precatus est Iovem, ut ab olitore liberatus alteri venderetur domino. Quum Iupiter exoratus iussisset ipsum figulo vendi, iterum iniquiori animo perferebat, quam prius, onera, & cœnum, & tegulas ferens. Rursus igitur, ut mutaret dominum rogavit, & coriario venumdatus est. Peiorem itaque prioribus herum nactus & videns, quæ ab eo fierent, suspirando ait, Hei mihi misero! melius erat mihi apud priores heros manere: hic enim ut video, & pellem meam conficiet,* Malè sub Salomone flagellis cæso populo fuit, peius sub Roboano, qui cæcidit illum scorpionibus. *Asinus et hortulanus.*

Nemo bonus, nisi solus Deus, qui dominatur in arce & aula Sapientiæ. *Confitemini Domino, quoniam bonus,* unde & D. Ambrosius, cum iam in extremis esset, testatus est; *Bonum Dominum habemus*: Bonus Dominus, qui sic alit servos suos, & eorum onera tollit, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Non est qui premat, & gravet, cum dicat, *Iugum meum suave est, & onus meum leue.* Non exclamat hoc loco seruus; O me miserum, ô me infortunatum, exclamat potius; *O Domine* quia *ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ, Dirupisti vincula mea, & tibi sacrificabo hostiam laudis* Ecce plusquam Salomon hic, qui levat, non aggravat onera. Procul hinc Roboanus miseros suos subditos opprimens & obruens. *Felix seruitus.* Luc. 18. 19. Psa 117. 1. Matt. 11. 28. Ps. 115. 16.

V. *Amissa libertas.*

Lucianus iam allegatus ridet & irridet aulicum affixum aulæ, rebusque aulicis captum & alligatum, *Perinde ac simia a trunco reuinctus collo reliquis omnibus irrisui es: at ipse tibi affluere delicijs videris, cui contigerit afflatim expleri carycis. Ceterum libertas ingenuitas tua cum ipsis gentilibus ac tribulibus evanida, ac istarum quidem nec memoria quidem:* Cum sit talis aulæ captivitas, mira res est, quot tot habeat cultores, tot habitatores *Auceps avibus struxerat laqueos, galarita vero hunc procul videns rogavit, quidnam faceret? eo vrbem condere dicente, deinde procul regresso, & abscondito, galerita viri verbis credens, accessit ad cassam, & capta est. At aucupe accurrente illa dixit, Heus tu si* *Auceps et galerita.*

talem

talem urbem condis, non multos invenies incolentes. Nec melior, nec liberior est aula, & multos habet, qui ad eam, ut capiantur, confugiunt.

Cōseruata
Psa. 86.3.
Galat. 4. 31.
Ioa. 8.34.
1. Cor. 11 28.

Civitas Dei, ubi curia sacra est, multum differt à præfata civitate, *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*, & paulo inferius, *sicut lætantium omnium habitatis est in te.* Nulla hîc libertatis amissio, sed acquisitio: *non enim sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.* Non habet in mensa palatij locum, qui liber non est, *qui facit peccatum, seruus est peccati*, ideoque monet Apostolus, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Non capitur hic galerita laqueis, sed absolvitur a Sacerdote, qui dicit; *Ego te absolno à peccatis tuis.* Sic liber D. Franciscus habitu præferens & referens galeritam non captam, sed liberam, apud quem non paucos, sed multos invenies incolentes, quorum multiplici fætu augetur aula Sapientiæ.

VI.
Deuotio in specie.

Lucianus de prophanis sacrificijs acturus exorditur; *Enimverò si quis recensere velit, quæ stultissimi mortales factitant in sacris, in fictis diebus, in adeundis, salutandisq ue dijs, tum quas res ab illis petant, quæ vota faciant, cuiusmodi sunt, quæ de illis sentiunt, statuuntque, ecquidem haud scio; sit ne quispiam animo curis ita confecto, usque adeò mæsto, quin risurus sit, ubi perpenderit negotij tum absurditatem, tum amentiam.* Exemplo sit viator, de quo fabula; *Viator multa confecta via oravit, si quid inuenerit dimidium eius Mercurio dedicaturum, nactus igitur peram caratarum, & amygdalarum plenam, atque ea accepta eas comedit. Sed cariotarum ossa & amygdalarum cortices super altari quodam imposuit inquiens. Habes ô Mercuri votum. Nam rei inventæ exteriora & interiora tecum partior.* Hoc vitium inolevit, apud nonnullos aulicos, qui miscent sacra prophanis, ut in diebus festis & sacris meliores & potiores partes vanitatibus ac suis voluptatibus tribuant, peiores & deteriores consecrent religioni interius mente distracti, exterius in templo præsentes, solum assistentes.

Viator.

Devotio in veritate.
Matt 15.8
Ioa. 4.24.
3. Reg. 18 21.
Luc. 14.21

Divinus cultus fit in aula Sapientiæ, diversus planè ab eo, quem Deus improbavit, & damnavit in Israelitis, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est a me.* Habetur cultus divinus *in spiritu & veritate*, non in spiritu vanitatis & curiositatis, qui viget in aula prophana. Ita monuit Christus Samaritanam, quæ erat de ea gente, quæ partim Deo, partim Baal cultum & honorem exhibebant, dixitque propterea Elias, *usque quo claudicatis in duas partes?* Non totum, sed dimidium offerre Deo claudicare est. Quod si servo ad nuptias Eucharisticas vocanti dictum est; *Debiles & claudos introduc hûc*, dictum propterea est, ut verum Deum agnoscentes in Eucharistia, solum illum in spiritu & veritate colant, & adorent.

VII.
Nouerca.

Plerumque viris rectis ac bonis noverca est aula, malis vero & improbis mater, quibus, cum initio parua furta committunt, non solum tacet & dissimulat, sed et arridet, ut deteriores fiāt, & extremas pœnas luant. Commēdatur apud Plutarchum in Apotegmat. Regum: Cato asseverans malle se pro collato beneficio nullam reportare gratiam, quam pro maleficio patrato non darè pœnam. Nihil periculosius, & etiam exitiosius est aulica impunitate, quæ vergit ad deteriora, Puer ex literario ludo condiscipuli librum furatus, tulit matri. Quum verò illa non corripuisset, sed potius amplexata fuisset; provectus ætate cæpit maiora furari. In ipso autem furto aliquando deprehensus, ducebatur rectà ad mortem. Matrem sequentem & flentem vocat ad se, volens aliquid ei dicere in aurem. Quæ cum illicò ori filij se admovisset, ille aurem dentibus demorsam abscidit. Cum impietatis insimularetur, respondit *Hæc mihi fuit causa perditionis*

Puer et mater.

ditionis, si enim cum librum furatus eram, me corripuisses, non ad hæc usque progressus, nunc ducerer ad mortem.

Hæc est aula Sapientiæ, in qua unicuique præcipitur, *Non furaberis,* & si quis aliquid abstulerit furto, iubetur, ut reddat. Non tollitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Bona mater Ecclesia, quę semper filios monet, ne quid furto capiant & auferant, & si quicquam rapuerint siue magnum siue paruum, damnat & reprehendit, & quidem ita seriò, ut si grave furtum sit, prohibeat ad sacram mensam accedere, nisi prius suum errorem agnoverint & correxerint. *Mater.*

VIII. *Ex pastore piscator.* Malè sibi vult, malè suis ouibus cupit pastor Ecclesię, qui ductus amore aulæ, divertit ad politicos eius mores, expectans aliquid boni, Accidet quod accidit pastori in mari. *Pastor in maritimo loco gregem pascens, viso trãquillo mari, desideravit navigare ad mercaturã. Venditis igitur ouibus, & palmarũ fructibus emptis, soluit. Tempestate verò vehemente facta, & nauis cum in periculo esset, ne mergeretur, omni onere eiecto in mare, vix vacua navi evasit incolumis. Post verò dies non paucos transeunte quodam, & maris quietem admirante, suscepto sermone, Hoc, ait, cariotas iterum, ut videtur, desiderat, & propterea videtur quietum.* Fallit & decipit aula, nec tua, nec te credas, nec illi committas, licet serenissima sit. Memento te esse pastorem ouium, non mercatorem, lucri tui curatorem. *Pastor et mare.*

Vocauit Petrum è mari Christus, ut esset ouium suarum pastor; *Pasce,* inquit, *oves meas.* Qui iubet, ut suas servet, & pascat oves, monet, ne pastor ullam ex ois mercaturam faciat, nec in earum custodia suum lucrum tamquam mercenarius quærat. Accedit Augustinus, *Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare non Christum, vel gloriandi, vel dominandi vel acquirendi cupiditate: non obediendi & subveniendi, & Deo placendi charitate,* Bonus pastor Christus, qui oves suas, sua carne & sanguine pascit, nunquam in aula fuit, nisi tempore passionis, non ut oves suas perderet, sed ut eas magno suę vitæ pretio redimeret. Christi imitator est pastor, qui eo animo venit ad aulam, non ut glorietur, aut dominetur, sed ut oves ab exactionibus aulicorum eripiat ac liberet. *Ex piscatore pastor* Ioa. 21. 17

IX. *Praesensa pulchritudo.* Turpe certè est à suo sexu in fęminam per habitum degenerare, ut ait Juvenal.

> *Quem præstare potest mulier galeata pudorem,*
> *Quæ fugit a sexu vires amat, hæc tamen ipsa*
> *Vir nollet fieri.*

Punica et malus. Turpe quoque est viro ad militiam, non ad malitiam, nato, de forma & pulchritudine cum fæminis decertare, vel saltem se cum illis ingerere. *Punica & malus de pulchritudine contendebant. Multis contentionibus interim factis, rubus ex proxima sepe audiens, Desinamus, inquit, ô amicæ aliquando pugnare.* Armavit spinis natura rubum, & more militari eum posuit prosepibus in custodia, nihilominus fæminea ornatum specie ac pulchritudine haberi, & æstimari procurat, & ita sibi placere, cum floret, ut audeat ficui insultare. *Spina florebat, & ficus ante eam frondes ac grossos suos producebat, cui mox tumefacta ex floribus spina dixit, Ficus, ubi sunt flores tui? at illa respondit, Spina ubi sunt fructus tui?* Hęc Cyrill. lib. 7. Apologor. c. 23.

Non curata. In aula Sapientię feminæ externam speciem & pulchritudinem non quærunt, nec curant, ac proinde in mulieris fortis descriptione, quæ est c. vltimo Proverb. nulla de eius venustate externa mentio: quin potius con-

mittunt, tamen omnia faciant. Melius igitur est illis dare, quam vobis.

Habet aula Sapientiæ aquas, quibus extinguitur sitis, invitat ad eas Isaias: *Omnes sitientes venite ad aquas;* & alibi, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Non hic negatur, nec opus est pro illa vana promittere, quæ omnibus benefacientibus debetur & datur. Ad hanc aquam saucia cucurrit Magdalena, cum benefacere cæpit & avidè illam bibit, cum nec verbum loqueretur. Qui communicant, & sumunt Christum in Eucharistia silentes & tacentes de eodem potant fonte, non bonis verbis, sed bonis operibus promerito, & acquisito. *Bona opera.* Isai. 55. 1 Isai. 12. 3.

II. *Infirma forma. Pauo et monedula*

Errat planè aula, quæ formam dignam imperio esse censet, quæ foris in vultu & statu hominis splendet, nisi etiam adiungatur virtus, fortitudo, ac prudentia, quemadmodum Seuer. Imperator testatur apud Bruson. li. 3. c. 13. *Auibus creaturis regem pauo supplicabat, ut se ob pulchritudinẽ eligerent. Eligẽtibus autem eum omnibus, monedula suscepto sermone ait: Sed si te regnante aquila nos persequi aggressa fuerit, quomodo nobis opem feres?*

David specie & pulchritudine Christi captus, inquit Ps. 44. *Specie tua & pulchritudine tua intende prosperè, procede, & regna,* sed præmisit. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Qui regnat in aula Sapientiæ, Christus est, qui venustate sua attrahit homines ad amorẽ sui, habet apud se gladiũ, quo subditos suos defendat; *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* Hic ipse est, de quo aliàs, *Dominus regnavit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se:* & conclusit se: *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinãs virgines?* Coniuncta est cum bona gratia, & pulchritudine fortitudo, *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* *Fortis.* Psa. 23. 7. Psa. 92. 1. Zach. 9. 17. Psa. 21. 5.

III. *Defectus præuentionis. Singularis et vulpes.*

Cum tempus præliandi vrgeret, vidit Alexander Macedo militẽ arma parantẽ, & abire iussit è castris, ut eius incuriã damnaret & castigaret. Hic mos aulicorum damnatur & merito, ut tempore hiemali vacent venationibus & choreis, nec parent arma, quorum tempore verno usus est necessario futurus. *Singularis agrestis cuidam cum adstaret arbori, dentes acuebat. Vulpe autem rogãte causam, quare nulla proposita necessitate dentes acueret, inquit: Non abs re hoc facio. Nam si me periculum invaserit, minimè me tunc acuendis dẽtibus occupatum esse oportebit, sed potius paratis uti.* Hoc peccatum aulæ, quod carpit Iuvenalis.

Nunc patimur longæ pacis mala, sævior armis
Luxuria incubuit.

Christus venit, ut in mundo pugnaret, & idcirco ad prælium se præparavit. *Indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se,* exacuit prius sagittas, *sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.* Armiger eius Ioannes Baptista erat, de quo scriptum legimus; *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciẽ tuã, qui præparabit viam tuam ante te.* Natura prævenit ea in hieme, quæ verno tempore factura est, dispositionem gratia requirit in anima, quæ vel natum Christum vel consecratum susceptura est; *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* *Præuẽtio:* Psa. 92. 1. Psa. 119. 4. Malach. 3 1. 1. Cor. 11 28.

IV. *Fures parui et magni. Cassita.*

Serm. 11. apud Stob. Democritus cũ furẽ ab undecim viris abduci videret, inquit; *Vah miser, qui tantilla furatus es, & non potius magna, ut tutò etiã abduxisses alios.* Democritus eũ volebat esse de numero aulicorũ, qui aurum & argentum furto auferunt, & tamen incolumes euadũt. Væ paupercule cassitæ. *Cassita à laqueo capta plorans dicebat, Hei mihi misera & infelici volucri. Non aurum surripui cuiusdam non argentum. Non aliud quidpiam pretiosum. Granum*

num autem tritici paruum mortis mihi causa fuit. Suspendium itaque infelicibus non autem pro aulicis fortunatis est.

Nec parui nec magni. Nullum patitur furem aula Sapientię, in qua Princeps *non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo,* & tamen, ut patientiæ suæ singulare specimen exhiberet, cum iniquis latronibus reputatus est, *Quæ non rapui, tunc exolvebam.* Cum videret se ita tractari, factus miles, quam habebāt homines de eo opinionem, reddidit veram, more militari faciendo deprædationes, *prædamq; tulit tartari.* Qua usus etiam arte, mutatus latro in militem furatus est paradisum. Quoniam vero hanc ipsam artem Ioannes profitebatur, dixit de illo Christus: *A diebus Ioannis Baptistæ Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* De militari Ecclesia legimus *dedit prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Cælestium prædatorum cibaria Eucharistica sunt, & annona militaris ijs, qui serviunt in castris Christi, ut & ipsum capientes regem, regnum cælorum rapiant.

Phil. 2. 6. Psa. 68. 5. Matt. 11. 12. Prou. 31. 15.

V. *Pusillanimes.* Themistocles apud Plutarchum in Apophtegmat. Græcor. affirmabat Heritrienses similes esse piscibus, qui Gladioli vocantur, habent gladium, cor non habent. Videbis quoque magnos ac potentes viros, gladiatos & barbatos, qui vel ad primam hostium vocem timent ac tremunt, & cum oblatrantes noverint in se delatores, maximè trepidant. Noverint ipsi, quæ causa metus & pavoris subsit. *Hinnulus* *Hinnulus aliquando ceruo, ait, Pater tu natus es, & maior & celerior canibus, & cornua præterea ingentia gestas ad vindictam: curnam igitur sic eos times? Et ille ridens ait; vera quidem hæc inquis, fili unum verò scio, quod cum canis latratum audivero, statim ad fugam nescio quomodo efferor.*

Animosi. Fert aula Sapientiæ fortes & cordatos viros, qualis erat, qui dicebat; *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Dicebat ipse quoque; *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus.* Cum esset mysticus ceruus, moneretque *Circumdederunt me canes multi,* non efferebatur ad fugam, sed firmus stabat, totusq; intrepidus affirmabat; *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hic effectus venerabilis Sacramenti est, cum *panis cor hominis confirmet*, & eius virtute cervi convertantur in leones, ait enim S. Chrys. Tamquam leones ignem spirantes illa mensa recedamus.

Ps. 26. 30. Psa. 41. 2. Ps. 21. 17 Ps. 22. 4. Ps. 103. 16

VI. *Loquacitas.* Videbis in aula loquaces, qui cum peccent dicendi audacia, sunt timidiores ijs, quos suis oblocutionibus lacessunt, etsi lacessiti mori prę timore videantur. *Lepores & rana.* *Lepores aliquando in unum profecti, suam ipsorum deplorabant vitam, quod foret periculis obnoxia, & timoris plena: se enim ab omnibus & canibus & aquilis & aliis multis consumi. Melius itaque esse mori semel, quam toto vitæ tempore timere. Hoc igitur confirmato impetum semel fecerunt in paludem, quasi in eam delapsuri, & suffocandi. Sed cum rana, quæ circum paludem sedebāt, cursus strepitu percepto, illico in hanc insiluissent, ex leporibus quidam sagacior esse visus aliis, ait, Sistite, o Socij, nihil grave in vos ipsos molimini, iam ut videtis, & nobis sunt alia animalia timidiora.* Quibus maior garulitas est, maior & timor inest

Parcitas in loquendo. Non fert hęc aula loquaces, cum unusquisq; moneatur; *Sit omnis velox ad audiendum, & tardus ad loquendum:* Et quidem natura ipsa, ut moras pro loquendo faceret, linguę, dentium, & labiorū motum necessariū esse voluit, cum tamen aures apertas, & habiles ad statim audiendū finxerit. *Siquis autem putat se religiosum esse, non refrenās linguam suam, sed seducens cor suū, huius vana est religio.* Religio igitur vera ac solida est, quam astruit veneranda Eucharistia, cuius *sumptione*, sicut concionatus est Iustin. *efficitur homo alius non*

Iac. 1. 19. Iac. 1. 26.

non per naturam, sed gratiam, mutatusque totus in melius compescit linguam, amat silentium. Procul hinc prophanæ linguæ, & garrulæ oblocutiones, quibus mundi plena est aula.

Invident ignari, æmulantur felicitatem aulicorum, qui valdè deliciosè vivunt. Oportet expectare finem, qui cum sit plerumq; infelix, aperit ignorantium oculos, ut sua sorte contenti, deponãt invidiã, qua graviter laborabant. *Asinus equũ beatum putabat, quod abunde nutriretur, & accuratè, cũ ipse neque palearum satis haberet, idq; plurimum defatigatus, cum autem tempus institit belli, & miles armatum ascendit equum, huc illuc ipsum impellens, ceterum & in medios hostes insilivit, & equus vulneratus iacebat. His visis asinus equum, mutata sententia, miserum existimabat.* Hæc miseria tam equi, quam equitis est; teste enim Boet. lib. 3. Prof. 6. *tristes esse voluptatũ exitus, quisquis reminiscitur libidinum suarum, facilè, intelliget.* Asinus equum beatum putabat, sed non mulus, qui lib. 2. Apologor. moral. cap. 5. apud Cyrillum conatus est suadere equo, ne iret ad prælium, non credidit amico, & periit. VII. *Invidia mala. Asinus et equus.*

Homines ignari, falsaque specie decepti dixerunt, *Beatum populum, cui hæc sunt,* quæ amat & æstimat mundus, sed qui sapiunt, aliter sentiunt, ac respondent. *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* Hic Princeps aulæ Sapientiæ felices eos reddens, qui mysteria sacra eius assequuntur, & intuentur; *Beati oculi, qui vidẽt, quæ vos videtis.* Habet hæc aula delicias, *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus;* Nec habent exitus tristes; *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt; qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* unde iussus est scribere Ioannes: Apoc. 14. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Hic exitus invidiosus est, quem prævidens Balam Regi & aulicis prophanis dicebat; *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant novissima mea horum similia.* *Inuidia bona.* Ps. 143. 15. Luc. 10. 13. Io. 6. 59. Num. 23. 10.

Apud Laert. lib. 6. cap. 8. Aristippus, cum videret quemdam seruum in itinere pecuniam ferentem, nimio onere premi, *Abijce,* inquit, *quod nimium est, & fer quantum potes.* Cum agitur in aula venatio, in qua homines capiuntur, tenues ac leves facilè evadunt, sed qui magnis furtis gravantur, non ita sibi per fugam consulunt. & pereunt. *Anseres & grues in eodem prato pascebantur. Venatoribus autem visis grues, quod essent leves, statim avolaverunt: anseres verò ob onus corporum, cum mansissent, capti fuerunt.* VIII. *Aggrauatio oneris. Anseres et grues.*

Quotquot ad hanc aulam veniunt, monentur, ut onera sua deponant, onera nimirum culparum, de quibus inquit David. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Hoc onere levatus dicebat, *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Quod si quis gravatus accedat ad sacram mensam Sapientiæ, capiatur, & pereat necesse est, cum sit *mors malis* Eucharistia, *vita bonis,* quorum est in cælum volatus. Avolant in cælum leves, capiuntur graues, *væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate.* *Alleuiatio* Ps. 37. 5. Ps. 57. 7. Isai. 1. 4.

Seneca lib. 2. de Beneficijs inducit aulæ ministrum molestis candidati precibus succumbentem, ac dicentem; *Scio illi hoc non profuturum, sed quid faciam? rogat, resistere eius precibus non possum. Viderit, de se, non de me queretur.* Accedit & fabula; *Testudo orabat aquilam, vt se volare doceret. Ea autem admonente procul hoc a natura ipsius esse, illa magis precibus instabat. Accepit ergo ipsam vnguibus, & in altum sustollens illam demisit. Hæc autem in petras cecidit, & contrita est.* Sapientior testudo est apud Cyrillum libr. 1. Apologor. cap. 7. quæ sua sorte ac concha contenta dicit; *Placet certè vbique suave iugum protectionis, ac semper habere mecum onus leve salutis.* IX. *Importunæ preces. Testudo et aquila.*

Humilitas. Procul ab aula Sapientiæ Icarus, qui cereas sibi alas fecit & aptavit, & cum volare tentasset, ex alto ad ima seipsum deturbavit. Procul etiam Simon magus, qui cùm in sublimè volasset, orationibus Apostolicis depulsus ruit præceps in saxa & rupes, & confregit sibi crura. Monetur unusquisq; aulicus, *Altiora te ne quæsieris.* Altiora se nec quærebat nec affectabat David, cum diceret; *Domine non est exaltatum cor meum, neq; elati sunt oculi mei. Nec ambulavi in magnis, nec in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Sicut ablactatus est super matre sua ita retributio, in anima mea,* Magna hęc pæna est, si quis ablactetur, & sacra Eucharistia privetur propter superbiam & elationem & si illi concedatur, maius malum ad maiorem ipsius lapsum & ruinam.

Eccl. 3. 22. Ps. 130 1.

X. *Impatientia.* *Pulex.* Mirum, quam impatientes sint aulici, si vel minimũ pungantur, vel tangantur. Quod si pro votis non eveniat, non succedat de malo liberari, blasphemãt & desperant. *Pulex aliquando saltans, viri pedibus inhæsit, hic autẽ Herculem in auxilium invocabat: at cum illinc rursus saltasset suspirans ait; O Hercules si contra pulicem non auxiliatus es, quando contra maiores adversarios adiuuabis!* Aulicus qui ferre non potest pulices, quomodo maiores feret adversarios? Pharao & aulici à muscis & culicibus vexati maiora se ferre non posse ostenderunt.

Rom. 5. 4. *Patientia* Luc. 21. 19 Mira res, quam patientes aulici Sapientiæ sint. *Patientia probationem operatur:* ex virtute tolerantię, quinam debeant pro aula censeri & approbari, monet Apostolus, Monet & Christus, *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Tangatur, pungatur, & lædatur caro, ut virtute patientię anima possideatur, ne per impatientiam alienetur, & labatur. In quem etiã finem condita est Eucharistia, ubi passio & patientia Christi repræsentantur. Accedit & certitudo auxilij: auxiliator enim dicit, *Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Erravit ille, qui Herculem auxiliatorem invocavit. Et quidem nec Pharao nec eius aulici a muscis & culicibus liberari potuerunt, donec à Mose vocatus & imploratus est verus Deus.

Psa. 90. 15

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharisticæ cum aula prophana.

I. *Inopinatũ malum.* Vidimus aulicos homines, quibus unde minus cogitabatur, excidiũ illorum venit. Quisquis in aula stare saluus & incolumis velit, esse omnino oculatũ & perspicacẽ necesse est, sin minus non est securus. *Cerua altero obcæcata oculo in littore pascebatur, sanum oculum ad terram propter venatores habens, alterum verò ad mare, unde nihil suspicabatur: prænavigantes autem quidam & hoc conijciantes, ipsam sagittarunt. Hæc autem seipsam lugebat; quod unde timuerat, nihil passa foret: quod non putabat malum allaturum, ab eo proditam.*

Cerua.

Prævisum Zach. 9. 1. Psa. 90. 1. Pet. 3. 13 *Dominus est oculus hominis,* qui saluti & incolumitati suorum consulit. *Qui habitat in adiutorio Altißimi,* dicit cũ Davide, *Ipse liberauit me à laqueo venantium, à sagitta volãte in die, ab incursu & dæmonio meridiano.* Qui ita providus est, securus est, *Quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Nulla nocebit adversitas ei, quem Deus tuetur, & ipse se iustis operibus munit, in cuius

cuius etiam munimentum sacra Eucharistia condita est. Sub hac custodia nec à mari, nec à terra timendum est.

Miser aulicus, qui a varijs partibus invaditur, & impetitur, & cum asylũ sibi fore Principem existimaret, invenit sibi iratum, & contra se exacerbatum. *Cerva venatores fugiens in speluncam ingressa est: in leonem autem ibi incidens ab eo comprehensa est, moriens autem dicebat; Hei mihi! quod homines fugiens, incidit in leonem.* Accidit hoc Amalechitæ Amano, cum incidit in Assuerum, hostis a Regina Esther declaratus. II. *Asylum principis; Cerua et leo.*

Si quis Sapiens Deum apud se habeat, è manibus euadet hominum, nec est, quod multum timeat, etiam si incurrerit in leones. Exemplo sit Daniel qui cum esset charus Deo, effugere facilè potuit homines & leones. Non sic accidit prophetæ, qui cum à potestate Regis Ieroboami, & suorum servorum evasisset, incidit in leonẽ, a quo interfectus est. Defecit ille a Deo, & miserè perijt. Perijt leo, non Samson, aderat Deus, & disposuit, ut in ore leonis fauus cõstrueretur, unde & problema Eucharisticum promanavit; *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Qui dignè communicaverit, inveniet agnum, si indignè accedat, incidet in leonem. *Asylũ Dei* Iud. 14. 14

Commune vitium aulicorum est, mores sociorum rodere, etiam benefactorum, quorum iam putant se opera non indigere, quę ingratitudo solet illis esse causa ruinæ. *Cerva venatores fugiens, sub vite delituit. Cum præterissent parumper illi, cerua prorsus iam latere arbitrata vitis folia depascere incæpit. Illis vero agitatis conversi venatores, & quod erat verum arbitrati, animal aliquod sub foliis occultari, sagittis confecerunt cervam. Hæc autem moriens talia dicebat: Iusta passa sum, non enim offendere oportebat, quæ me servarat.* III. *Mala beneficii solutio. Cerva et vitis.*

Christus vitis est, *Ego sum vitis, vos palmites,* hęc nos à venatoribus protegit, etiam, postquam illam offendimus, nec solum suis foliis tuetur, sed etiam mystico suo vino, quod in sacro altari consecratur & offertur, Hic sanguis agni est, quo notati postes domorum in Ægypto earũ habitatores servarunt incolumes, quẽ paulo post offenderunt in deserto, & perierunt. *Bona solutio.* Ioa. 15. 5.

Militares videri volunt multi, cum eos nec natura, nec animus pro castris iuvent, cum nihil valeant pro bello, existimant se posse esse terrori hostibus. Quæ præsumptio in causa est, ut interdũ se stultè perdãt, miseri in prælio. *Cum asino gallus aliquando pascebatur. Leone autem aggresso asinum, gallus exclamavit, & leo (aiunt enim hunc galli vocem timere) fugit. At asinus ratus propter se fugisse, aggressus est statim leonem. Vt vero procul hinc persecutus est, quò non amplius galli perveniebat vox, conversus leo eum devoravit. Hic vero moriens clamabat: Me miserum & dementem: Ex pugnacibus enim non natus parentibus, cuius gratia in aciem irrui?* IV. *Imbelles. Asinus et leo.*

Qui sunt in aula Sapẽtiæ, omnes sunt milites, omnes sunt militares: clamatq; propterea Petrus, *Fratres sobrij estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tãquã leo rugiẽs, circuit, quærẽs quẽ deuoret.* Hic leo timet eos, qui ritè cõmunicarunt. Egrediuntur quippe ex sacra Eucharistię mẽsa *facti diabolo terribiles,* ut ait Chrys. Hom. 61. ad populũ Ant. terribilis & Martin. cũ diceret in extremis cõstitutus, *Quid astas cruẽta bestia? nihil in me funesti reperies.* *Militares* 1. Pet. 5. 8

Plutarchus in Apopht. Græc. inducit Themistoclem suos Athenienses reprehendentem & dicentem; *Quid tumultu amini adversus eos, a quibus sæpè numero fuistis affecti cõmodis?* Frequens hæc ingratitudo in aula est, ubi quẽadmodum scribit Epist. 3. Seneca, *nemo per se satis valet, ut emergat sed oportet ut manum porrigat, & alius ipsum extrahat.* Qui manum porrigit, sibi caueat. *Olitoris canis in puteum decidit: olim autem ipsum illinc extracturus descendit & ipse* V. *Dolor de collato beneficio. Olitor et canis.*

ipse in puteum. Ratus autem canis accessisse, ut se inferius magis obrueret, olitorem conversus momordit. Hic autem cum dolore reversus, iusta, inquit, patior. Nam cur unquam sui interfectorem curare studui?

Gaudium. *Propter nos homines & propter nostram salutem descendit è cælis*, divina Patris Sapientia, manum porrigit, ut nos extrahat, nemo enim per se satis valet, nisi ab illo iuvetur, & gaudens iuvat eum, qui saluus esse vult, dixitque

Io. 5. 6. propterea paralytico, *Vis sanus fieri?* salus quippe impænitentibus non est, sicut nec panis, qui de cælo descendit, canibus datur: *Verè panis filiorum, non mittendus canibus.*

VI. *Copiosa proles.* Agatharius Pictor jactabat se de multitudine imaginum, quas pingebat: cui Zeuxis pulchrè respondit, ea, quæ cito fiunt, citò perire, contrà quæ paulatim exacta cura absolvantur, ferre ætatem. Gloriari solent proceres & magnates de multitudine suorum clientum, quos non ratione, sed cæco favote & amore evexerunt, inscios & ignaros rerum. *Sus & canis.* *Sus & canis de fæcunditate certabant, dixit autem canis fæcundam se esse maximè pedestrium omnium, & sus occurrens ad hæc, inquit; Sed cum hoc dicis, scito & cæcos tuos te catulos parere.*

Pretiosa. Matt. 20. 16. Luc. 12. 32. Non gloriatur Sapientia de multitudine prolium, sed de earum bonitate ac sanctitate, unde & dicit, *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, & iterũ: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Non numerantur, sed ponderantur, qui ad regnum Dei veniunt, sicut nec etiam, qui ad sacram accersuntur communionem, qua indigni non admittuntur, sed reijciuntur. Non numerantur, sed ponderantur animæ salvandorum, quas Michael aulæ cælestis Princeps in sua bilance prius librat.

VII. *Impuritas* Noverat aulæ conditionem Seneca, qui quasi pro foribus palatij stans epist. 45. ait; *Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt: temeritas sub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignavia. In his magno periculo erratur.* Magno errant periculo in aula, qui virtutes pro vitijs habent, & vitia pro virtutibus ęstimant, affectantes religionem similes irreligiosis & prophanis *Sus et canis.* Pharisæis. *Sus, & canis mutuò conviciabantur. Et sus iurabat per Venerem proculdubio dentibus discissurum canem. Canis vero ad hæc per ironiam dixit. Benè per Venerem nobis iuras. Significas enim ab ipsa te vehementer amari, quæ impuras tuas carnes degustantem nullo pacto in sacellum admittit.* Sus, ut memorat Cyrill. lib. 4. Apolog. cap. 2. gloriatur de favoribus sibi collatis à domino suo, sed quam sint illi fallaces, exponit ibidem vulpes.

Puritas. Procul hinc abite prophani, ubi verus Deus est, & vera religio, quæ in spiritu & veritate Deum adorat. Procul hinc omnis hypocrisis, ubi nulla ficta & fucata virtus locum habet. Procul hinc canes & sues, ubi castitas & virginitas est: & odor vitæ cælestis, quem emittit ex se florida & rosea Eucharistia, de qua Ambros. in Psalm. 118. *Bona pascua divina Sacramenta sunt, carpis illic rosam, hoc est Dominici corporis sanguinem.*

VIII. *Calliditas* *Serpens et cancer.* Benè monet Seneca epist. 46. scribens ad Lucillum suum. *Grandis & rectus es. Hoc te volo tenere, sic ire*, Non sic ire solet, qui in Reip. administratione rectus esse noluit, & suspendio adiudicatus est. *Serpens una cum cancro vivebat, inita cum eo societate. Itaq; cancer simplex moribus, & vt ille mutaret, monebat astutiam: hic autem minimè obediebat. Cum observasset igitur cancer ipsum dormientem, & pro viribus compressisset, occidit, serpente post mortem extenso, ille ait; Sic oportebat ante hac rectum & simplicem esse. Neque enim hanc pœnam dedisses.*

Simplicitas. Exulat ab hac aula astutia, sed non prudentia serpentis, cum dixerit Christus,

Christus, *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Habitat columbina simplicitas cum serpentina prudentia, nec periculum est, ut serpentes à columbis opprimantur, sicut opprimi solent a cancris. Amat Deus prudentiam, sicut apparet in virginibus Euangelicis, amat & simplicitatem, quoniam *cum simplicibus sermoninatio eius*, communio & communicatio Christi cum sinceris intercedit. Procul hinc subdolus Iudas, si simplex & rectus antea fuisset, rectus in arbore pôst suspensus non apparuisset. Matt. 10. 16. Prou. 3. 32.

IX. *Pastor et lupus. Malus zelus.*

Fabula pastoris, & lupi, qui esse videbatur de numero canum, ut custodiret gregem, & clanculum oues diripiebat, cadit in aulicos, qui zelatores censeri volunt boni publici, interim per insidias nocent bono communi, conanturque bonos ministros perdere, Erant tales apud Boet. libr. 1. Pros. 4. Opilio & Gaudentius familiares Regis Theodorici, *Cum ob innumeras atque multiplices fraudes ire in exilium regia censura decrevisset, & parere nolentes sacrarum sese ædium defensione tuerentur, edixit Rex, ut nisi infra præscriptum diem a Ravenna urbe discederent, per notas insigniti in frontibus pellerentur.*

Dānatur. Matt 7. 15

Hæc aula reijcit a se tales ministros, non fert eos, qui *sub vestimentis ouium sunt lupi rapaces.* Novit bonus pastor suas oues, quas alit: novit & lupos, vt eos arceat & abigat a mensa altaris. Quæ causa est, ut dixerit S. Chrisostomus Hom. 83. in Matth. *Quæ nam igitur erit nobis excusatio, cum talibus pasti, talia peccemus, cum lupi siamus agnum comedentes, cum tamquam oues pasti more leonum diripiamus?* Erat de numero canum Ecclesiæ Iudas, & factus est lupus rapax, sed sub zelo boni communis cum diceret; *Vt quid perditio hæc*, & hic dimissus ab aula est. Matt. 26. 8.

X. *Maleuolentia. Leo et lupus.*

Commune hoc vitium aulicorum est, ut socijs machinentur malum, & illud in auctores ipsos vertatur, sic accidit Amano. Pararat crucem & suspendium Mardochæo, & ipse in eandem crucem actus de mandato Assueri, passus suspendium vita pariter ac bonis spoliatus est. Lupus est in fabula, & simul in aula. Lupus provocavit leonem contra vulpem in fabula, Amanus in aula irritavit Assuerum contra Mardochæum. Lupus & Amanus similiter scoriati & spoliati perierunt, idcirco dicere per risum potuit Mardochæus Amano. *Sic non oportet dominum ad malevolentiam movere, sed ad benevolentiam.*

Beneuolentia. 1 Cor. 4. 9

Regnat in aula Sapientiæ charitas, de qua Paulus scribit, Charitas *non agit perperam.* Hoc est perperam agere, malum alijs adstruere, atque parare. Nemo læditur nisi a seipso in hac aula, cum peccatum committit: scriptum namque est Psalm. 9 *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator*, & ut commentatur D. Hieronym. *Vnusquisque peccator ipse sibi secum portat & funes & vincula & tormenta, unde sustineat mala, nam ab aliis non est necesse præparari, cum ipse sibi præparet, quæ ad pænam pertinent.* Quod maximè elucet in sacra communione, quæ *mors est malis, vita bonis*, ideo mors est, quoniam ad illam mali accedunt indignè, ideo vita est, quoniam boni dignè illam percipiunt. Hanc ipsam, dum illam offerunt, & accipiunt sacerdotes, non irritant, nec provocant Deum ad malevolentiam, sed ad benevolentiam erga peccatores, quibus iratus est.

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharisticæ cum aula prophana.

I. *Ebrietas.*



Cum legati ab aula Philippi venientes retulissent strenuè bibisse Regem, respondit Demosthenes: *Habet hanc virtutem cum spongia communem.* Hæc virtus non est, sed potius vitium, quo laborant sępe aulici, ut inter mortuos relati, prę senectute ferè emortui & aridi instar spongiarum, pravis non renuntient moribus, sitiāt perpetuo opes, & appetant semper delicias. Competit eis antiqua fabula, in qua mulier virum suum ebrium deposuit in sepulchro, ubi cum potum affectaret, percusso pectore illa respondit: *Hei mihi miseræ: nam neque astu profui: tu enim vir non solum non emendatus es, sed peior quoque teipso euasisti, cum in habitum tibi deductus sit morbus.*

Sobrietas. Quàm sit alia Sapientiæ aula vel ex hoc perspici potest, quod in ea sobriè omnes vivant, & bibant de aqua oblata Samaritanæ cap. 4. Ioan. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Hic fons perennis perpetuo manat, & manet in Eucharistia, tollit & extinguit planè rerum mundanarum sitim. Hunc fontem appetebat, qui dicebat; *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea:* & iterum; se comparat ceruo qui *desiderat ad fontes aquarum.* Solum in hac aula sepulchrum est, ubi deponuntur vitia & habitus vitiosi, ut scribit Paul. ad Rom. cap. 6. *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, &, quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.*

Psa. 62. 2. Ps. 41. 2.

II. *Adulatio grata. Cygnus.* Similes sunt inter se anser & cygnus, & ut fabula narrat, cum loco anseris occidendus cygnus esset, morti iam proximus cecinit, seipsum detexit ac virtute cantus evasit. Similes solent esse in aula famuli, quorum vita & mores damnantur, sed si quis benè canere, & mulcere aures noverit, quæ peccando meruit, adulando effugere solet.

In grata. Isai. 30. 10. 2. Tim. 4. 3. Aliena prorsus ab aula vox illa censetur. *Loquimini nobis placentia,* amandat a se magistros *prurientes auribus,* quos si semel admittant auditores, à *veritate auditum avertent, & ad fabulas conuertentur.* Procul hinc cygnus fiat, quem a suis aris ac sacrificijs amandari iussit Sapientia. Non amat Cygnum, gaudet agno puro & mundo Eucharistiæ, in qua veritas totum occupat locum, à qua omnis exulat fictio & adulatio, & quæ non admittit mundanos adulatores & cantores, quærit & diligit cælestes modulatores.

III. Pro more & consuetudine aulę loquitur Juvenal. Satyr. 8.

Nanum cuiusdam Athlanta vocamus.
Æthiopem cygnum.

Denigratio. Ita quidem, fit ut in aula quis magni habeatur, cum sit paruus, & cum sit infamis & niger instar Æthiopis, candidus instar cygni esse censeatur, esse curetur, multis quęsitis testimonijs, & probationibus. Quid inde? Habebat quis in domo Æthiopem: *omnes ei adhibuit abstersiones, omnibus lauacris tentavit mundare, & colorem quidem transmutare non potuit, sed morbum*

Æthiops.

vexatio

vexatio paravit. Habuit peius post absterſiones, aulicus post probationes.

Culpa reddit animam nigram, ſed in aula Sapientiæ myſticum lauacrum eſt, cuius beneficio pura & candida efficitur anima, rogatque propterea David, *Amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me*: rurſus, *Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Hoc lavacrum ſacræ pœnitentiæ eſt, quam præmittere debet is, qui denigratus eſt peccando, ut accedat ad altare; *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.* Sic abſterſi *niue dealbabuntur in Selmon;* & ut dealbetur, *Æthiopia præveniet manus eius Deo.* Prævenit illum in Regum adoratione, ex qua reverſa per aliam viam, ſemotam ab aula Herodis, album colorem induit. *Dealbatio.* Pſa 50. 4. 1. Cor. 11 2. Pſa. 67. 15. Pſ. 67. 32.

IV. *Seruire tempori.* Sedulò tabulæ & imagini pictor ille incumbebat, qui dicebat, *Æternitati pingo.* Ferebant opera eius ætatem, quam non ferunt ſplendor & decor aulæ & aulicorum, cum citò marceſcant, celeri præventi infortunio, vel etiam morte feſtina, quæ *aquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres*, has tamen citius, quam alias deijcit Nec glorietur hirundo de pulchritudine, & cornicem damnet, cum cornix reſpondere hirundini poſſit; *Tua pulchritudo verno tempore floret, meum vero corpus etiam hieme durat.* Qualis mundus, tales & mundani, *præterit figura huius mundi*, ſic & gloria mundanorum. *Hirundo et cornix.*

Qui habitant in aula Sapientiæ, non ſerviunt tempori, ſed æternitati, & qui in illa decor eſt, ſemper durat & perſeverat: *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate! immortalis eſt enim memoria illius.* In hac aula Sapientiæ, *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Hæc autem frumenti ac vini myſtici ſpecies & pulchritudo perpetua eſt: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad finem ſæculi.* Decoratur anima virtute Euchariſtiæ, & permanet eius forma *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*, Quiſquis ille eſt, non ſervit tempori, ſed æternitati; *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* Qualis Sapientia, talis & eius conviva. *Clara eſt & quæ nunquam marceſcit ſapientia, & facilè videtur ab ijs, qui diligunt eam.* *Servire æternitati.* Sap. 4. 1. Zach. 9. 14. Matth. 28 20. Ioa. 6. 57 Ioa. 6. 59. Sap. 6. 13.

V. *Malus exitus.* Lucianus dialogo de mercede conductis, ſiue de Aulicis, quorum infauſtus finis & exitus eſt, illum deſcribit. *Contumelia acceptum illum ad deſperationem pertrahit, & hoc quidem tempore ſpes avolans evaneſcit. Tum ille non per aureum illud atrium, per quod ingreſſus fuerat, ſed per poſticum quoddam & occultum exitum ventricoſus, pallidus ſenex, læva quidem pudorem occultans, dextra vero ſeipſum ſtrangulans. Occurrat autem exeunti pænitudo, fruſtra lachrymãs.* Sera pænitentia Aulicorum, cum res eorum deſperatæ iam ſunt, non abſimiles Butali, cui è feneſtra pendenti & evadere cupienti dixit veſpertilio, *Non te cavere nunc oportet, quum nulla vtilitas, ſed antequam capereris.* *Butalis.*

Regnat in aula Sapientiæ Deus, cuius dona ſunt ſine pænitentia: eum quippe nunquam pænitet dona dediſſe, ac beneficia contuliſſe, ſi quis autem divinis utatur donis ac beneficijs, prout oportet, uivit in aula ſecurus, cuius introitum & exitum Deus cuſtodit. Quam ob cauſam manet adhûc apud nos, & nos uſque ad extremum vitæ terminum comitatur, ne deſperemus, & pro maiore ſecuritate, *Æternæ gloriæ nobis pignus datur.* Quod ſi quis delinquat, datur pænitentiæ locus, etiam cum quis pendet, ſicut bonus latro pendebat, ſed non ita accidit Iudæ, qui poſt cænam præ deſperatione perijt. *Bonus.*

VI. *Cochlea.* *Ruſtici filius aſſabat cochleas. Cum autem audiret eas ſtridentes, ait, O peſſimæ animantes domibus veſtris incenſis vos canitis.* Pereunt dominorum domus

& fa-

& familiæ, qui dum esse in aula possint parum domos & familias curant: si moneantur, rident, & iocantur. Hoc genus hominum non absimile cochleis est.

Æstimatores. Hæc lex aulæ Sapientiæ est, ut unusquisque & sibi & suæ domui sedulò attendat; nec aptus est quispiam, ut primos gradus Ecclesiæ ascendat, *si domui suæ præesse nescit*, quemadmodum Apostolus monet. Præluxit exemplo Christus Relatus paternam domum, cuius nomine fassus ac testatus est David, *zelus domus tuæ comedit me.* Hic zelus perpetuus est: adhuc manet & manebit in domo, ut Ecclesiæ curam gerat; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

1. Timot. 3. 5
Ps. 68. 10.
Matt. 28. 20.

VII. *Excitatores molesti.* *Mulier & ancilla.*

Constat ex Suetonio inscriptum statuis Neronis; *Galli te canendo excitarunt.* Dormiebat in utramque aurem, donec Galli contra Romanum imperium arma ceperunt. Cæsi sunt Galli, nec tamen propterea quievit Nero, nec eius aula vexata aliundè continuis bellis ac seditionibus. Accidit Neroni & eius aulæ, quod accidit ancillis occidentibus gallum, ad cuius cantum excitabantur ab hera, ut operarentur. Cum autem postea non esset de hora hera certa, citius eas ad opus venire compellebat.

Grati. Habet & aula Sapientiæ excitatores, quorum vocibus excitati Christiani a somno operentur ac laborent. Excitator erat ille, qui dicebat, *Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* Quin potius vices agebat mystici galli, cum diceret. *Hora est iam nos de somno surgere.* Hęc vox grata in Ecclesia est, & erit semper eius fidelibus, qui mutuò se exhortantes aiunt, *Præco diei iam sonat, Noctis profundæ pervigil, Nocturna lux viātibus, A nocte noctem segregans Surgamus ergo strenuè, Gallus iacentes excitat, Et somnolentos increpat. Gallus negantes arguit.* Manè surgentibus manna dabatur, datur & Eucharistia, *Non sit vobis manè surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus.*

Ephes. 5. 14.
Rom. 13. 11.

VIII. *Mustela.* *Mustela in officinam ingressa ferrarij, ibi iacentem limam circumlambebat. Rasa autem lingua, sanguis multus ferebatur. Hæc autem lætabatur rata ex ferro aliquid auferre, donec penitus totam linguam absumpsit.* Errant turpiter adulatores aulæ, dum blandiuntur Magnatibus, qui dum putant se aliquid ex illis habere posse, planè decipiuntur. Cum mercedis loco iubeantur obmutescere communi cum mustela sorti subiacentes, tempus vitam, & etiam propriam pecuniam, quæ loco sanguinis est, in sumptus inanes aulæ consumentes.

Lambere adulatorũ malum.

Lambere sanguinẽ Christi est bonum. Non lambitur ferrum in aula Sapientiæ, a qua exulat omnis adulatio. Hæc imperialis est aula, in qua sedem habet aquila, de qua, Deus apud Job. cap. 39. *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? In petris manet, & in prærupti silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus. Inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt. Pulli eius lambent sanguinem; & ubicumque cadaver fuerit, statim adest.* Si quis pretiosum Christi sanguinem lambat, hauriet cælestem dulcedinem: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Ad hoc ut ritè ac rectè lambas, ut loquar cum D. Chrysostom. Homil. 83. in Matt. *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? Os, quod igni spiritali repletur, linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris.* In hac mensa tempus non perditur, sed acquiritur æternitas, vita non amittitur, sed accipitur, non est detrimentum pecuniæ, sed lucrum pretiosi sanguinis Christi.

Ps. 33. 9.

Cum

Cum aulici promoventur, non bonæ suæ fortunæ sed meritis attribuunt honores sibi collatos, at cum illos amiserint, proprijs demeritis non ascribunt casum & ruinam suam, sed malæ suæ fortunæ, & illam incusant, imitantes agricolam, qui terræ suæ thesaurum inventum retulit, iacturam vero thesauri malæ suæ fortunæ. Quamvis aliquando non desit, nec defecit apud Plutarc. in Demetrio, qui diceret fortunæ. *Tu me extulisti, tu ipsa rursus deijcis.* IX. *Casus fortunæ.*

Nemo in aula Sapientiæ est, qui terræ vel sibi tribuat inventionem thesauri, cuius meminit Christus. *Simile est regnũ cælorum thesauro abscondito in agro,* ascribit eius inventum gratiæ divinæ. Nemo est, qui promotus ad sublimem gradum, suum ascensum ascribat proprijs meritis, qui non ingenuè fateatur. *Gratia Dei sum id, quod sum.* Quod si decidat ab honore ac dignitate, in qua constitutus erat, vitio suo hoc refert, non Deo, nec divinæ eius gratiæ, sicut videmus in Prodigo dicente Patri, *Peccavi in cælum, & coram te,* cuius virtute confessionis dignus iudicatus est, ut ad sacrum epulum admitteretur. *Donum gratiæ.* Matt. 13. 44. 1 Cor. 15. 10. Luc. 15. 18.

Non est maius meritum, quam gratiam invenisse regnantium, ut in una ex varijs scribit Cassiodor, & vir aulicus illam inveniens gratiam, sibi totam assumit ac vendicat. Cum cadit a gratia, socios quærit, ut sibi condoleant, nec reperit. Duo viatores iter faciebant, & cum alter securim reperisset, dicebat. *Inveni,* monebat socius, ut assereret, *Invenimus.* Cum paulò post aggrederentur ipsos, qui securim perdiderant, clamabat invẽtor, *Perimus.* Cui socius; *Perij dic, non perimus. Etenim & tunc cum securim invenisti, Inveni, dixisti, non, Invenimus.* X. *Gratia sine socijs. Viatores.*

Excedit humanum meritum, gratiam invenisse Dei, quam viri sancti impetrarunt, nec invident alijs, ut de eadem gratia participent, dicitque propterea David: *Particeps ego sum omnium timentium te.* Confitemur & profitemur in Symbolo esse *Sanctorum communionem* propter eorum communicationem, quę intercedit cum cæteris fidelibus. Bona Sanctorum gratia est Eucharistia, & simul sacra communio, de qua omnes participamus. Hanc non sibi soli invenit grata anima, sed etiam cæteris, cum dicat Cant. cap. 5. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo: comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.* Laudabilis Philippus est, qui dum Christum reperit, non dixit. *Inveni,* sed *Invenimus Iesum.* *Cũ socijs.* Ps. 118. 63. Ioa. 1. 45.

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharisticæ cum aula prophana.

Eneas Sylu. lib. 1. de rebus Alphonsi commendat prudentiam aulicorum, qui accepto vel mediocri beneficio, secundum status sui rationem & conditionem curiæ valè dicunt. I. *Habitatio periculosa*

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines.

Qui nimis affectus est aulæ, nullis monitis acquiescit, donec miserè perit, Similis ranæ, quę monita, ut se è periculo vię subduceret, respondit, *Firmißimè teneri huius loci consuetudine, quousque obtigit currum prætereuntem ipsam confringere.* *Rana.*

Nihil

Habitatio secura. *Pfa 26. 4.* *Pfa.22.1* *Pf. 13.3.* Nihil tutius, quam fe è mundi periculis fubducere, & in domo Dei habitare. Hoc folum appetebat David, cum diceret. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ.* Nihil effe poteft fecurius, quam fub tali Domino effe; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pafcuæ ibi me collocavit, fuper aquam refectionis educavit me.* Concludit, *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hæc felicitas eft, a qua longè abfunt mundani homines, *Contritio & infelicitas in viis eorum.*

II. *Bona expofita furibus.* *Apiarius.* Non femel, fed fæpè contingit, ut cum fures in aula fint, falvi & incolumes evadant, & qui in eos & eorum furta inquirunt, multum ab ipfa aula, cuius caufam agunt, patiantur. In mellarium ingreffus quidam, domino abfente, fauum abftulit. Hic autem reverfus, ut alueolos vidit inanes, ftans, quod in his erat, perfcrutabatur. Apes e paftu redeuntes, ut deprehenderunt ipfum, aculeis percutiebant, peffimeque tractabant. Hic autem ad eas, *O peßimæ animantes, furatum veftros favos illæfum dimififtis, me verò fatagentem veftri percutitis?*

Bona a furibus libera. *Pf. 39. 11.* Habet aula Sapientiæ favos, quos guftavit & guftandos dedit Samfon, in ore leonis fabricatos & inventos, & quos etiam reperit Ionathas, cuius virtute roboratus eft, ut pugnaret ac vinceret. Hac mellea fuavitate delinitus dicebat David: *Quam magnà multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abfcondifti timentibus te!* Abfcondita adeò eft, ut periculum non fit, ne incidat in manus furum, quos aula Sapientię nec fert, nec patitur, & hoftes eorum fovet, & auget, non infequitur ac perfequitur, quemadmodum in aula humana fieri folet, & factum eft Chrifto, qui Pf. 117. dicit, *Circumdederunt me ficut apes*, ut me inquirentem in fures, percuterent.

III. *Nihil tutum.* *Alcedo.* Alcedo avis eft folitaria, femper in mari vitam degens. Hæc venatores fugiens, nidum ftruit in maritimis fcopulis, & cum egreffa effet ad pabulum, fupra nidum elevatum eft mare, & fubmerfit nidum ac pullos perdidit. Hęc reverfa, re cognita ait; *Me miferam, quæ terram ut infidiatricem cavens ad hoc confugi, quod mihi eft infidius.* Maris inftar aula eft, a qua maius rebus ac prolibus aulicorum imminet periculum, quam aliunde poffit provenire, cum tamen ad aulam velut ad afylum confugerint.

Omnia tuta. *Pfa. 83. 1.* Hanc facram aulam confiderans Rex David, eius defiderio raptus, prorumpit in vocem muficam, & canit; *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupifcit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Etenim pafser invenit fibi domum, & turtur nidum, ubi ponat pullos fuos. Altaria tua Domine virtutum: Rex meus & Deus meus.* Non eft, cur timeat turtur aut alcedo pro fe, ac etiam pro nido fuo, fi locum habeat iuxta aras & altaria divini Regis, qui in tutamentum mentis & corporis offertur, & confertur.

IV. *Rebellio.* *Pifcator.* Pifcator in fluuio quodam pifcabatur, & ut pifces caperet, verberabat aquam, & cum increparetur, quod fluvium turbaret, refpondit, *Sed nifi fic fluvius perturbetur, me oportebit efurientem mori.* Sub nomine pifcatoris narratur fabula de potentibus aulicis, qui ut aliquid expifcentur, palatium & regnum non femel, fed fępe perturbare folent. Quæ caufa fuit quondam in Belgio, ut Princeps Auriacus & eius focij primam rebellionem & feditionem excitarent. Nec defuerunt, qui poftea eandem ingreffi viam, proditionem intentarent.

Pax. *Matt. 5. 9.* Non amat Sapientia Patris, nec effe vult in fua regali aula homines feditiofos ac perturbatores, cum dicat; *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*; & quidem cum mũdum ingreditur, *Princeps pacis eft*, quam in fuo ortu

Angeli

Angeli evulgant, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Natus est in Bethleem, natus in domo panis, cuius sacram communionem pax præcedat, necesse est. Voluit & ipse, ut & Angeli pacis essent, quos statuit esse hominum piscatores non mundi, in quo piscaturi erant perturbatores. Luc. 2. 14.

V. *Simulatio*

Multi cum sint ignobiles, de nobilitate gloriantur, & prodentes se ipsos, quales sint, contemnuntur & deprimuntur. Dum se simulant alios, quam sint, referunt simium, qui vi tempestatis iactatus in mari est, & habitus a delphino pro homine, illum sustinuit. Cum autem simius rogaretur an genere esset Atheniensis, respondit, *Claris ibi esse parentibus*. Rogatus iterum an & Piræum nosset, quo naves se recipiebant, ratus Simius de homine dicere ait & valde esse ei amicum & familiarem. Delphin tanto mendacio indignatus, submergens illum depressit & occidit. *Simius et delphin.*

Nullum hæc aula simulatorem patitur, ac proinde duo eius proceres, Petrus & Paulus uno spiritu monent, ut omnis simulatio amandetur. Monitum 1. Petri 2. hoc est, *Deponentes igitur omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes & invidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite*. Monitum vero Pauli cap. 12. ad Roman. datum est, ut sit *dilectio sine simulatione* penes eos, qui in aula veri Numinis habitant, ex quo non simulata, sed vera nobilitas pendet, libera planè ab omni fuco & dolo, qua præditi *non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*, & de ipso Deo verè aluntur & pascuntur. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*. *Prohibita* Ioa. 1. 13. 1. Pet. 2. 9.

VI. *In glorij.*

Boet. libr. 3. Prof. 5. gloriam inanem curiæ in hæc describit verba; *Gloria quam fallax semper, quam turpis est, unde non iniuria Tragicus exclamat, O gloria, millibus mortalium nihil aliud facta, nisi aurium inflatio magna*. Qualis gloria, talis & vir aulę gloriosus, qui apud alios nullius est pretij, in hunc aulicum hominem videbitur transformatus. Mercurius, cum ingressus officinam statuarij, putavit se magni æstimari, & deprehendit se in nullo haberi pretio. *Mercurius et statuarius.*

Laudemus viros gloriosos, quos habet, & magni facit aula Sapientię, sicut scribit, & describit Ecclesiastic. cap. 44. *Laudemus*, inquit, *viros gloriosos in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua a saeculo. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus*. Magna hæc ęstimatio est, magnus honor, *Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum*. Non unius vel alterius sed omnium, *Gloria hæc est omnibus sanctis eius*, pro quorum pretio se semel Christus obtulit, & semper se in ara altaris offert, ideoque monet Paulus, *Empti estis pretio magno*. *Gloriosi.* Psa. 138. 17. 1. Cor. 6. 20.

VII. *Pulchritudo parua. Musca.*

Aristippus, ut meminit in Meliss. pag. 2. Anton. cum mulierem formosam conspicatus fuisset, *Paruum malum*, ait, *sed magnum pulchrum*. Sapientius & prudentius dixisset magnum esse malum, sed pulchrum paruum. Qui pascuntur de aula paruum malum arbitrantur, sed pulchrum magnum posse frui eius delicijs, sed cum moriendum est, aliter sentiunt. In olla quadam melle effuso muscæ advolantes comedebant. Implicitis autem earum pedibus, euolare non poterant. Cum vero suffocarentur dicebant, *Miseræ nos, quia ob modicum cibum perimus*.

O Decus

Pulchritudo magna. Decus & decor in aula Sapientię est,cum cecinerit Rex David; *Dilexi decorem domus tua.* In hac decora domo magnum pulchrum est,magnũ bonum,*Quid enim bonum eius,& quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum,& vinum germinans virgines?* Sunt in frumento & vino Eucharistico virginales deliciæ,quæ homines non illaqueant, ne possint auolare ad cælestia, immo ut possint auolare,opus habent melle venerabilis Sacramenti, de quo scriptum legimus,*cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos.* Non pereunt in hoc melle animæ,quæ dignè accedunt,pereunt illæ,quæ indignè de illo participant.

Ps. 23.8. Zach. 9. 14. Ps. 80. 17.

VIII. *Otiosi.* Cum hæc scribuntur,apparent Bruxellis non pauci triũphantes ob insignes victorias armis Catholicis comparatas nimirũ ad Caloo cõtra Hollandos,contra Gallos ad Odomarum, & Burgundiam,cum tamen ipsi non prodierint ad castra, sed domi manserint. Cadit in eos fabula. Habens quidam duos canes, alterum venari docuit, alterum domum servare. *Canes.* Cæterum si venaticus aliquid caperet, domus custos particeps una cum eo dapis erat. Ægre ferente venatico, & illi obijciente, quod ipse quotidie laboraret,ille nihil laborans suis nutriretur laboribus,respondens ipse ait, *Non me, sed herum reprehende, qui non laborare me docuit,sed comesse.* Comesse norunt aulici,laborare milites.

Laboriosi Qui sunt in aula Sapientiæ,non comedunt alienos labores, & quidem Matt. 11. 28. laborantes non ociantes vocat Christus cum clamat. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis,& ego reficiam vos.* Nemo triumphat cũ Christo, qui non pugnet cum Christo,ac proinde Paulus adimplebat,quæ deerant passionibus Christi in corpore suo. Facessant hinc hæretici omnes, qui triumphare cum Christo volunt,sed non certare. *Non coronabitur, nisi qui* 2. Timot. 2.5 *legitimè certaverit*: Appositè Aug. Serm. 47. de Sanct. *Nos volumus gaudere cum Sanctis,& tribulationes mundi huius nolumus sustinere cum illis. Qui enim Sanctos Martyres,vel in quantum potuerit,noluerit imitari,ad eorum beatitudinẽ non poterit pervenire. Sed & Apostolus Paulus prædicat dicens: si fuerimus socij passionum,erimus & consolationum.*

IX. *Inemendabiles.* Habet aula molestos & morosos homines, quos cum ferre non possit, interdum pro tempore destinat illos varijs officijs & ministerijs patriæ, ex quibus nihilo meliores facti, redeunt in aulam similes vxori, quæ omnibus domesticis inimica erat, & remissa pro tempore ad parentes, in reditu rogata a marito, quomodo se habuisset, respondit. *Bu-* *Maritus & vxor.* *bulci & pastores me suspectabant*,cui ille. *Sed ô uxor, si eos odisti, qui manè greges agunt,sero autem revertuntur,quid sperare oportet in iis, quibuscum toto conversaris die?*

Decibiles Apud Laert. lib. 2. c. 5. dicebat Socrates; *Quemadmodum qui se ad studium equestre exercent,parant equos ferocioris ingenij,quos si subegerint ac perpeti possunt,cæteris utuntur commodius,ita qui morosæ coniugis mores ferre didicerit,multò facilius cum quolibet habebit consuetudinem.* Hæc causa est propter quam feram sibi elegit Synagogam Christus,& *didicit ex his quæ passus est*, nobis- Hebr. 3.8 cum consuetudinem habere, non solum in domo Ecclesiæ, & in mensa Eucharistiæ divina sed etiam humana usque ad invidiam detrahentium Luc. 5. 30 & dicentium, *Quare cum peccatoribus & publicanis manducat magister vester?* Charus Princeps & charos omnibus suos ministros amat.

X. *Inhabiles.* Quisquis aulæ non est natus,nec aptus eius officijs ac muneribus, & tamen aulicus esse vult,nihil miri est,siquando suum casum doleat. Cancer è mari cum ascendisset,in loco quodam pascebatur. Uulpes vero esuriens

ut

ut conspexit, accessit ac eum rapuit. Ille devorandus ait: *Sed ego iusta patior, qui marinus quum sim, terrestris esse volui.* *Cancer et vulpes.*

Conveniunt officia personis, quę incolunt sanctam aulam, cum Deus, qui in ea regnat, faciat ministros idoneos. *Habiles.* Nęc aliunde quærenda est alimonia, præstò est alimentum Eucharistiæ, in cuius præsentia non audent comparere hostes, *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* *Psa. 22. 6.* Cęlestis hæc alimonia est, viris cælestibus destinata, si quis terrestris accedat & pereat, imputet sibi ac dicat; Ego iusta patior, quod cum cælestis essem, esse volui terrestris.

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharisticæ cum aula prophana.



PLena est lupis aula, qui semper ad prædam inhiant. Hanc dum arbitrantur securam, & in sua esse potestate credunt, solent se dare delicijs, & præda avolat, miseris ac perditis sui prædatoribus elusis simul & illusis. Interim dum lupus in fabula tibia ludit, evasit hædus, & canes accurrunt, a quibus iam occidendus inquit; *Meritò hæc mihi fiunt, oportebat enim me cocus cum essem, tibicinem non agere.* I. *Mala delicia. Hædi et lupus.*

Non habet lupos hęc aula, qui capiant hædos, habet pastores, qui hædos convertant in agnos, peccatores nimirum in homines innocentes. *Bonæ delicia.* Non patitur homines deliciosos ac molles, quos fert aula terrena, cum dixerit Christus de Ioanne magno aulico Sapientiæ. *Quid existis in desertum videre, hominem mollibus vestitum? Qui mollibus vestiuntur, ecce in domibus Regum sunt.* *Matth. 11. 8.* Hinc absunt molles carnis voluptates, cælestes deliciæ adsunt, quas secum affert & portat Eucharistia; *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus.* Quæ deliciæ non auferunt gloriosam prædam, sed offerunt.

Dicebat verissimè Socrates, ut libr. 3. refert Laert. *Vnusquisque sibi assentator est, nec suam in se cognoscit ignominiam.* II. *Sibi placentes.* Assentatur sibi, & sibi applaudit nescio quis aulicus, quod disertus, quod prudens sit, ut administret Rempublicam, deceptus ea opinione, quod sit providus suæ domus administrator, prodit ille in publicum theatrum, cedit malè publica eius gubernatio, & exploditur. Exemplo suo suam agnoscit ignominiam, sicut & suam agnovit in fabula citharædus, qui in domo calce inscrustrata canens, resonante ipsi voce putabat valdè canorus esse. *Citharædus.* Egressus est, ut caneręt in theatro, in quo irrisus novit quam rudis citharædus esset.

Nemò hîc assentator est sui, nemo sibi applaudit, sed Deo, & si quis magnus cantor sit, non sibi placeet, sed Deo. *Sibi displicentes.* Nemo melius novit cantare, nemo præstantius cithara ludere, quam David, & tamen de se humiliter sentiebat canebatque, *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* *Ps. 130. 1.* Novit æquè regere ac canere, & tamen non affectabat gubernationem, quam inuitus accepit, & tenuit, sicut & Moses summus Reipublicæ moderator, qui deprecabatur; & rogabat Deum, *Mitte, quem missurus es.* *Exod. 4. 13.* Christus ipse *non sibi placuit*, sed *vocatus à Deo tamquam Aaron*, ostendit *Heb. 5. 4.*

dit qualiter venire debeant omnes ad sacerdotium, & publicum animarum ministerium, non sui assentatores, sed potius severi ac rigidi censores.

III. *Oracula falsa.* Apud Stob. Serm. 34. legimus Zenonem philosophum testatum de suis discipulis esse, aliquos variæ rerum cognitionis peritos, alios vero loquẽdi tantum studiosos. Ambę conditiones reperiuntur in palatio. Sunt prudẽtes aulici, sunt & loquaces, qui cum videant responsa prudentium loco oraculorum haberi, affectant & ipsi prudentiam. Sed cum illa careant, & ingenio non valeant, contemnuntur sicut & cornix, quæ coruo invidebat, & voluit illum imitari, ut augurium ex ipsa sicut ex coruo acciperetur a viatoribus, quorum unus inquit socijs: *Abeamus heus vos, cornix enim est, quæ crocitavit, & augurium non habet.*

Cornix et coruus.

Vera. Cum videant in tanto pretio & honore esse oracula sanctorũ Doctorũ & concionatorum, hæretici prædicantes affectant interdum haberi Catholici, sed quam primum deteguntur, exploduntur, quod spiritum Dei non habeant, sed fingant multa ad superbiam & fastum, quam in suis cõventibus ostẽtant. Solum in Ecclesia Catholica sunt oracula veritatis, ubi Christus consulendus est, cum sit oraculorum oraculum in cælesti & terreno sanctuario, quod loquitur in sacra Scriptura, sanctis Concilijs & Patribus, tam per divinas revelationes, quam etiam ecclesiasticas traditiones, crocitat hæresis, sed augurium certum non habet, certa mysteria fides habet.

IV. *Excitator malè habitus. Gallus.* Fures in domum quandam ingressi nihil invenerunt, nisi gallum, atque hoc capto abierunt. Hic ab eis occidendus rogabat, ut se dimitterent, dicẽs utilem esse hominibus, & qui nocte eos ad opera excitet. Hi verò dixerunt, *Sed propter hoc te tanto magis occidimus, illos enim excitando, furari nos nõ sinis.* Boni ministri excitant dormientes Principes, ut eos moneant de aulicis furãtibus, sed suo periculo. Occiditur gallus, occisus est Boet. qui lib. 1. Pros. 4. suæ sortis causam illam assignat. *Paulinum consularem virum, cuius opes palatini canes spe atque ambitione devorassent, ab ipsis biantium faucibus retraxi.*

Benè habitus. Quanto in pretio sit apud aulicos Sapientiæ excitans & admonens gallus, vel ex hoc perspici potest, quod cum D. Petrus sit Princeps Apostolorum, semel à gallo monitus suæ trinæ negationis, tanti illum fecit, ut quasi pro nobili insigni secum in imagine habeat. Cum esset in mundo cantu eiusdem galli excitabatur ad pænitentiam. Vnde sub eius tutela sunt, ne patiantur, qui more gallorum errata, & peccata notant & peccatores provocant ad quærendum remedium, quod est in Pænitentiæ atque Eucharistiæ sacramentis.

V. *Serui malè excepti.* Mira res, quod vir explosus ab aula, & quidem per ludibrium instet adhuc pro regressu, persistens in primo eius cultu & adoratione. Habet ingenium canis, qui insigniter verberatus, redit domum, blandiens percussori more Platonis, qui malè exceptus a Dionysio, aulam ęius colebat, at Diogen. ut refert Ælian. lib. 14. dixit; *Nunquam ego eo sum reuersus, unde veni, quod solent canes.* Cum esset cornix invisa Mineruæ sub vana spe futurę reconciliationis ad canis usque admirationem, qui malè exceptus regreditur, eam colebat.

Sus et Minerua.

Filii bene excepti. Hæc aula filiorum Dei est, in qua more filiali tractantur, & sustentantur. *Verè panis filiorum, non mittendus canibus*: nimirum eis, qui caninis moribus sunt, & ita rebus terrenis adhęrent, ut etiam male ex-

lè excepti, & malè a mundo tractati, non desinunt esse mundani affectu & voto, vel in casu desperato, sicut esse putabatur cornix apud Minervam, quæ eam nihilominus honorabat & adorabat. *Te oportet adorari Domine*, in cuius aula semper est aperta porta veniæ. Baruch. 6. 6.

VI.

Coruus cibi indigens, ut serpentē in aprico quodam loco dormientem vidit, hunc devolando rapuit. Hic cum se vertisset, ac momordisset ipsum, coruus moriturus dixit, *Me miserum; qui tale reperi lucrum, ex quo etiam pereo.* Sunt sæpè in aula, qui alios incuriosos devorare volunt, & deglutire eorum bona, sed tale inveniunt lucrum, ut ex eo se perdant & pereant. Exemplo sit Amanus, qui Mardochæum & populum ac simul eorum bona vorare tentavit, & ex tali lucro vitæ suæ, domus, familiæ, ac facultatum iactura principium & finem habuit. *Lucrum malum. Coruus & serpens.*

Bonum.

Foris carnivorus corvus, qui alitur de serpente, foris serpens, qui corvum mordere novit. Habet hæc aula aves, habet animas, quæ aluntur de carne Christi, nec admittit mordaces homines, scribitque propterea Apostolus ad Galat. cap. 5. Omnis lex in uno sermone impletur. *Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod si invicem mordetis & comeditis: videte ne ab invicem consumamini.* Nemo hîc perdit alium, omnes alijs prodesse volunt, unius lucrum alterius est emolumentum. Voluit Ioannes, ut sui ipsius diminutione Christus augeretur, & ut eius Ecclesia cresceret, vellet ipse decrescere.

VII.

Non desunt, qui cum natura & ignobili conditione nati non sint ad aulam, mores eius induant, & honores acquirant: noti, ex ea pellūtur, expulsi suæ conditionis & etiā professionis socijs sint ingrati, a quibus tamquam ignoti habeantur & tractentur. Hoc accidit monedulæ, quæ se finxit aliquando columbam, ut in columbarium admissa pasceretur, sed detecta inde depulsa, atq; reversa ad socias, repulsam quoque ab eisdem passa est. *Reiecti. Monedula et columba.*

Omnis homo caro est, & tamen *panem Angelorum manducavit homo*, nec tamen Angelis notus ab eorum consortio reijcitur, sed admittitur. Novit conditionem cælestium Angelorum Paulus, & induit eorum mores, ut in carne gratior foret, *In carne ambulantes non secundum carnem militamus.* Hoc est abnegare seipsum, ut totus angelicus fiat, monetque propterea Christus, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Similes sibi vult suos, qui norūt se abnegare & exinanire. *Quod si sal evanuerit, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Ps. 77. 25. *Admissi.* 2. Cor. 10. 3. Luc. 9. 23.

VIII.

Qui nati sunt servituti, & volunt liberè dominari, experientur infortunium, quod narrat fabula de monedula. Cum ad suum nidum convolasset circum voluto ramis vinculo, evolare haud valens, moritura secum loquebatur, *Me miseram, quæ apud homines non ferens servitutem, incautè me vita privavi.* *Servi. Monedula.*

Liberi.

Non sunt nati servituti, sed libertati, qui serviunt Deo, siquidem servire Deo regnare est; propterea Rex Regum est, & Dominus dominantium. Reges quippe dominantes sunt, qui Domino famulantur. Nemo hanc cupit deserere servitutem, quę præferenda est omni libertati mortalium: nemo delicias huius libertatis, quæ excedunt omnem terrenam voluptatem, *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus.* Regibus scilicet, qui experimento didicerunt Regi regum servire, & simul regnare. Foris qui iugum fregit & dixit: *Non serviam.* Ierem. 2. 20.

Cum viveret in aula Seneca & mendaces esse aulicos deprehenderet,

invidens Lucillo Epist. 4. exclamat, *O te hominem felicem, quod nihil habes, propter quod quifquam tibi tam longè mentiatur, nisi ubi etiam caufa fublata est, mentimur & confuetudine.* Hæc confuetudo est, unde exulat planè veritas.
Mercurius. Ex fuggeftione Mercurij dicitur Iupiter in omni arte mifcuiffe aliquid mendacij, & cum multum fupereffet, totum dediffe futoribus, *Atque hinc contigit artifices omnes mentiri, maximè vero omnium futores*, fed maximè aulicos impofteres.

Veraces. Deus veritatis in aula Sapientiæ eft, qui veritatem fuam per fuos diftribuit miniftros, & idcirco omnes veri funt atque veraces, vera docent, & vera myfteria tractant. Benedictus Deus veritatis, quæ in minifterijs fuorum apparet, & in facris myfterijs altaris refplendet. *Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ftas, terra fancta eft*, quæ non fert mendaces futorum moresnec complurium aulicorum.

X. *Impudici.* *Iupiter.* Exulat ab aula pudor, fi habet Diogenes fcholam, a qua pudorem & modeftiam procul ire ille iubebat, ubi amor indecorus ac turpis prævalebat. Cum pudor iuffus effet à Ioue intrare ad homines, & reftitiffet, tandem ait, *Sed ego fanè his ingredior pactis, fi amor non ingrediatur: fi ingrediatur, ipfe exibo quam primùm. Ex hoc profectò euenit omnia fcorta invetecūda effe.*

Casti. Phil. 4. 5. 2. Cor. 10 1. Ioa. 13. 1. Conveniunt amor caftus & pudor, uterque reperitur in aula Sapientiæ, unde & amatores pudici monentur: *Modeftia veftra no[illegible]fit omnibus hominibus.* Quid modeftius Chrifto? *Per modeftiam Chrifti:* fo[illegible]t Paulus petere & petita obtinere. *Ante diem feftum Pafchæ fciens Iefus, quia venit hora eius, cum dilexiffet fuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, & tunc pedes lavit & inftituit Sacramentum, non iuit foras pudor, fed manfit focius divini amoris. Et cum carnem fufcepit ex Virgine, virgo chara & gratiofa, tota pudica, ac verecunda defcribitur. Adhuc & Maria Magdalena, *ftans*
Luc. 7. 47 *retro fecus pedes* tota pudica fuit, & adfuit amor, *quoniam dilexit multum.*

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharifticæ cum aula prophana.

I. *Terreni.* *Iupiter.* QUi fua gaudebant domo, fi femel ad aulam veniant, & fortè ab illa excludantur, domus propria, quæ antea ita placebat, pro onere iam habetur, ad quam ire, & ad quam fe recipere iubentur. Cum ferò teftudo veniffet ad nuptias Iouis, rogataque cur ferò veniffet; refpondit: *Domus chara, domus optima*, iratus Iupiter damnauit eam, *ut domum baiulans circumferret.*

Celeftes. Pf. 83. 1. Pf. 44. 13 Domus chara, domus optima terrena non eft, fed cæleftis, cuius auidus dicebat David, *Quam dilecta tabernacula tua.* Vocatur ad eam anima, quam monet idem Rex, ut deferat paternam domum; *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & oblivifcere populum tuum, & domum patris tui.* Præluxit exemplo Abrahamus, cui Deus iuffit, ut ex cognatione, & domo patris egrederetur. Fecit nuptias filio Deus, invitavit, & quotquot fuis villis ac domibus adhæferunt, nec venerunt, non fuerunt digni, ut in aulam fanctam Sapientiæ admitterentur, & levarentur ab onere per gratiam eius,
Matth. 11. 18. qui clamat, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eftis.*

Si

Si quis, aulicus læsus & offensus sit a potentioribus, de quibus sumere vindictam nequit, contra infirmiores per dolos & fraudes agit, ut in eos, deseviat. Refert in eo lupum, qui morsus à canibus, ab oue petebat aquam, non cibum. *Si enim tu mihi*, inquit, *dederis potum, ego cibum mihi ipsi inveniam.* Illa re cognita ait; *Sed si ego potum do tibi, tu & cibo me uteris.* II. *Mordaces.* *Lupus et ovis.*

Morsus à canibus Christus fuit, à quibus Iesus cum non sit lupus, sed agnus, non petit potum, sed illum offert, & præbet de se ouibus suis cibum; *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, proinde nos sumus *populus eius, & oues pascuæ eius:* Ille ipse, qui dat escam & potum, dicet aliquando ovibus, *Esurivi & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi potum*, ut cedat in earum gloriam. *Mutes.* Ioa. 6. 56 Psa. 94. 6. Matt. 25. 42.

Non benè sibi consulunt, qui cum potentioribus rem habent, & parùm sapiunt, qui impotentibus adesse volunt. Lepores olim belligerantes cum, aquilis, invocarunt in auxilium vulpes, hæ autem dixerunt, *Vobis auxiliaremur, nisi sciremus, qui vos estis, & cum quibus bellamini.* III. *Malum bellum* *Lepores.*

Nullum in hac aula impotentium cum potentibus dissidium, nullum inter lepores & aquilas bellum, mutuò sibi sunt auxilio, contra principes tenebrarum, quos virtute gratiæ debellant, confirmati sacra Eucharistia, cum scriptum sit, *Escam dedit timentibus se*, ut timidis assistat, excitet, & confirmet ad prælium habendum cum morte, & funestæ mortis auctore. *Vbicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*, congregabuntur & lepores. *Pax bona* Ps. 110. 5. Luc. 17. 37.

Ne credas cupido pecuniarum, etsi videatur corrigere se, & sibi temperare, natura namque pravi etsi speciem transmutaverint, mores non mutant. Quæ nunc formica, homo olim fuit. Hic agriculturæ assi duè incumbens, non erat proprijs laboribus contentus, sed & vicinorum fructus surripiebat. Iupiter autem indignatus huius habendi cupiditate ttansmutavit eum in hoc animal, quæ formica appellatur, sed cum mutasset formam, mores non mutavit. IV. *Incorrigibiles.* *Formica.*

Hæc est vis divinæ gratiæ, ut cupidos pecuniarum omninò mutet, & mores eorum transmutet; quemadmodum in Mattheo & in Zacchæo, comparet. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi*, ut qui instar formicæ erat, fiat homo munificus ac liberalis, *Dispersit, dedit pauperibus.* Fidelis seruus & prudens, quem statuit & constituit Dominus super familiam suam, *ut det illis tritici mensuram* tam intra altare; quam extra altaris aras. *Corrigibiles.* Ps. 76. 11. Ps. 111. 9. Luc. 12. 43.

Vespertilio avem & murem refert, & cum caperetur velut avis, se murem esse dicebat, & cum discrimen subiret tamquam mus, avem se esse testabatur, & hoc pacto extremum evasit periculum, Hic mos aulicorum est, qui tempori serviunt, modò Cæsariani, modò Pompeiani, prout tempus exigit, non ratio, quam secutus Cato, non evasit. V. *Seruiētes tempori.* *Vespertilio et mustela.*

Non tam tempori, quam rationi servitur in aula Sapientiæ, monetque propterea Petrus Princeps Apostolorum, *ut rationabiles sine dolo* fiamus, & coapostolus eius Paulus a nobis exigit, *rationabile obsequium*, & subiungit. *Nolite conformari huic sæculo*, in quo non attenditur ratio, sed tempus. Rationabilis hostia, quæ sacra Eucharistia est, nobis datur & administratur, ut discamus rationi non tempori deservire, semper existentes veri ac fideles Christiani. *Seruiētes rationi* 1. Pet. 2. 2. Rom. 12. 1.

Si spectes aulicos primò aspectu videntur aliquid magni esse, sed cum curiosius examinantur, quandoq; parvi pretij esse censentur. Viatores eminus in mari contemplati sunt sarmenta natantia, & putarunt esse mag- VI. *Homines nihili.* *Viatores.*

magnam navem, dein scapham, & cominus esse sarmenta spectantes dixerunt; *Vt nos igitur frustra, quod nihil est, expectabamus.*

Homines magni. Secus accidit in aula Sapientiæ, homines qui nullius esse æstimationis & pretij indicantur, si religiosius inspiciantur, æstimabiles planè sunt & spectabiles, quibus dignus non est mundus, dicentque aliquando mundani, *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* Latet sub parvitate magnitudo Sanctorum, immo & ipse Sanctus Sanctorum, cum sit summè magnus, sub parva hostia continetur, colitur & editur. (Sap. 5. 4.)

VII. *Beatitatis apparētia. Asinus silvestris.* Felicitas mundanæ aulę multis malis obnoxia est, etsi prima facie res appareat deliciosa. Asinus silvestris asino viso domestico in loco quodam aprico, profectus ad ipsum beatum dicebat, & corporis bona habitudine, & cibi perceptione. Deinde verò cum vidisset eum ferentem onera, & agasonem retro subsequentem, & baculis ipsum percutientem ait; *Ast ego te non amplius beatum existimo. Video enim non sine magnis malis habere te felicitatem.*

Existētia. Satis hoc mirabile est; ut quę est beatitudo Sanctorum, stare possit cum malis paupertatis & inopiæ, *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* (Matt. 5. 3) Cum laboribus & persecutionibus, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* (Mat. 5. 10) Hoc autem inde provenit, quod felicitas ipsorum tota in Deo posita est. *Beatus populus, cuius est Dominus Deus eius,* (Ps. 145. 15) cum de ipso vivat & alatur. Cum malis magnis esse felicitas potest, si Deus adest, cum magnis bonis infelicitas reperitur, quoties Deus abest.

VIII. *Verba insipientiū. Asinus & vulpes.* Multi diserti, multi prudentes in aula esse censentur, sed cum fiunt de Consilio, deque negotijs publicis loquuntur, produnt seipsos, quales sint. Asinus indutus pelle leonis, vagabatur reliqua bruta perterrens. Cæterum visa vulpe, tentavit & hanc perterrefacere. Hæc autem (casu enim ipsius vocem audierat) ad ipsum ait; *Sed & benè nosti, quod & ego te timuissem, nisi rudentem audivissem.* Rex similis leoni est, & multi sub nomine ac titulo regio sic perterrere conantur.

Verba sapientium. *Sapiens in verbis producit seipsum,* (Eccl. 20. 29.) & dum loquitur, suipsius proponit effigiem spectabilem & venerabilem. Hoc ipsum elucet in Christo, qui in verbis consecrationis seipsum profert ac producit sub accidentibus panis & vini, in quibus sanctè ac rite colitur, & ab omnibus Catholicis adoratur. Procul hinc insipientes hæretici, qui voce idololatrię terrere cultores Eucharistiæ volunt, quales autem sint ipsi, novimus.

IX. *Querela de onere. Asinus et rana.* Cum vir antiquus in aula tyronem segnem ob exiguum laborem gementem cerneret, Asinus, inquit, ligna ferens, pertransibat paludem quãdam, lapsus autem dum decidit, nec surgere posset, lamētabatur. Cui ranę, Heus tu, dixerunt; *Et quid faceres, si tanto hic tempore, quanto nos, fuisses, quum quia ad breue tempus cecidisti, sic lamenteris?* Infelix aula, in qua cadenti ut surgat, non porrigitur manus, ridetur potius, qui cadit & irridetur.

Leuamē. Nemo sub onere Christi cadit, cum dixerit in Euangelio, *Iugum meum suave est & onus meum leve.* (Matt. 11. 29.) Quod si interdum propter infirmitatem nostrã nonnihil videatur graue, idem ipse levamen oneris ostendit, & ad illud invitat, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* (Matt. 11. 28.) Quod siquis ruat Deus *supponet manum suam, & non collidetur.*

X. *Ridiculosa acclamatio.* Res invidiosa esse solet acclamatio, sed homini, qui non novit, quam sibi assimilentur arrisio, & irrisio apud aulicos. Asinus ulcerato dorso in prato quodam pascebatur. Coruo autem insidente ei, & vlcus percutiēte, asinus

asinus rudebat ac saltabat. Sed agasone procul stante ac ridente, lupus preteriens ipsum vidit, & dixit. *Miseri nos, quos si tantum viderint, persequuntur, huic autem & arrident.* *Asinus & coruus.*

Qui Sapientiæ Patris serviunt, in persecutione acclamantur ac beatificantur, *Beati qui persecutionem patiuntur*, non in risu mundano, sed in fletu applausum habent: *Beati qui lugent.* Nec curant si quando mundus irrideat, cum illis Deus arrideat. Christus ipse sæpè irrisus est, tunc maximè cum Eucharistiam promulgavit, nec curavit, damnavit autem risum mūdanum, *Væ vobis qui ridetis.* Hic est risus de quo Salomon. *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid frustra acciperis?* *Gloriosa.* Matt. 5. 10. Luc. 6. 25 Eccl. 2. 2.

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharisticæ cum aula prophana.

NUlla fides est, ubi nulla societas nulla conventio secura est, si periculum immineat. Convenerunt asinus & vulpes, ut simul venarentur, inciderunt in leonem, & vulpes prodidit socium, & ipsa cum socio perijt. Sic accidit ijs, qui ex conventione furantur. Cum res venit in notitiam Regis, unus alium prodit, ut euadat, non euadet, pænas cum socio dabit. I. *Conuētio stulta. Asinus et vulpes.*

Nullus in hac aula reperitur, ut stultas & fraudulentas celebret huiuscemodi conventiones, ac proindè non habet locum hìc, quod alibi scriptum est, *simul insipiens & stultus peribunt.* Quotquot sapientiam sequuntur, fideles sunt Deo & proximis, mutua eorum fidelitas tunc maximè elucet, cum imminet periculum vitæ. Cum esset in hoc discrimine Christus, Sacramentum suum condidit, nimirum *mysterium fidei*, ut qui illud participarent, illam servarent etiam in extremo articulo mortis. Quæ non rapuit, exolvebat, qui socios suos Apostolos prodere Pontifici renuit. *Sapiens.* Psa. 48. 11

Videmus aulam foventem proditorum soboles, quæ nuper in Regem & patriam pariter conspicarunt, & damnatæ sunt perduellionis. Cum promoverentur, fuit non nemo, qui narraret, & quidem appositè. Gallina serpentis ouis inventis, diligenter calefacta exclusit. Hirundo autem cum eam vidisset, ait. *O demens, quid hæc nutris? quæ cum excreverint, a te prima iniuriam auspicabuntur.* II. *Perduelles. Gallina et hirundo.*

Christus dignatus est conferre se cum gallina; *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos tuos sub alas, & noluisti.* Non fovet, nec excludit oua serpentis, quæ pullos quærit & amat, ut eos a miluis rapacibus tueatur, nutriat & alat de sanctissimi Sacramenti grano ac frumento. Proditor Iudas fuit, qui indigne communicavit, eius soboles sunt animæ indigne accedentes, quę statim morti addicuntur. *Fideles.* Luc. 13. 34.

Oportet Principem se mitem ac mansuetum exhibere, sed si laxa, ac deside clementia laboret, similis camelo redditur, de quo fabula. Quum primum visus est camelus, homines perterriti, & magnitudinem admirati, fugiebant: ubi vero procedente tēpore cognoverunt ipsius, mansuetudinē, confisi sunt eo usque, ut ad eum accederent. At intellecto paulo post belvę non esse bilem, eo contemptus venere, ut & fræna ei imponerent, & pueris agendum traderant. III. *Nimia clementia* *Camelus.*

Christus

Tēperata. Christus mitissimus est, *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Agnus est Dei, & tamen gaudet titulo leonis, ut modo agnum, modo se ostendat leonem. Qualis ipse, tales & suos esse desiderat, *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram,* monentur tamen, ut cum fuerit opus, indignentur; *Irascimini, & nolite peccare.* Coli quoque vult Agnus in Sacramento; qui secus faxit, *reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Procul hinc omnis contemptus, omnis error; *Effusa est contemptio super Principes, & errare eos fecit in invio, & non in via.*

Matt. 11. 29. Matt. 5. 4. Ps. 4. 5. 1 Cor. 11 27. Psa. 160. 40.

IV. *Origo contemptus. Serpens.* Serpens à multis hominibus pessumdatus, Iouem postulavit. Iupiter autem ad eum dixit, *Sed si qui prior conculcavit, pupugisses, nequaquam id facere secundus aggressus fuisset.* Sic solet accidere dominis, qui servis suis omnia permittunt, ut ab ipsis contemptui habeantur, & cum adhibere remedium curant, non succedat.

Principiũ æstimationis. Qui verè serviunt Deo, quò plura ipsis licent, eo pluris Deum faciunt ut apparet in his, quibus sacra datur communio, & frequentior eius usus non parit Christi contemptum, sed maiorem reverentiam & æstimationem. Primi, qui in Deum peccarunt, angelus & homo pænas dederunt, & Iudas, qui primus in sacram Eucharistiam deliquit, graviter luit.

V. *Columba. Amor apparẽtium.* Columba siti correpta, ut vidit quodam in loco poculum aquæ depictum, verum rata, atque multo elata impetu imprudens in tabulam offendit, ut & pennis ipsius perfractis in terram decideret, atque a quodam occurrentium caperetur. Hęc sors aulicorum est, qui vana sequentes, ad terrena declinant, sursum aspirare nequeunt, deorsum vergunt.

Amor oppositus. *Qui sunt isti, qui ut nubes uolant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Assuetus aulæ humanæ ista rogat Isaias, cum videret veritatis amatores sursum ascendere, sursum volatum edere, more Davidis Regis dicentis de se; *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Hæreticus est, qui ficta rapitur cæna, terrena sequitur, & cælestia meditari nequit. Alia est Catholica anima amatrix veritatis, quæ de verò pane alitur, & vero Christi sanguine reficitur; *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus,* ante cuius consacrationem monemur, ut *sursum corda* habeamus, & in cælum avolemus. Procul hinc *seducta columba non habens cor,* quæ illud habet sursum ad Dominum habeat.

Isai. 6.08. Ps. 54. 7. Ioa. 6. 56 Oseæ. 7. 11

VI. *Columba et cornix. Dolor ex prolibus.* Columba in columbario quodam nutrita fæcunditate superbiebat. Cornix verò ea audita ait: *Sed heus tu, desine hac re gloriari: nam quò plures paris, eo plus meroris accumulas.* Gloriantur quoque aulici tam in multitudine prolium, quam in copia famulorum, dum plures habent, plus habent doloris, & molestiæ, multum curæ ac sollicitudinis, parum obsequij, & penè nihil servitij, maximè cum eorum opera indigent.

Gaudium ecclesiæ. Ritè & rectè potest Ecclesia multitudine gaudere prolium, quas non parit in dolore, sed in lætitia & exultatione. Mystica columba est, & spiritales eius soboles, quo plures fuerint, eo plus afferunt gaudij & alacritatis, unde & alacer dicebat Paulus, *Gaudium meum & corona mea.* Nec est cur sit anxia de alimento filiorum, quos sacra nutrit Eucharistia, *Verè panis filiorum,* & Christus ipse monuerit, *Nolite solliciti esse animæ nostræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.*

Phil. 4. 1. Luc. 12. 22.

VII. *Pecunia terrena.* Cum multa in aula desint, in defectu pecuniæ aulici maximè lamentantur. Huc pertinet illud Iuuenal. Satyr. 15. *Ploratur lachrimis amissa pecunia veris. Et maiore domus, gemitu maiore tumultu Planguntur numi, quam fama.* Nec ita sentiunt nec dolent de morte suorum, quam de inopia nūmorum

Dives

Dives duas habens filias, altera mortua, præficas conduxit, quum verò altera filia dixisset. *Vt nos miseræ ipsæ, ad quas portinet luctus, lamentari nescimus, hæ vero non necessaria vehementer plangunt*: mater ait, *Ne mirare filia, si hæ ita lamentantur, nam numorum gratia id agunt.* *Dives.*

Non conducit ad fletum Sapientia, sed ad gaudium per oblationem pecuniç, non terrenæ, sed cælestis, *Exijt primo manè conducere operarios in vineam suam, & facta conventione ex denario diurno misit eos in vineam suam.* Cum verò sua divisisset talenta, sedulo negotiatori inquit, *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis intra in gaudium domini tui.* Cum eos invitet ad gaudium, providit illis de cibo, qui præbet delicias sumentibus, & de vino, quod lætificat cor hominis, ut mutuò sibi stipendium & alimentum respondeant. Vtrumque cæleste est, & utrumque beat animam. *Cælestit.* Matt. 20. 1 Matt. 25. 23.

VIII. Nuper conspirarunt, & a Rege suo defecerunt Principes aliquot, insigniti vellere aureo, & regijs muneribus aucti. Dum ita locuplerarentur, Regis sui dominatum dilacerare conabantur, vellus quoque aureũ, quod acceperant, in manibus externi Principis turpiter resignarunt, tantæ se nobilitatis insigni nudantes & exuentes. Referebant in se oues, quæ dum nutrirentur a pastore, eius vestem lacerarunt. Pastor, ut quod factum erat vidit, *O pessima, ait, animalia, vos cæteris vellera ad vestes præbetis, & me verò, qui vos nutrio, etiam vestem surripuistis.* *Abutẽtes aureo vellere.* *Pastor.*

Sic vos non vobis, vellera fertis oues.

Deus nos vellere insignit aureo: & simul agno Eucharistiæ, nutrit nos cælestibus Sacramentis, & siquis vestem Dei, quç sancta est Ecclesia, corrumpat, e grege & gremio populi Christiani amandatur, & excommunicatur. Confirmat assertum S. Petrus M. & Episcop. Alexandrin. cælesti revelatione, in qua testatur vidisse se Christum lacera veste, quam Arrius corruperat, & propterea perpetuo anathemate a Deo percussum esse. Procul ab Ecclesia ouis morbida, quç vestem boni pastoris dilacerat. *Bene utentes.*

IX. Aulici rebus parvis inhiantes, contenti bonis prçsentibus, cum sint tam parua & exigua, futura maiora in cçlo, non curant. Similes profecto piscatori, qui demisso reti in mare, cepit paruum piscem rogatusque ab ipso ut dimitteret, donec cresceret, & maior esset, inquit; *Sed ego demens fuerim, si quod in manibus est, misso lucro, licet sit paruum, expectando etiam magnum spem:* Ubi pisces parvi vorantur a magnis, malè se sua parvitate defendit pisculus, ne voretur. *Addicti rebus paruis.* *Piscator & cetrrat.*

Qui sunt de aula Sapientiæ, terrena non sapiunt, nec amant præsentia, sed futura, cum audiant Christum dicentem. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Renuntiare quis debet vitç pro vita futura, cuius certum pignus est sacra Eucharistia, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Expectat Christus piscem ut crescat, non ut ipsum comedat, sed ut ab ipso comedatur, cum dixerit Augustino, *cibus sum grandium, cresce, & manducabis me.* *Addicti rebus magnis.* Luc. 14. 33. Ioa. 6. 59.

X. Referunt aulici equos, rustici asinos onerarios. Rustici rogant, ut nonnihil eos ab oneribus allevent, si negent, & rustici pereant, Væ ordini equestri. Cum rogatus equus, ut tolleret aliquid oneris ab asino, & renuisset, herus, mortuo præ pondere iumento, totam sarcinam simul cum pelle asini deposuit in equo, qui gravatus onere clamabat. *Hei mihi miserrimo! quid mihi obtigit afflicto! quia enim parum oneris nolui accipere, ecce omnia gesto, & pellem.* *Onus priuatum.* *Equus et asinus.*

Mutuò se levant in suis laboribus & oneribus viri fideles, quos sui officij *Cõmune.*

monet

Gal. 6. 2. monet Apostolus, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Christus ipse non recusat suscipere in se, & supra se sarcinas peccatorum,
Psa. 37. 5. cum dixerit, *Sicut onus graue gravatæ sunt super me.* Dixit quoque propterea
Isai. 9. 6. Isaias: *Factus est principatus eius super humerum eius.* Et ipse in Euangelio,
Matt. 11. 28. ait; *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Qui suscipit in se onera accepit sibi pellem S. Bartholomæi, ut & ille magis esset ad iter cæleste expeditus.

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharisticæ cum aula prophana.

I. *Anceps affectio. Homo Satyrus.*

INtra aulam affectio anceps & dubia est, aura ibidem iam frigida, iam calida. Homo quidam admovit ori manus, ut eas calefaceret, sed paulò post edulio calido allato admovit illud ori, ut frigefaceret. Cum hoc advertisset Satyrus. *Sed ego*, ait, *ex nunc renuntio tuam amicitiam: quia ex eodem ore & calidum emittis & frigidum.*

Certa. Reprobum os, & reproba lingua est, quam describit Iacobus Apostolus cap. 3, *In ipsa benedicimus Deum & Patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio.* Concludit. *Non oportet, fratres hæc ita fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Numquid potest, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. Quis sapiens & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.* Fons & origo sanctæ huius mansuetudinis sacra Eucharistia est, in qua offertur, & confertur divinus agnus, cuius amor & amicitia secura est.

II. *Dissonant factis promissa.* Non est tutum refugium aulæ, in qua speciosa verba dantur, rebus non confirmantur, promissis adversantur. Hinc fit, ut si fortè quis evadat, non debeat agere gratias aulæ, sicut nec vulpes homini lignatori, ad quem confugit, ut effugeret venatores. Cum recepisset in suum tugurium vulpem, & rogaretur a venatoribus an nosset, ubi illa esset, voce negavit se scire, sed manu locum eius demonstrabat. Cum venatores non advertissent, abierunt. Post eorum abitum insalutato lignatore vulpes discedebat, quæ cum ingratitudinis argueretur, respondit; *Heus tu, ego verè egissem tibi gratias, si verbis similes & manuum gestus & mores habuisses.*

Vulpes et lignator.

Consonāt. *Sapiens in verbis producit seipsum*, qualis in verbis, talis & in factis evadit.
Eccl. 20. 7 *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Christus gloria-
Mat. 5. 19 tur in eo, quod verbis ac promissis stet; *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Consecrando se promisit, quid esset passurus in cruce, sicut promisit, sacram suam passionem consummavit. Ritè ac rectè Sacerdos recognoscit hîc esse tutum refugium, oratque supplex in Missa, ut sibi sit Sacramentum *tutamentum mentis & corporis.*

III. *Cultus perditus.* Sunt in aula quædam numina, a quibus per cultum & adorationem nihil impetres, profuturus magis, si talia numina parvi pendas. Homo quidam ligneum habens deum, à quo nihil obtinebat; perfregit eius statuam,

tuam, ex cuius capite effluxit aurum, quod cum colligeret perfractor, exclamavit; *Perversus es, ut puto, & ingratus, colenti enim mihi nequaquam profuisti, verberanti autem te multa donasti bona.* Quæ causa esse solet, ut in aula benè agentes malè proficiant, malè autem agentes proficiant benè.

Unum cole Deum, qui suos cultores ditat & auget, ut videre licet in primis Patriarchis, ideoque, inquit senior Tobias iuniori, *Habebimus multa bona, si timuerimus Deum.* Habuit illa Obededon, cum arcam apud se habuit. Hæc est Eucharistiæ umbra, ex cuius cultu provenit summa bonorum copià. Hinc felicitas Augustæ domus ortum & originem duxit, cæpta a Rodolpho, transmissa & translata ad tot Augustos Cæsares & Reges simul Catholicos cum hæreditario cultu & observatione eiusdem venerabilis Sacramenti, quod veneranti se quantum profit, bona data & conservata testantur, nec non hostes Austriacorum hæretici perduelles fracti & cæsi contestantur. *Cultus lucrosus.* Iob. 4. 23.

IV. *Gratia humana. Homo & canis.*

Non est idem ingressus & egressus ab aula, proinde nuper non nemo dicebat per ostium se in aulam intrasse, vereri tamen se, ne per fenestram palatij dimitteretur & eijceretur similis cani, qui benè cænatus proiectus è fenestra dixit socio, *Multo potu inebriatus supra satietatem, ne ipsam quidem viam, qua egressus sum, novi.*

Gratia divina.

Non secus ac vinum inebriat Principum gratia, cœlestis Dei amicitia nō reddit ebrium hominem, sed sobrium, qui semper præ oculis habet, per quam intraverit viam in tanti Principis animum. Gratiosus suo Regi erat Petrus, qui & meminerat se ex piscatore factum esse Principem Apostolorum; eiusque Coapostolus Paulus memor sui semper erat, atque dicebat; *Gratia Dei sum id, quod sum.* Hæc est ad gloriam via, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, & ambæ ab Eucharistia pendentes, cum per Eucharistiam intret in gratiam anima, egrediatur ad gloriam. 1. Cor. 15. 10. Psa. 83. 12.

V. *Inquisitio in auctorē iniuria. Bubulcus.*

Non semel, sed sępe accidit, ut cum quis inquirat in eum, qui se ac sua lęsit, & sumere vindictam velit, noverit damni sui auctorem Principem, & doleat se tam curiosum fuisse. Sicut & doluit bubulcus incidens in leonem, qui vitulum ex armento devorandum arripuerat, & timuit ne suæ inquisitionis pænas daret, & ab ipso devoraretur.

Condonatio. Luc. 6. 28.

Sapiens cum se sentiat læsum & offensum, non inquirit in auctores sui damni, sed illis condonat iniuriam, orando pro ipsis Deum: iuxta illud Euangelij, *Orate pro calumniantibus vos,* Oramus & dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Cui præcedit postulatio, ***Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*** Dignus fit cælesti pane, qui novit iniurias condonare. Condonator iniuriarum inveniet in Eucharistia agnum, illarum vero ultor incidit in leonem.

VI. *Damnata innocētia.*

Apud Laert. libr. 4. cap. 2. cum Xenocrates passerem, quem accipiter persequebatur, in sinum suum conijcientem se ac recipientem fovit & dimisit asserens innocentem non esse prodendum, nec reijciēdum. Apud aulicos vero mundanos locum habent accipitres, habent corvi, non passeres, nec columbæ.

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Coruus.

Quam vero sint indigni corvi, venia narrat fabula. Coruus ægrotans ait matri, *Mater precare Deum, nec lamentare.* Ea vero respondens ait; *Quis Deus ô fili miserebitur tui? cuius enim tu carnes non es furatus?*

VII. *Defensa.*

Procul hinc corvi & accipitres, tamquam immunda volatilia, lege divina damnata, secus passer & columba; *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur*

Ps. 83. 4. *turtur nidum, altaria tua Domine virtutum.* Fovet in altari Deus animas,
Psa. 23. 4. quæ in eius se conijciunt sinum, ideoque scriptum est. *Quis ascendit in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus,* & ut talis
Ps. 25. 6. evadat sacerdos, inquit, *Lavabo inter innocentes manus meas.* Non prodit innocentem Christus, qui cum innocens esset, & reiectus & proditus est a
Psa. 26. 2. corvis, de quibus queritur, conveniunt, *ut edant carnes meas.*

Damnum calami. Aquila. Multis scribis aulæ plumæ extremam perniciem attulerunt, quod prædæ inhærent. Super petram aquila sedebat, leporem captura, hanc autem quidam percussit sagitta, quæ intra ipsam ingressa est, & simul pennæ intromissæ, & peritura dicebat; *Et hac mihi altera mæstitia est, quod propriis pennis interea m.* Hoc accidit aulicis, cum ex suis propriis chartis & scriptis convincuntur, & puniuntur.

VIII. *Emolumētum.* Sunt in aula Sapientiæ sagittæ, sed salutis, *Sagitta salutis Domini;* pennæ sunt, sed salutares, *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ & sanitas in pennis eius.* Has sibi plumas optabat & postulabat David, *Quis dabit mi-*
4. Reg. 9. 17. *hi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Accipit moriturus has plu-
Mal. 4. 2. mas, cum accipit Eucharistiam, ut volet, & in pace requiescat, Ne timeat
Psa. 54. 7. ictum mortis, cum sit æternum victurus. *Scribe, Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Improuidi Similes cicadis aulici, qui delicijs ac voluptatibus vacant, nec sibi provident de rebus necessarijs ad vitam, unde fame pereant, necesse est, non admissi, sed repulsi ab ijs, qui magis sibi consuluerunt & providerunt. Cicada petebat a formicis cibum tempore hiemis, responderunt. *Cur æstate*
Cicada et formica. *non colligebas alimentum?* hæc ait; *Non eram otiosa, sed canebam musicè:* tum hę ridentes dixerunt, *Si æstate modulabaris, hieme salta.*

IX. *Prouidi.* *Vade ad formicam o piger,* ut discas tibi imposterum providere. Hoc
Prou. 6. 5 monitum Sapientiæ est, iuxta quod prudentes virgines sibi consuluerunt,
Deut. 32. 28. secus fatuæ & imprudentes, quibus similis gens Hebræa erat, de qua Moyses, *Gens absque consilio est & sine prudentia, utinam saperent, atque intelligerent, ac novissima providerent.* Providus sibi Christus, & etiam nobis, qui in novissimis condidit, ac tradidit viaticum Eucharistiæ, sine quo multi moriuntur, quoniam similes fuerunt cicadis bonos dies ducentes in otio.

Medicus ignarus Vermis et vulpes. Qui sub cæno celabatur vermis, super terram egressus dicebat omnibus animalibus; *Medicus sum medicamentum doctus, qualis est Paon deorum medicus. Et quomodo,* ait vulpes, *alios curans teipsum claudum non curas?* E cæno & fæce populi prodire solent arbitri, qui suis arbitrijs se posse curare egenum regnum & Regem ditare possint, cum tamen interim maneant ipsi in extrema paupertate, & suæ inopiæ nesciant consulere, & sibi succurrere.

X. Fuerunt qui Christo dicerent; *Medice cura teipsum,* sed ille cum vermis
Sapient. esset; *Ego sum vermis & non homo,* benè habebat, qui & dicebat, *Non est opus*
Luc. 14. 23. *valentibus medicus, sed malè habentibus,* & ut medicus divinus sanabat omnes, idem planè officium, idem ministerium exercens in Eucharistia, cuius
Psa. 21. 7. virtute salutem mentis & corporis confert pro dignitate accedentibus.

AN-

ANTIPATHIÆ DECEM

Sacræ arcis Sapientiæ Eucharisticæ cum aula prophana.

Ogatus Democritus quænam via facilis esset, ut quis locupletaretur, respondit, *Si quis inopi fuerit desiderio.* Hæc via planè ignota est his, qui pecunijs inopes, divites desiderio sunt. Hæc nimia aviditas in causa est, ut penitus depauperentur. Gallinam quis habens ova aurea parientem, ratus intra ipsam auri massam inesse, occisam alijs gallinis similem reperit. Hic multum sperans se inventurum divitiarum, etiam exiguis illis privatus est. I. *Cupiditas accensa.* *Gallinam auripara.*

Cessat in hac aula desiderium habendi opes & divitias, & ideo Petrus & socij cum relictis retibus secuti sunt Christum, non ita commendantur a rerum renuntiatione, quam a desiderij abnegatione. Hanc cupiditatem extinguere voluit Apostolus, cum scripsit ac monuit, *Qui volunt divites fieri, incident in tentationes & in laqueum diaboli.* Si uerè divites esse cupitis, veras divitias amate, quæ sunt in sacra Eucharistia, & de quibus canit Maria, *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Qui divites aurei videbantur, non ita, cum moriuntur, apparebunt; *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis.* *Extincta.* 1. Thes. 6. 9. Luc. 1. Psa. 75. 8.

Grande periculum imminet ijs, qui Principi malè composito & disposito nimis adhęrent. Habent causam, ut proprium timeant exitium. Qui sunt prudentes & experti, & simul deterriti alienis exemplis, detrectant nimis accedere. Quò pertinet illud Horatian. Epist. 18. II. *Accessio periculosa*

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuet.

Dulcis inexpertis animalibus cultus ægrotantis leonis, sed malè illis cessit, benè autem accidit vulpi, quæ noluit approximari leoni. Rogata ab ipso, cur non ingrederetur, respondit; *Quia me vestigia terrent, omnia introrsum spectantia, nulla retrorsum.* Edocta vulpes a leone utitur eadem arte, ut avocet ad se gallinas, præmittens coruum nuntium. Cum iam irent, occurrens gallus, ait; *Audite me insensata, & credula. Quo enim tenditis, nisi duce fraudis in mortem? Nempe si in coruo fore creditis veritatem, & speratis de vulpe bonitatem.* Vide Sanctum Cyrillum libr. 1. Apologor. cap. 13. *Leo & vulpes.*

Divinus Princeps similis leoni est, semper ita dispositus & compositus, ut accedentes ad se amet, & foveat, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, Reficiebatur David cum diceret; *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Quod si Christus in suis fidelibus infirmatur & visitatur, non est timendum quicquam mali, sed boni multum accipiendum, cum dicet pro tribunali; *Infirmis eram, & visitastis me.* Non hic terrent vestigia venientium, sed ut homines veniant, semper alliciunt. *Secura.* Ps. 72. 28. Matt. 25 36.

Similis est aula vetulę, quæ puerum manè devorandum a lupo minabatur, vespere autem blandiebatur, & dicebat, *Si venerit huc lupus perterrefaciemus eum.* His auditis lupus abiens dicebat, *In hoc tugurio aliud dicunt, aliud faciunt.* Meliùs ac veriùs dices, in palatio aliud dicunt, aliud faciunt, III. *Dissimiles sibi.* *Lupus & vetula.*

ubi etiam qui manè rei esse iudicantur, vespere indemnes dimittuntur, & innocentes puniuntur. Refero quo refert Boet. libr. 1. Pros. 4. *Opulionem vero atque Gaudentium cum ob innumeras atque multiplices fraudes ire in exilium regia censura decrevisset, eodem die defendentibus eisdem nominis nostri delatio suscepta est.*

Sibi similes. *Malach. 3 6.* *1 Tim. 4. 7* Similis semper sibi Deus est, qui dicit de se, *Ego Dominus, & non mutor*, & in eius divino palatio, nec ipse, nec serui aliud dicunt, & aliud faciunt, id faciunt, quod dicunt damnantes *aniles fabulas*, quarum Apostolus meminit, & à quibus tam longè abest, *mysterium fidei*, mysterium veritatis, quod est venerandum Sacramentum, in quo sicut & in cæteris Sacramentis, tantum verba faciunt, quantum sonant.

IV. *Proceres mundi.* Quod dixit Iuvenalis de terra, transfer, si placet, ad aulam; a qua Sapientia abest.

Terra malos homines, nunc educat atque pusillos.

Cum mali & pusilli sint in aulæ sacrario, ex illo multa loquuntur & obloquuntur, quæ dicere non auderent, nisi in eo forent loco. *Hædus et lupus.* Hædus super domo quadam quum staret, viso lupo prætereunte, convitiabatur, & mordebat ipsum, sed lupus ait, *Heus tu, non tu mihi, sed locus convitiatur.*

Proceres cæli. *1. Cor. 15 47.* *Qualis cælestis, tales & cælestes*, sublimes omnes, nec tamen propterea insultant alijs, nec alijs convitiantur. Malorum & pusillorum vitium est descendere ad dicteria, viri autem boni & magni omnes honorant, ipsos etiam hostes & inimicos, ut cælesti panè digni efficiantur. Qui sunt in maiori Ecclesiæ gradu, sunt longius ab illatione iniuriarum.

V. *Nobilitas imperfecta.* *Mulus.* Cum quis ex uno latere nobilis est, ex altero vero ignobilis, & tamen nimis gloriatur, expecta parumper, ipse se prodet. Mulus hordeo pinguefactus lasciviebat, clamans ac dicens; *Pater meus est equus cursor, & ego ei totus sum similis*; atque aliquando cum necesse foret ei currere, patris asini statim recordatus est. Habes hanc ipsam fabulam apud Sanctum Cyrillum libr. 2. Apologor. cap. 19. ubi glorianti mulo dicitur; *Quoniam ex patre extolleris, is te quasi alterum asinum confunditur genuisse.*

Perfecta. *Ps. 31. 9.* *Ioa. 1. 13.* *Nolite fieri sicut equus & mulus*, estote sicut filij Dei, *qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Horum nobilitas perfecta est, ex nullo latere claudicans & cum impinguati fuerint, non se iactabunt, nec inaniter gloriabuntur, sicut se iactabant, & gloriabantur Ismael & Ismaelitæ nobiles ex patre Abrahamo, ignobiles ex ancilla Agar descendentes.

VI. *Memoria iniuriarũ.* *Serpens et agricola.* Manet alta mente reposita apud aulicos iniuria, mansit in pectore & corde Alexandri, qui, teste Plutarch. cum in Hammonis templum venisset, senem sacerdotem, a quo filius Dei fuerat appellatus, interrogavit, numquid superesset aliquis eorum, qui Philippum patrem interfecissent? Quod si acceptæ iniuriæ maneat monimentum præ oculis, semper erit eius viva memoria pro odio & vindicta sumenda, quemadmodum videmus in agricola, cuius filium serpens occidit, & in serpente, quem agricola lapide verberare tentavit, sed erravit. Ad decipiendum serpentem, apposuit illi panem & salem, cui serpens, *Non erit nobis posthac fides, amicitiave, quamdiu ego lapidem video, tu filij tumulum.* Morsum sibi mutuò infixerunt vulpes & aspis, sed cum aspis vellet fictè agere reconciliationem, respondit vulpes, *Timendus semper & cavendus offensus est, quoniam tenax iniuria, lenis ira, expectata vindicta, tarda clementia. Sic fratres Ioseph, quem offen-*

offenderant adolescentes, timebant etiam senes. Consule S. Cyrillum libr. 1. Apologor. cap. 23.

Manent alta mente reposita in aula Sapientiæ beneficia, quorum summum est Eucharistia, in cuius institutione monuit Christus; *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Monimentum mortis & passionis Christi crux est, cuius aspectu non accenditur ad vindictam, sed inflammatur ad veniam non tam ipse, quam cælestis Pater, cui pendens è cruce dixit. *Pater dimitte illis*. Quo ductus exemplo S. Stephanus lapides prę oculis habens, oravit, *Ne statuas illis hoc peccatum*; & Deus prę oculis habens Stephani lapides, misertus est Sauli. *Oblivio.* Luc. 23. 34. Act. 7. 60

VII. Quàm peccent imbelles ministri, qui excitant suos Principes ad bella iniqua & iniusta, monet fabula; Tubicen exercitum congregans, ac superatus ab hostibus clamabat. *Ne me temere, & frustra viri occidite. Non enim vestrum quenquam occidi, nam præter æs hoc possideo aliud nihil.* Hi ad ipsum dixere; *Ob id magis morieris, qui cũ nequeas ipse pugnare, omnes ad pugnã excitas*. *Perturbatores. Tubicen.*

Displicent Deo bella, pro lubito, sine causa & occasione acta & facta, unde rogat David Deum; *Dissipa gentes, quæ bella volunt*. Placet Deo pax & concordia, cuius ministri debent esse pacifici, præsertim Sacerdotes, rei mortis, si classicum sonent. *Pacificatores.* Psa. 67. 31

VIII. Non patitur aula homines, qui pro veritate stant, sed eos, qui quolibet aguntur vento, & inclinant in eam partem, in quam Princeps & Magnates inclinant. Non patitur firmas olivas, sed instabiles arundines. De tolerantia & viribus & quiete arundo & oliva contendebant, ubi afflauit vẽtus, arundo succussa, & declinata ventis facilè evasit, oliva autem cum ventis restitisset, vi diffracta est. *Inconstantes. Arundo et oliua.*

Non amat Christus arundines, amat Ioannem, qui nihil habebat de earum levitate & inconstantia, qua laborabant Hebræi, ideoque Christus cum eis loquens de Ioanne ait; *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Arundo non erat sed oliva, quæ restitit Herodi, & idcirco diffracta est, *Sicut oliua fructifera in domo Domini* Ioannes erat, & esse tales oportet, & tales quærit Deus ministros, qui sibi in altari & in cathedra Euangelij serviant. Procul arundo, cui dicitur apud Sanctum Cyrillum Alexandrinum lib. 2. Apologor. cap. 14. *Rectè es arundo sensu arida, & omnis ventositatis impetu agitata. Non attendis, quoniam ut citius cresceres, totum altitudini, nihilq; profunditati dedisti?* *Constãtes.* Luc. 7. 24 Ps. 51. 10.

IX. Non est parum, sed satis multum, si quis ex dentibus Herodianorum aulę saluus & incolumis evaserit. Evasio loco magnæ mercedis est, quemadmodum fuit grui ex ore lupi indemnem effugisse. Lupus osse infixo gutturi mercedem grui se præbiturum dixit, si capite invecto os ex gutture sibi extraxisset. Extraxit & compensari sibi petebat, cui lupus, *Sufficiat tibi illa sola merces, quod ex ore lupi & dentibus salvum caput, & illæsum exemeris*. *Evasio sine fructu. Lupus et grus.*

Multa scribit Apostolus de servis Sapientiæ c. 11. ad Hebræos, hæc inter cætera, *Obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij*, nec tamen ex ore evasisse leonum, ignem & gladium effugisse merces & præmium fuit, ac proinde addit Apostolus, *adepti sunt repromissiones*. Harum autem repromissionum certum pignus illis fuit, & nobis est Eucharistia, cuius vi atque virtute salvæ & incolumes animæ, vel ab ipsis faucibus inferni, eximuntur, & eripiuntur. *Evasio cũ lucro.*

X. Plena garrulis est aula, cum quibus si siccè agatur, peribunt sicut &

Sicca garrulitas. garrulæ ranæ, quæ siccam paludem deseruerunt, & in puteo siccitatem timuerunt sibi exitiosam & perniciosam, ac proinde in puteum non descenderunt.

Rana.

Opposita. Non amat Sapientia garrulos, ac proinde displicet Ioanni Eutrepes *verbis malignis garrens*, Nec timenda in aula siccitas, cum dixerit David, *In terra deserta, invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam.* Hæc gloria & virtus in sacra Eucharistia est.

3. Ioa. 10.

Psa 62. 3.

ANTIPATHIÆ POSTREMÆ

Humana & Divina aula.

I. *Elatio.*

HOllandorum & aulicorum una & eadem videtur esse conditio. Hollandi conclusi inter suas aquas, tumultuantur contra Regem, & è suis navibus obloquũtur. Quò pertinet Satyricum illud Horatij.

Tu dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum, te ferat aura.

Haud dubie locus, causa superbię est, ac proinde Plato, teste Laertio lib. 6. cum aliquando conscendisset equum, descendit dicens se vereri, ne equestri fastu corriperetur. Agnus lupum dictis insectabatur, cum esset in alto, cui lupus, *Non tu convitiaris mihi, sed ubi stas turris.*

Agnus et lupus

II. *Furta Tiresias.* Quod est in fabula Tiresię, aquo Mercurius clam boves abstulit, & deprehendit per auguria furacem esse eum; qui ad divinandum ipsum compellebat, est secundum morem aulæ, ubi qui furtum fecit, instare solet, ut inquirat in auctorem, cum tamen sit ipsemet auctor.

Dona. Nemo in aula Sapiẽtiæ clam furatur, apparet in D. Nicolao, qui de nocte sua donabat, & de nocte Christus seipsum dedit in Eucharistia præter rerum ordinem, & præter omnem humanam conditionem.

III. *Auaritia Auarus.* Cum quis in aula dolet de amisso auro, quo non fruebatur, loquitur cum eo fabula de divite avaro, cui loco auri suppositus lapis, & merenti propterea dictum, *Ne sic heus tu tristare, neque enim habens aurum habebas.*

Liberalitas. Consecravit se Christus in pane & vino, quæ usibus humanis deserviunt. Habent igitur, unde graviter doleant, qui tanto Sacramento non fruuntur, quod usu non teritur, nec consumitur. Cave, ne Sacramentum habeas, quasi non habeas. Qui abscondit talentum in Euangelio, & illud sepelivit in terra, habens non illud habebat: *Nam fossus humi census non est hominis, sed telluris* ut lib. 3. Apologor. cap. 4. apud Cyr. monuit avarum Fortuna.

Sũmissio. Sancta terra erat, in qua Moysi Deus apparuit, & tamen illa non superbum reddidit Mosen, sed magis humilem & abiectum, sicut & Regem Davidem, qui totus humilis dicebat; *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.* Adoremus & nos, ubi non solum sacri eius pedes sunt, sed totus ipse, *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.*

Psl. 131. 7.

IV. *Vincere malum.* Mala res, exitiosa & pernitiosa velle aulicum cũ suo contendere Principe, & illum vincere, ut enim scribit Horat. lib. 1. Epist. 7.

Durus homo atque odio, qui posset vincere principem.

Hoc odium & invidiam ut effugeret disertus vir in Lusitania, cum fassus esset Rex cedere se illi in litteris conscriptis, statim egit de aula deserenda,

renda, Advertit quam periculosum esset vivere apud Principem, quem vicisset. Malè cessit culici certasse cum leone, & illum superasse, incidit enim in telas araneæ, ubi captus miserè perijt. *Culex et leo.*

Cum Saul persequeretur Davidem, exclamavit. *Quem persequeris Rex Israel, quem persequeris? canem mortuum & pulicem unum.* Noluit David cum Rege certare, noluit pulex & culex cum leone bellum gerere. Agnoscebat in Principe Deum, & cum Deo pugnandum non est. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Felix qui huic Regi famulatur, & quidem Felix Martyr erat, quem telis aranearum texit, & tutatus est Deus, contra diros persecutores. Tantum abest, ut in eius aula noceant araneæ. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Omnia serviunt ei, qui servit Sapientiæ Patris, quæ *misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis. Si quis est parvulus, veniat ad me: & insipientibus locuta est, Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Offert vinum Sapientia Patris, quæ est in apologo Jud. 9. *Ierunt ligna, ut vngerent super se Regem: dixeruntque oliuæ, impera nobis. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dij utuntur, & homines, & venire, ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum: veni & super nos regnum accipe. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, & ire, ut inter cætera ligna promovear? Locutaque sunt ligna ad vitem; veni & impera nobis. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum, meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoveri? Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: veni, & impera super nos. Quæ respondit eis: Si verè me vobis Regem constituistis, venite, & sub umbra mea, requiescite: Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani.* Christus ficus est, ut delectet, & recreet, oliva est, ut oleo mulceat & ungat, vitis, ut prębeat vinum, quod lætificat Deum & homines. Hæretici sub specie Rhamni volunt, ut Christus sit, apud quem non veritatem panis & vini quærunt, sed solum umbram, & qui ita ducuntur & seducuntur, addicuntur flammæ & igni. Procul hînc rhamnus, procul hinc carduus de quo legimus 4. Reg. cap. 14. *Carduus Libani misit, ad cedrum, quæ est in Libano dicens; Da filiam tuam filio meo vxorem. Transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, & conculcaverunt carduum.* Nec rhamnus nec carduus habent in aula Sapientiæ locum, habet ficus propter dulcedinem, *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus:* habet oliva propter pinguedinem; *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias regibus,* habet vitis propter sui vini liquorem, *Venite & comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Hic verus panis est, oppositus vero falso ac fabuloso, qui in aula prophana datur & comeditur. Ad utramque aulam & simul panem alludit Salomon, cum monet, cap. 23. Proverb. *Quando sederis, ut comedas cum Principe; diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes potestatem in anima tua. Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.* Panis mendax & fallax est, qui cum vitam alendam, ac sustentandam per se offerat, & promittat, loco vitæ mortem affert. Mendax aulæ panis, qui pistori Pharaonis, Amano, Amnoni, & alijs plurimis non contulit vitam, sed abstulit, vel in ipso convivio, ut sacra Scriptura testatur. Qualis Princeps mundi huius, talis & panis. Princeps mendax, qui mundanis suis arridet, ut eos capiat & cum illos irretitos capit ac tenet, redactos ad extrema, irridet, similis rudi piscatori, de quo apologus, Piscator piscandi rudis, acceptis tibijs ac retibus

Vinci bonum. *1. Reg. 24. 15.* *Iob. 9. 4.* Rom. 8. 28. Psa. 33. 9.

perrexit

perrexit ad mare, & stans super petra quadam, primum quidem sonabat tibijs existimans ad vocis suavitatem pisces assilire. Ut verò multum contendens nihil proficeret, depositis tibijs, assumit rete, ac iacto in aquam, multum piscium capit. Quibus, evacuato reti, ut salientes vidit, ait, *O pessimæ animantes, quum sonabam tibia, non saltabatis, quum verò cessavi, id agitis.* Qualis Princeps cæli, talis & panis, Deus veritatis est, & panis verus, de quo scriptum est Ioan. 6. *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Hic est panis convivij Sapientiæ.

Hactenus de una & altera aula, ut qualis sit, & existat arx regalis Sapientiæ, & quales requirat pro sacra Synaxi, ac Communione convivas, magis elucescat. Dedit prædictis Antipathijs ansam & occasionem, *Aula Æsopi fabula*, commune proverbium Excellentissimi D.D. Francisci de Moncada Marchionis Aytonæ, magni Seneschalij Aragoniæ, supremi nuper Gubernatoris totius Belgij & Burgundiæ, qui semper amavit, semper coluit veritatem. Verus minister Regni, verus cultor sui Regis, ac regię Maiestatis Philippi IV. cuius mandatum accepit, & laudavit, de pingendis Antuerpiæ Æsopi fabulis pro Recessu ab Aula constructo Matriti regali magnificẽtia, ut per otium ex aspectu depictarum fabularũ spectatores procederent ad affabulationes earum, in quibus singuli aulici suorum officiorum tam suaviter, quam sapienter admonerentur. Quæ etiam causa fuit, ut sanctus Cyrillus Alexandrinus confingeret fabulas, & componeret apologos ad recreationem suorum Lectorum, & ad eorum utilitatem subiungeret sacras affabulationes, quibus monerentur quales esse deberent hi, qui sunt, vel esse volunt de arce & aula Sapientiæ, in qua verus panis offertur, & confertur sumentibus Eucharistiam, ad cuius mensam invitat nos Patris Sapientia, Invitat ad panem, invitat ad annonam militarem. Apud Plutar. in Lacon. Apophthegmat, Thasij per agrorum ipsorum cum exercitu transeunti Agesilao, farinam, anseres, bellaria, placentas. aliosque cibos sumptuosos, potusque miserunt. Solam autem farinam accepit, reliqua eos, ut nulli usui sibi futura auferri iussit, quærentibusque causam dixit, *Qui virtutem colunt, eos non admittere huiusmodi gulæ delicias, aliena enim a liberis ea esse, quibus servilia ingenia alliciuntur.* Solam accepit Sapientia farinam, solum offert & confert panem, in quo uno omnes panes, & omnia Sacramenta, quæ sunt in lege gratiæ, respondent.

Narraverunt mihi fabulationes:
sed non ut lex tua.

Lex tua veritas.
Ps. 118.

A R-

ARGVMENTA SELECTA DE SACRAMENTO, ET COMMVNIONE SOLENNI PANIS DE CÆLO VERI. ET SYMPATHIA SACRÆ EVCHARISTIÆ, CVM CÆTERIS SACRAMENTIS.

Venite comedite panem meum.

Panis Sacramentalis est verè militaris.

RX Magna, castrum magnum Ecclesia est. Hæc fortis arx, quam Sapientia condidit & construxit, 1.
Sapientia ædificavit sibi domum, excîdit columnas septem, immolavit victimas suas. Miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem & ad mœnia civitatis. Hæc autem arx opposita est Synagogæ, cuius typus est castrum relatum. 1. Machab. 1. Destructa Solymorum civitate, post eius ruinam vastatores *ædificaverunt civitatem David muro magno & firmo & turribus firmis, & facta est illis in arcem, & posuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos, & convaluerunt in ea, & posuerunt arma & escas, & congregaverunt spolia Ierusalem, & reposuerunt illic, & facti sunt in laqueum magnum. Et factum est hoc ad insidias sanctificationi, & in diabolum magnum in Israel.* Prædixerat in Euangelio Christus destruendam, devastandamque penitus esse civitatem Solymitam. *Cum appropinquaret Iesus Ierusalem videns civitatem flevit super illam dicens: Quia si cognovisses, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo: & circumdabunt te,*

Prou. 9. 1.

Luc. 19. 14.

& coangustabunt te undique: & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt: & non relinquent in te lapidem super lapidem: eò quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Post tantas civitatis ruinas nihilo facti sapientiores Hebræi, post sepultam cum honore Synagogam, novam aliam ædificaverunt & magnis subsidijs militum, armorum & annonę communierunt, ut cælesti sanctificationi, quæ in arce Ecclesię Christi viget & fulget, adversaretur. Oppugnatur Ecclesia, sed non expugnatur. Habet hæc arx firmiores arces & muros. *Turris fortissima nomen Domini* est, quod prævalet omnibus, quod præstat omnibus turribus: habet solidissimum murum veritatis; *Scuto circumdabit te veritas eius*, quæ quantæ sit virtutis ac fortitudinis vel ex eo conijci potest, quod apud Esdram veritas mulieri, vino & Regi palmam præripuerit. Hinc orta est vox illa acclamatoria. *Magna est veritas & prævalet*: hinc illa Zorobabelis fausta, & triumphalis apprecatio. *Benedictus Deus veritatis*. Hic titulus gloriosus est, qui sumitur à veritate, nulli mortalium conveniens, cum dixerit David, *Omnis homo mendax*; & rursus, *Mendaces filij hominum in stateris*. Solus unus Filius hominis, qui & Deus est, mendax non est in statera, nimirum in cruce sancta, quæ *statera facta corporis* est, ut canit Ecclesia, ac proinde ipse David, quos mendaces filios hominum in stateris declaravit, conversus ad Christum pendentem è cruce & in extremo halitu clamantem. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*: applaudens victori, ac simul redemptori, statim subiungit, *Redemisti me Domine Deus veritatis.* Benedictus itaque Deus veritatis in redemptione, quę sacra est Eucharistia, ubi & Deum veritatis agens dicit. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Affert secum venerabile Sacramentum turrim nominis magni Dei, affert & secum murum summę veritatis, quibus Ecclesia Dei, arx nimirum Sapientię, ornatur & pariter roboratur. Ad nominis turrim pertinet, quod Deus ipse dicit ca. 1. Malach. *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Loquitur hoc loco Deus cum his, qui in arce Synagogæ sunt, & idcirco statim addit, *Et vos polluistis illud in eo, quod dicitis: Mensa Domini contaminata est, & quod superponitur, contemptibile est cum igne, qui illud devorat.* Qui contemnit Eucharistiam, ignem Spiritus sancti, qui viget, & ardet in Ecclesia, parvi pendat, necesse est. Murum quoque fortissimum veritatis secum importat Eucharistia, sicut & ipse Deus enuntiat his, qui & in arce Synagogæ sunt, ut refert Isaias cap. 33. *Audite, qui longè estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortitudinem meã. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas, quis poterit habitare de vobis cũ igne devorãte, aut quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem, &c. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt, Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè.* Ubi panis sacer est, ibi & sublimitas saxorum est, ubi & fortissima mœnia veritatis, unde & mysticæ ancillæ, quæ vocant ad arcem, & ad *mœnia civitatis* invitant. In hac turrita & munita Ecclesiæ arce longè alia subsidia sunt, quam illa. *Posuerunt illic gentem peccatricem, viros iniquos: posuerunt arma & escas.* Provisum aliter est Ecclesię a milite, ab armis, & annona, si consideres Sacramenta, quæ pro arcis defensione instituta, & ordinata sunt, sed pręcipuè divinam Eucharistiam, matrem bonæ militiæ militum, & armorum,

Prou. 18. 10.
Psa. 90. 4.
2. Esd. 4. 42.
Ps. 115. 11
Ps. 61. 10.
Luc. 23. 46.
Psa. 30. 6.
Ioa. 6. 56.

morum, & annonæ, in quibus tribus subsidijs arcis Ecclesiasticæ munimentum situm est. Curramus per singula, quæ & Christus tetigit, cum Ioannis cap. 6. euulgaret Sacrosanctum hoc mysterium ac diceret.

Sacra Eucharistia.

C*Aro mea vere est cibus.* Factus est delectus militum. ca. 6. Ioannis cum Christus agere de Eucharistia cœpisset. Tunc temporis concludit Euangelista, *Litigabant ergo Iudæi dicentes; Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Nihil Iudæi valebant, ut militiæ Christi servirent, nec quidem valebant omnes, qui in eius schola erant, cum dixerit ibi Ioannes. *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant.* Cum Christus cerneret sic se in militia deseri, recurrit ad Apostolos; *Dixit ergò Iesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei vivi.* Sed nec quidem omnes duodecim admittuntur, unus ex illis reijcitur dicente statim Christo, *Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus est?* Pertinet ad arcem, ubi gens peccatrix erat, & idcirco ex ea amãdatur Iudas, magnus nimirum diabolus Israelis. *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde.* Quisquis hic est, ascendit in arcem Christi, & dignus efficitur, ut militet eius stipendijs, ac eius Sacramento fruatur. Lex militaris est illa, quam promulgat Apostolus ijs, qui serviunt in arce, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Accedit & Concilium Tridentinum SS. 13. cap. 7. *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sanctè: certe quò magis sanctitas & divinitas cælestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia ac sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plenæ formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius præceptum. Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.*

Militia Ecclesiæ. Ioa. 6. 56.

Ps. 23. 4.

1. Cor. 11. 28.

Monetur Christianus miles, *ne absque magna reverentia ac sanctitate ad id percipiendum accedat.* Memor sit antiqui Moysis, cui apparuit Dominus in flamma rubi, & cui dixit; *Ne appropies hùc, solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Exvit calceos Moyses, & avertit faciem suam: *nec enim audebat aspicere contra Deum.* Quid autem sibi voluerit tantum, tamque mirabile spectaculum, exponit Ecclesia, dum dicit Virgini, *Rubum, quem viderat Moyses incombustum, tuam cognovimus laudabilem virginitatem.* Causæ naturales, quemadmodum Philosophi loquuntur aliquando agunt immediatione virtutis & suppositi, aliquando vero immediatione solius virtutis. Agit in lignum ignis per se, & per suam virtutẽ ac vim in accedentẽ ad se, quia semper mediat aliquid inter ignẽ, & eũ qui se calefacit. Ergo Deus immediatione virtutis ac suppositi operabatur in rubũ, operabatur in Virginẽ, & in Mosem solius virtutis immediatione, ac proinde monetur, *Ne appropies huc.* Quod si nõ appropianti, nec appropinquanti tanta iniungitur reverentia, ut calceos exvat, & exutus calceos Exod. 3. 5.

non

non audet aspicere contra Deum, qualis cultus, qualis esse debet veneratio in eo, qui accedit ad Eucharistiam? Cum quis ad Eucharistiam accedit, non solum proximus Deo fit, sed & Deus in eo manet. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Manet in eo Deus, non solum per suam vim atque virtutem, sicut & in cæteris, qui Sacramenta alia suscipiunt, sed etiam per seipsum, qui dicit de se, *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* Cum autem & ipse dicat, *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me*; efficitur, ut cum ea reverentia, qua Virgo missum a Patre Filium accepit in se, accipere quoque debeat is, qui Christum communicat. Quod si communicanti non tam Virginem, quam seipsum in exemplum adducit, *Ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me*, Consideret homo cultum & venerationem, quam semper Christus exhibuit Patri, & sciat cũ simili reverentia debere se divina hæc participare mysteria.

Ioa. 6. 57.

Ioan. 6. 51.

Monetur Christianus miles, ut totus mundus accedat, *Probet seipsum homo.* Memor sit antiqui Davidis fugientis Saulis iram, venientisque ad tabernaculum, in quo assistebat Abimelechus Sacerdos. Cum esuriret, ait David Sacerdoti. *Nunc ergo si qua habes ad manum, vel quinque panes da mihi, aut quidquid inveneris. Et respondens Sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum: sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus. Et respondit David Sacerdoti, & dixit ei, Equidem, si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta: porro via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem, neque enim erat ibi panis nisi tantum panes propositionis qui sublati fuerant à facie Domini, ut ponerentur, panes calidi.* Hæc fames, hæc Davidis esuries tota pertinet ad Christum, *qui positus in carne*, ut advertit Isidor. ca, 15. in lib. 1. Reg. *dum insectationem declinaret Iudaicam, ad Apostolos transijt, cum quibus & desideratum sibi cibũ sumpsit: desiderio enim desideravit manducare Pascha.* Cum desideravit manducare Pascha cum Apostolis, optabat consequenter in ipsis, ut mũdo corpore, & corde accederent ad Eucharistiam, & idcirco ante eius institutionem & communionem, *cœpit lavare pedes discipulorum*, ut omnem in eis mũditiem compleret. Satis hoc indicat Christus, cum Petro dicit; *Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed nõ omnes. Sciebat enim quisnã esset, qui traderet eum.* Nemo itaque sic lotus, nemo sic mundus, ut non indigeat pro sumptione venerandi Sacramenti pedum, id est, affectuum ablutione, quandoquidem satisfacere debeat Deo, in cuius conspectu mundæ stellæ nõ sunt, & in Angelis suis reperit pravitatẽ. Non sunt stellę mundę in conspectu eius, quia non habent tantam vim atq; virtutem, ut noctis caliginem destruãt. Reperit in Angelis pravitatẽ quia non virtute sed natura munditiẽ virginitatis conservant. Secus accidit in lucis filijs, qui dissipant omnes tenebras, & virtute sua puri, ac penitus mũdi pro susceptione Eucharistica redduntur & efficiũtur. Quod si David ita se purgavit, & purgatos esse voluit pueros suos, pro edẽdis panibus propositionis, ut abstemios vel ab licito concubitu esse voluerit, nihil mirandum est, ut coniugatos etiam voluerint Patres ab actu matrimoniali abstinere, pro dispositione accipiendi Sacramenti. Hûc pertinet monitum S. Aug. Serm 2. de tempore, *Invitati sumus ad mẽsam, ubi non invenitur cibus hominũ, sed panis ponitur Angelorum. Et ideo quotiescumque aut dies natalis Domini, aut reliquæ festivitates adveniunt, sicut frequenter admonui, ante plures dies, non solum*

1. Cor. 11. 28.

1. Reg. 21. 3.

Ioan. 13. 1

solum ab infelici concubinatum consortio, sed etiam a proprijs uxoribus abstineat.

Nec quidem antiquus David pro sua solũ munditia respondit, sed etiam pro puritate suorum, ut sanctum panem gustaret. Noverat se esse dominum, & sub se habere famulos, a quibus sua iustificatio penderet. Hinc illa supplicatio, *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Ps. 18. 13
Memor sui officij respõdit Sacerdoti, dũ inquireret, *Si mũdi sunt pueri, maxime a mulieribus?* abstinuisse ab ipso coniugio, & se, ac pueros suos mũdos esse. Non satis est in militia, ut centurio benè serviat, nisi & suos milites benè servire curet. Nec satis est, ut dominus & paterfamilias sibi studeant, sed consulant alijs, quorum sibi cura cõmissa est, ut dignè & sanctè communicent. Hoc ipsum indicare Christus voluit, cũ instituit Eucharistiam. Voluit & ipse pro Apostolis suis respondere, & idcirco lavit pedes eorum, ut omnino emundarentur, & cum essent omnes mundi, dixit omnibus, *Si ergo* Io. 13. 14.
ego laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes: cum sitis Domini atque magistri futuri in toto terrarũ orbe. Cũ vero Christus Dominus non posset respondere pro Iuda, amandavit illũ a sacra Communione, & cum ille amandatus esset, & ceteri mundati forent, dixit, Io. 13. 31.
& nõ sine magno mysterio Christus, *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Clarificatur dominus, cum seruum nequã dimittit, & servos fideles in bonam suam gratiam, & in suam mensam admittit. Non tam David, quã Christus loquitur. Ps. 120. *Psallam, & intelligam in via immaculata:* Subiungit de se, *Perambulabã in innocentia cordis mei: in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam.* Non hoc sufficit, & idcirco addit, *Facientes prævaricationes odivi. Non adhæsit mihi cor prauũ: declinantẽ a me malignũ non cognoscebã. Detrahentem proximo suo hunc persequebar. Superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebã. Oculi mei ad fideles terræ.* Hi profecto censentur, & sunt milites fideles in arce Ecclesiæ, quibus nec armorum nec annonæ subsidia desunt.

Cum audis, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus,* puta te ad *Arma Ecclesiæ*
arma vocari, quandoquidem corpore & sanguine Christi contra mortem ipsam muniris; & armaris. Subdit propterea Christus; *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, viuit in æternum* Io. 6. 59.
Duplex mors est, una, de qua Apost. *Statutum est hominibus semel mori:* Heb. 6. 27.
Secunda de qua Ioannes Apoc. 20. *Beatus & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem.* Antiqui Patres, de quibus loquitur Christus, primam & secundam mortem passi sunt, cum deessent illis arma, quibus se contra unam & alteram mortem tutarentur. Cant. 6. 9.
Hæc non desunt Ecclesiæ, quæ tota militaris est, *terribilis ut castrorum acies ordinata,* & si curiosè inspicias, quænam habeat insignia in manibus, deprehendes esse Calicem & hostiam, insignem profectò armaturam contra duas illas mortes, quæ ambæ sunt inferorum portæ, unde & Christus Petrum monet, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hæ duæ portę sunt, a quibus liber Matth. 16. 18.
David, magni beneficij loco ponens ait; *Exaltas me de portis mortis.* Psa. 9. 4. 6

Fortis armatura Eucharistia contra diros ictus primæ mortis. Accidit dignè sumenti viaticum, quod accidit Christo in civitate Nazareth, ubi cum esset ductus in supercilium montis, ut ageretur ab invidis hostibus in præceps, Iesus transiens *per medium illorum ibat.* Magnum mortis præ- Luc. 4. 30
cipitium, sævi ac crudeles hostes, qui eò deducunt hominem. Verumenimvero siquis se muniat sacræ Eucharistiæ armis, illæsus & saluus per medios hostes transibit. Benè monet Chrysostom. Hom. 51. in Matth.

Tangamus nos fimbriam vestimenti eius, vel potius si volumus, ipsum totum habeamus: non enim vestis solum, sed corpus ipsius nobis propositum est, ut non tangamus solummodo, sed ut comedamus & saturemur. Adeamus igitur Christum singuli ægrotantes magna cum fide. Nam siqui fimbriam vestimenti eius tetigerunt, rectè omnes convaluerunt: quanto magis corroborabimur, si totum in nobis habeamus? Cum fide autem accedere non est tantummodo, ut propositum corpus recipias, verum etiam multò magis, ut mundo corde tangas, ut sic adeas quemadmodum ad ipsum Christum. Facit ad hanc in primam mortem virtutem ac vim, quod ipse Chrysostomus refert lib. 6. de Sacerdotio. *Quidam mihi narravit non quidem ille ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audijsset, quod qui de hac vita emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura ac munda conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi ab Angelis, illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum hinc recta in cælum abducuntur.* Satellitum more custodiunt Angeli corpora pie sancteque morientium, ut contra primam mortem eos prævaluisse manifestent, &, dum animas in cælum assumunt, facilè declarant, mortem secundam, quæ est apud inferos, effugisse, & evasisse,

Fortis quoque ac valida armatura est contra secundam mortem sacrosancta Eucharistia. Mors secunda est apud inferos, reservata ijs, de quibus
Ps. 1. 5. David ait; *Nō resurgent impij in iudicio*, rursus. *Sicut oues in inferno positi sunt,*
Psa. 48. 15 *mors depascet eos.* Oves sunt ad macellum, qui de grege Christi esse noluerunt, si enim oves esse voluissent boni Pastoris, effugissent mortem, a qua redemerat gregem suum, per suam ipsius passionem & occisionem, immo etiam per sacram Communionem. Habet hanc vim caro Christi in Eucharistia, ut eius participes, sint quoque resurrectionis, qua mors secunda plane extinguitur. Quæri & non sine causa potest, cur Christus non solum verbo sit usus, ut suscitaret mortuos, sed etiam manum admoverit, ut eos ad vitam revocaret? Nec dubitandum est, solo verbo potuisse vitam
Ioa. 11. 43 dare, dedit & Lazaro, cum clamavit, *Lazare veni foras.* Cum verò Archisynagogi filiam, & filiū postea viduę suscitavit, contactu manus miraculū perpetravit. Reddit rationem Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 14. *Quoniam igitur Salvatoris caro verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, vivifica effecta est, quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ vita effecta est. Hac de causa in exsuscitādis mortuis non solummodo verbo atque imperio ut Deus utebatur: verum etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat, ut reipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, vivificam esse, atque fideles doceret suum, non alterius corpus esse. Nam quando Synagogæ Principis filiolam suscitabat, manum eius apprehendit, ut scribitur, & erexit dicens, Puella surge: ita ut Deus & verbo & carnis suæ tactu eam excitavit, unam ab uno se Christo, Dei videlicet atque homine operationem producens. Quando etiam in civitatem Naim vocatam ingrediebatur, & efferebatur unigenitus matris filius iam mortuus, tetigit corpus eius dicens: Adolescens, tibi dico, surge. Non ergò verbo solum semper, ut diximus, verum etiam tactu mortuos excitabat, ut ostenderet corpus vivificare posse. Quod si tactu solo suo corrupta redintegrantur: quomodo non vivemus, qui carnem illam gustamus & manducamus? reformabit enim omninò ad immortalitatem suam participes sui.* Quod si Christus verbo solum usus est & nō manu, ut Lazarum suscitaret, ostendit morti se posse imperare. Est & alia ratio. Lazarus in morte sua repræsentabat hominem peccatorem fætentem in misero statu suo, & idcirco priusquam particeps fieret corporis Christi, opus erat, ut expiaret conscientiam suam, unde & Christus convenienter

venienter dicit Apostolis, *Solvite eum & finite abire*. Solutus quippe & liber dignus efficitur, qui carnem Christi communicet. Ioã. 11. 44

Fortia arma contra carnis rebelliones, sicut idem Cyrillus libr. 4. cap. 17. testatus est; *Sedat enim in nobis manens Christus sævientem membrorum nostrorum legem*. Fortia arma cõtra passiones, addit, *pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit*. Accedit Bernard. Sermon. 1. in cæna Domini; *Si quis vestrum non tam sæpe modo tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Domini operatur in eo.* Valida arma contra dæmonem sunt Eucharistica, ac proinde concludit Chrysostom. Hom. 61. ad pop. Antiochen. *Tamquam leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus facti diabolo terribiles*. Fortia ac valida arma contra totum mundum. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Vincit non alijs melioribus armis quam Eucharisticis, quibus induti Martyres contra totius mundi potentiam, ac tyrannidem decertarunt. Confirmant hoc ipsum verba S. Cypriani. Epist. 54. *Vincentibus Communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & Corporis Christi muniamus: & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.* Pulchrum igitur armamentarium habet arx Ecclesiæ in se, pulchra hæc armatura est. 1. Io. 5. 4.

Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Magna huius arcis provisio, si milites spectes, si arma consideres, si annonam inspicias. *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Panis, qui de terra producitur, iam deficit, iam corrumpitur. Hic panis, qui de cælo descendit, nec perit, nec deficit, sed manet ac perseverat, dicitq; propterea Christus; *Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Loquitur ille, cui testimonium perhibet Pater, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Cur dixit in æternum? Respondet Theophyl. in cap. 5. ad Heb. *Quia quæ in singulos dies fit, & futura est in perpetuum oblatio per Dei ministros, ipsum habet Pontificem & Sacerdotem Dominum, atque ideo ipsam hostiam, qui seipsum pro nobis sanctificat, & frangitur & distribuitur.* Ritè ac rectè propter hanc perpetuã annonam laudat, & laudari cupit David providum Deum, *qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia eius.* Non elucet æterna misericordia in cæteris alimentis, quæ aliquando adsunt, & absunt, in hac una splendet Eucharistia, quæ alimonia perpetua est, & nunquam deest: *Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus consumitur.* Magnum mysterium, quod Andreas Apostolus Proconsuli Ægeæ pro tribunali stanti prædicauit, *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cuius carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat.* Annona Ecclesiæ. Matt. 28. 20. Ps. 109. 4. Ps. 135. 25.

Hinc facilè colligitur, quomodo Ecclesia sancta non possit capi fame, Moris in militia est, cum civitas vel castrum expugnari nequit propter constitutionem situs & loci, ut vallis & aggeribus cingatur, ne aliquod intret subsidium, cuius defectu se tandem tradat, ac dedat. Non est ab hac parte Ecclesiæ periculum, quæ undique vallata hostibus, tam ethnicis, quam hereticis, firma & constans perseverat, nec timet famem, quæ pro veritate certantibus non ad paruam mensuram, quemadmodum dari clausis solet in arctis obsidionibus, sed ad magnam copiam tribuit, & sup-

 peditat

peditat. Satis magna copia est, quandoquidem pauperes milites, tantum abest, ut famelici sint, quin potius ad satietatem reficiantur: *Edent pauperes*
Ps. 103. 20. *& saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum*; laudabunt ac dicent, *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum sum, Quoniam confortavit*
Ps. 147. 4 *seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Ubi frumentum est, ibi & panis est, *Hic est panis, qui de cælo descendit*: ubi adeps est, ibi & caro est, *Caro mea verè est cibus*, ubi panis hic, & adeps est, satietas est. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.*
Ps. 62. 6. Plena & repleta tantis mysterijs anima dicit, *Satiasti Domine familiam tuam muneribus sacris.*

Hinc etiam facilè constat, quam diversa sit conditio animarum, quæ militant in Ecclesia, & earum, quæ in Synagoga servierunt, & adhuc serviunt, & fame pereunt. Sub florente Synagoga cæleste manna dabatur, sed ad mensuram, & ex eo in diem ministrabatur. Sub florente Synagoga panes erant propositionis, & hi quidem sub certo numero, & vix Sacerdoti sufficiebant. Quid postea? Nihil, nisi miseria & inedia, quam toties in suis Threnis lamentatur Ieremias, *Facti sunt Principes eius velut arietes non*
Thr. 1. 6. *habentes pascua.* Quid populus? *Omnis populus eius gemens & quærens panem, dederunt pretiosa quædam pro cibo ad refocillandum animam: vide Domine & considera, quoniam facta sum vilis.* Quid Sacerdos? *Sacerdotes mei & senes mei in urbe consumpti sunt, quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam.* Quid paruuli Principum, Sacerdotum, & plebis. *Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea: effusum est in terra decus meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret paruulus, & lactens in plateis oppidi. Matribus suis dixerunt: ubi est triticum & vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis: cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Cum præ fame morerentur. *Paruuli peterunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Ubi esca, ubi an-
Thren. 4. 4. nona, qua suam arcem miseri Hebræi communierunt? Tota in fumum abijt, & evanuit. Quæ defuit ibi alimonia, abundat omnino in Ecclesia, in qua Principes eius velut arietes pascua repererunt. *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus:* in qua populus non vendit pretiosa quæque pro cibo, sed pretiosi corporis & sanguinis Christi particeps fit, & quidem
Isai. 6. 26. gratis. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemia defæcatæ:* in qua sacerdotibus a Christo dicitur, *Accipite & manducate:* non quærunt illi panem, sed panis eos quærit: in qua paruuli suam inveniunt escam, unde & Sapientia *misit ancillas suas ad arcem & ad mœnia civitatis: si quis est paruulus, veniat ad me: & insipientibus locuta est, venite, comedite panem meum.* Satis igitur arci sublimi Ecclesiæ provisum a milite, ab armis & annona militari.

Conclusio Felix Christianus miles, felix Christianus David, qui servit in Ecclesiæ
Ps. 22. 5. arce, & cui vere dicere licet: *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui*
Ps. 22. 2. *tribulant me.* Hæc Davidis Christiani armatura, hæc annona, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit. Super aquas refectionis educavit me.* Quænam sit refectionis & recreationis aqua exponit in hunc locum Basil. *Regenerationis aqua significatur, qua baptizatus qui ad gratiam admittitur, & peccati vetustatem exuit: & pro eo, qui senuerat, iuvenis redditur.* Redditur iuvenis, ut fortes animos habeat, fortiter arma ferat, & annona militari dignus fiat, constitutus in arce Sapientiæ, quæ arcet serpentem, hæreditariam culpam & eius pænam munita sacro Baptismo, cuius instar panis

panis Eucharisticus est panis paruulorum, qui aqua lustrali mundantur.
sine aqua nec fit, nec conficitur panis materialis, nec sine aqua sacri Bap-
tismi paratur, & aptatur panis Sacramentalis, ad quem invitat Sapientia: Prou 9. 5.
Venite, comedite panem meum.

SACRAMENTALIS PANIS PARVVLORVM instar Baptismi est.



NON semel tantum, sed sæpè duo hæc Ecclesiæ subsidia, Eu-
charistiam nimirum & Baptismum sacra Scriptura coniun-
git. Coniunxit illa David. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit,*
in loco pascuæ illic me collocavit, super aquam refectionis educavit me:
& rursus, *Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum in*
tempore. Connexvit utrumque Isaias, cum de viro Christiano dicit, *Panis ei*
datus est, aqua eius fideles sunt. Finis & scopus collationis huius erit prædi-
ctæ coniunctionis & connexionis causam & rationem inquirere. Cõsula-
mus hac super re oraculum Spiritus sancti, qui cum nexus divinus sit Pa-
tris æterni & Filij, auctor est omnis bonæ coniunctionis & connexionis.
Tingimur aqua, *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti:* qui quidem nexus
provenit ex Spiritu sancto. Connectuntur caro & sanguis Christi. *Caro*
mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Copulantur Christus & Chri-
stianus accipiens Eucharistiam, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum* Ioa. 6. 57.
sanguinem, in me manet, & ego in illo, quæ quidem mystica, & cælestis copu-
la fieri omnino nequit sine speciali gratia Spiritus sancti, cuius virtute Ioa. 1. 14.
Verbum caro factum est, sicut Angelus præmonuerat iam Mariam, *Spiritus*
sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et quidem cum Luc. 1. 35.
Christus ita affectaret baptismum, ut diceret, *Baptismo habeo baptizari, &* Luc. 12. 50
quomodo coarctor, donec perficiam illum. Quod a nobis habebat, cupiebat red-
dere, quemadmodum tam in cruce, quam in altari reddidit. Consonat
huic asserto id quod est, apud Salvian. lib. 6. contra Auar. *Natura ipsa homi-*
num, consuetudoque communis hac quasi generali cunctos lege constringit, ut a qui-
bus aliis quid liberalitatis accepimus, plus ei gratiæ debeamus: arctat quippe nos ad
restitutionem dati accepta largitio.

II. *Conveniunt in arce Sapientiæ Baptismus & Eucharistia.* Psa. 22. 2. Ps. 64. 10 Isai. 33. 16 Matt. 28. 19.

Sacramentum Baptismi.

GLoriosis titulis ac nominibus sacrum decoratur Baptisma, quem-
admodum proponit & exponit S. Chrysostom. Homil. ad baptizan-
dos. Satis illustre, satis preclarum est illud, quod *illuminatio* nuncu-
petur. Hinc Paulus ad Hebræos cap. 10. scribens ait, *Rememoramini pristi-*
nos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum. Præcesse-
rant in creatione rerum quædam sacri Baptismi initia, qualia sunt. *Tene-* Genes. 1.
bræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas. Ex aqua & 2.
Spiritu sancto renascitur homo, & ut eius Baptismus clarus & illustris es-
set, opus erat, ut tenebræ, quæ super faciem abyssi comparebant, tolleren-

tur

Gen. 1. 3. tur, & quidem tunc temporis ablatæ sunt, cum dixit primo die Deus, *Fiat lux: & facta est lux*. Resplenduit lux super abyssum, sequuta est illuminatio prænuntia eius, quæ futura erat in sacro Christi baptismate. Hanc mysticam illustrationem coniunxit Paulus cum Eucharistia. c. 6. ad Heb. *Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt; rursus renovari ad pænitenciam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes*. Donum cæleste,

Io. 6. 59. quod capitur & gustatur, Eucharisticum est, *Hic est panis, qui de cælo descendit*, ut eius dulcedine, ac suavitate illuminati per Baptismum fruerentur. Quod si quis curiosius inquirat, quid illuminatis cum aqua? Quid illuminatio cum Eucharistia? Responsum in promptu est. Deus ipse, qui accendit lucem in aquis nubium, & ibi fulgurat, in aquis sacri fontis efficit lu-

Psa. 76. 19 men, & reddit illuminationem: *illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, vidit, & commota est terra*: coruscationes nimirum aquarum cęlestium, & lustralium. Ambæ illuminationes haud dubiè Dei sunt, & Deo illas attribuit David, cum ex aquis prodire, ac provenire minimè possint. Soli & Deo, astris & Deo cæleste lumen tribuimus, cum a Deo, & cęli luminaribus ritè procedant, ab aquis verò lumen oriri nequit, ac proinde soli Deo ascribēdum illud est, ut ascribit David, *illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ*. Collata igitur sacri Baptismi illuminatio cū Eucharistia, habet se sicut se habet lumē ad mēsam, in qua fit cæna. Simile quid erat in mēsa veteris testamenti, ubi panes propositionis collocabantur, ibi erat & candelabrum, cuius illuminatione, quales essent panes, manifestabatur. Et quidem divino factum consilio est, ut sacri Baptismi lumen & illuminatio adsit, ut sub panis & vini formis caro & sanguis Christi pateant & innotescant. Nemo credet sub accidentibus panis & vini Christum esse, nisi lumen ostendat. Deerat lumen fidei & illuminatio Baptismi ijs, qui criminabantur, & dicebant, Ioan. 6. 53. *Quomodo potestis nobis dare suam carnem ad manducandum? Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Aderat B. Petro lumē, aderat illuminatio, cum loquenti de Eucharistia Christo, & simul roganti, *Numquid & vos vultis abire*, respondit, *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Satis benè Clem. Alex. li. 1. Pædag. cap. 6. *Qui tingimur, abstersis peccatis, qui divino spiritui instar caliginis tenebras offundebant, liberum, ab omnique impedimento vacuum & lucidum habemus spiritus oculum, quo quidem solo, quod divinum est, intuemur, cælitus nobis influente sancto Spiritu*. Ubi illuminatio sacri Baptismatis est, ibi &

Sap. 4. 1. claritas est. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate?* ubi talis illumina-

Eccl. 26. 22. tio est, ibi & splendor est. *Lucerna splendens super candelabrum sanctum*: ubi & similis illuminatio est, ibi & calor & feruor divinus est, unde & Christus

Luc. 3. 16. *baptizat in Spiritu sancto & igne*. Ad lumen igitur sacri Baptismi facilè cernitur, qualis sit Christus in Sacramento, quales efficiat & reddat participes sui; clarus, splendidus & fervidus ipse suos claros, splendidos, & fervidos postulat & efficit.

Sacra Eucharistia.

Ioa. 6. 56. *Claritas Christi et communicantium.* *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Clarus ab ęterno est, de quo Sap. 7. legimus, *Vapor est virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit*. Ad hanc claritatem Christus ipse alludens, proximus passioni, dicit Patri

Patri: Ioan. 12. *Pater, clarifica nomen tuum*, tunc cælestis vox audita est, *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Quando clarificatus est? Cum esset apud Deum, & iterum cum instituit Eucharistiam. Consule S. Ioannem, & expende verba illa, quæ cap. 13. referuntur dicta a Christo post exitum Iudę, & institutionem sacræ Eucharistiæ. *Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificavit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum.* Io. 13. 31. Petierat paulo ante, *Pater clarifica Filium tuum*: responderat Pater, *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Io. 12. 28. Iuxta responsum oraculi, quod deficere minimè potest, *nunc clarificatus est filius hominis*, dum consecratur & communicatur; *& Deus clarificatus est in eo*, dum offertur Deo sacra hostia in odorem suavitatis. *Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificauit eum in semetipso.* Cum Filius hominis sit & simul Deus, consequens fit, ut si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificatus sit in eo, per sacræ Eucharistiæ formationem & immolationem, *& continuo clarificabit eum* per cruentam oblationem, quæ in futura fiet passione. Qualis hæc claritas sit, euulgat Apostolus, cum dicit; *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Phil. 2. 9. Conveniunt inter se una & altera claritas, Crucis & Eucharistiæ, ac proinde Christus utramque planè coniungit. *Nunc clarificatus est Filius hominis.* Ad quam claritatē alludens, & quasi continuam & continuatam describens cum gloria passionis ait de Patre; *Et continuo clarificabit eum.* Humilitas Crucis causa tantæ claritudinis extitit, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, & eadem ipsa virtus in Eucharistia in causa est, ut idem cultus & reverentia Christo in venerabili Sacramento debeatur, & præstetur. Benè August. in Ps. 32. *Notus est Dominus noster Iesus Christus in corpore & sanguine suo*: idcirco notus, quia clarus, unde notus? unde clarus? respondet ibi Aug. *De humilitate sua, nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur.*

Qui clarus & conspicuus est in Eucharistia, claros simul & conspicuos quærit & exigit participes sui. Si primordia omnium mortalium consideres, omnes obscuri sunt, quoniam filij tenebrarum in uteris maternis formantur & generantur. Obscura satis humanæ Cōceptionis nox est, de qua Job. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, Conceptus est homo.* Iob. 3. 3. Satis tenebrosus, satis caliginosus humanæ nativitatis dies, unde & addit, *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum desuper: & non illustretur lumine.* Hæc ignobilitas hæc obscuritas generis & sanguinis communis est mortalibus omnibus, qui veniunt & prodeunt in mundum. Hinc fit, ut omnes homines indigni planè sint, ut sacrorum mysteriorum consortes efficiantur, nisi prius suę nativitatis exuant ignominiam, & obscuritatem, quam quidem exuunt virtute sancti Baptismi, in quo ex aqua & Spiritu sancto homo renascitur, illuminatur & clarificatur. Monetque propterea Paulus regeneratos, atque renatos, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Ephes. 5. 6. Hùc alludens S. Leo Sermon. 1. de Nativitat. dicit: *Agamus ergò dilectissimi gratias Deo Patri, per Filium eius in Spiritu sancto: qui propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, misertus est nostri, & cum essemus mortui peccatis, convivificat nos in Christo, ut essemus in ipso nova creatura, nouum figmentum.* Concludit, *Reminiscere quod erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum.* Ritè igitur ac rectè Sacerdos, vestibus Sacerdotalibus conspicuus, in vestibulo altaris dicit, *In nomine Patris & Filij*

Filij & Spiritus sancti, quibus verbis tinctus & ablutus est, cum *in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti*, fuerit baptizatus, ut innuat unde claritatem suam acceperit, ad hoc ut possit celebrare ac communicare. Cum vero sacrum Baptisma sit janua omnium Sacramentorum, convenienter post invocationem sanctissimæ Trinitatis subiungit, *Introibo ad altare Dei*, cuius opus est, me regenerare ac renovare, ac proinde statim sequitur, *ad eum qui lætificat iuventutem meam.* Hæc virtus sacri Baptismi, ut qui senuerat, iuvenis efficiatur, & qui vetustatem peccati habuerat, illam deponat, & apud Deum clarus & conspicuus reddatur. Talis esse debet conviva Christi. Cum celebrantibus simul & communicantibus annumerans se D. Chrysostom. Hom. 61. ad pop. Antoch. satis opportune inquit, *Nos sanctæ mensæ assistentes regia specie pulchros esse decet, aureum animæ mundum habentes, vestem puram, calceamenta regia & indutos cingulum veritatis.* Hæc est claritas, quam requirit in suscipientibus se clarus & conspicuus Christus.

Ps. 42. 4.

Cum sit mirum in modum Christus in Eucharistia clarus, eos qui se susceperint, reddet illustriores & clariores. *Quotquot autem receperunt eũ, dedit eis potestatem filios Dei fieri ijs, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Sanctus Cyrillus in hunc locum; *Qui fide Christi in adoptionem filiorum vocati sunt, humilitatem naturæ suæ deposuerunt, & honorantis Christi gratia, quasi splendida induti purpura, ad supernaturalem dignitatem ascendunt.* Coniunxit S. Ioannes hoc loco credentes in nomine Christi, & Christum ipsum recipientes, quorum claritas illa est, ut honorantis Christi gratia, quasi purpura speciosa ornati, ad supernaturalem dignitatem gradum faciant. Sublimis dignitas, summa claritas, cuius participes fiunt, qui dignè Christum in Eucharistia recipiunt. Post sacram acceptam Communionem digna notatu protestatio est, quam Christus Dominus fecit Patri Ioan. cap. 17. *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Hæc claritas est illa, de qua dixerat ante Christus, *Nunc clarificatus est filius hominis*, & illa Eucharistica planè est. Quod si illa alia secuta est Christum, *Deus exaltavit illum*, ne communicantibus desit gloria similis, addit deinde; *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* Clarus in terra Christus, talis & qui communicat: clarus in cælo Christus, talis quoque erit homo particeps celestis Sacramenti; *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Deseruit huic proposito quædam antithesis, quæ est apud Paulum cap. 3. ad Philipp. *Imitatores mei estote fratres, & observate, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est: & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Longè nos diversi sumus ab ijs, quorum Deus venter est, & summa superstitione ei deserviunt. *Nostra autem conversatio in cælis est, unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Conversatio, inquàm, nostra in cælis est, inde pascimur, inde alimur.

Io. 6. 59.

Phil. 3. 20.

Ioa. 6. 59.

Splendor Christi & communicantium.

Hic est panis, qui de cælo descendit. In hoc cælesti pane non solùm clarescit, sed etiam splendescit ille, cuius origo tam divina, quàm humana splendida omnino est, dicente Patre; *In splendoribus sanctorũ ex utero ante Luciferum genui*

genui te. Iuravit Dominus, & non pænitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Melchisedech panem & vinum obtulit, sed in umbra, Christus vero obtulit in splendoribus, ac proinde quemadmodum prædicit Ecclesiasticus, *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.* Eccl. 31. 20.
Nemo hactenus in solis panibus splendidus, nisi unus Christus, fuit alius Luc. 16. 19
omninò ab eo, cuius meminit Euangelium, *Homo quidam erat dives, & induebatur purpura & bysso: & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant vulnera eius.* Diversus omninò est; qui tam auidè invitat omnes ad mensam, sed præsertim miserum & pauperem Lazarum, quem dives ille non admittebat, sed reijciebat. Quis ille? Consule S. Gregor. Hom. 40. in Euangelia; *Quem, fratres charissimi, quem dives iste, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, nisi Iudaicum populum significat: qui cultum vitæ exterius habuit, qui acceptæ legis deliciis ad nitorem usus est gloriæ, non ad utilitatem? Quem verò Lazarus ulceribus plenus, nisi Gentilem populum figuraliter exprimit?* Vis nosse quomodo reiectus Lazarus sit admissus ad epulum cælestis panis, memento oraculi dati cap. 1. Malach. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Sol quidem ab ortu suo usque ad occasum splendet, & Christus sole ipso splendidior, resplendet in eo, quod Lazarum, id est, populum Gentilem ab ortu usque ad occasum suo ornaverit sacrificio, suo sacramento donaverit.

Absit ut ulceribus plenus veniat Lazarus ad mensam, prius necesse est, ut mystici canes lambant eius vlcera & vulnera. Audiendus rursus Gregor. *Canum lingua vulnus dum lingit, curat: quia & Doctores sancti dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt.* Lazaro dicetur, *Probet seipsum homo*, ut ad splendidum Christum splendidus & ipse accedat. Suadet Salomon cap. 4. Proverb. ut recedamus a via tenebrosa impiorum qui *comedunt panem impietatis & vinum iniquitatis.* Suadet, ut iustorum viam intremus, qualis illa sit, describit his verbis, *Iustorum autem semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectum diem.* Nemo ire potest ad Eucharistiam, nisi per gratiæ & iustitię semitam, quæ fulgida & splendida est. Fulgida gratia Baptismi, prævia ad Communionem, si desit illa, splendida est gratia Pænitentiæ, qua probatus homo venit ad Christi epulum. Conveniunt inter se semita iustorum splendens & gratia, cum hæc sicut etiam illa soli cælesti resplendenti ac refulgenti comparetur, & quidem ab Ecclesiastico, *Sicut sol oriens in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius.* Bonæ mulieris species externa non est, de qua scriptum legimus, *Fallax gratia & vana est pulchritudo*, interna venustas est, de qua agens David protestatur, *Omnis filia eius Regis ab intus.* Hæc orienti soli similis est; qua anima prædita in via iustitiæ est, & *quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.* Procedit de uno Sacramento in aliud, de Baptismo ad Pænitentiam, de uno & altero ad Eucharistiam, in qua crescit usque ad perfectum diem ęternitatis. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Io. 6. 59.

1. Cor. 11. 28.

Ecc. 26. 21. Prou. 31. 30. Ps. 44. 14.

Crescit in splendoribus sol, cum seipsum attollit, & in altũ elevat, crescit & anima, quę prædita gratia euehitur ad susceptionem sacræ Eucharistię, ut participet Deum de Deo, lumen de lumine. *Splendor gloriæ* Christus est, ut scribit Apostolus, & qui communicat, illum sibi assumit, ac propter- Hebr. 1. 3

ea, dum sacram accipis hostiam, dictum tibi puta, quod agens de Eucharistia dixit Ambros. in Ps. 118. *Carpis illic lilium, in quo est splendor æternitatis.* Hoc lilium nunquam marcescit, hic splendor nunquam deficit, nec perit. Ex consortio Domini Moyses Patriarcha totus illustris & splendidus descendit è monte, ita ut filij Israelis vultus eius fulgores ferre non possent, ac proinde necessarium fuit, ut velamine celaret faciem, ne eorum oculi præstringerentur. Quātò maius sit consortium in Eucharistia cum Deo, quis
Ioa. 6. 57. non videat? *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Et quidem si introspiceretur dignè communicantis anima; multò maiores emitteret splendores, quam olim iaculabatur Moyses. Ne tantus fulgor confunderet oculos aspicientium, voluit Deus, ut velamen accidentium, quo se ipse tegit, tegat & animam, ne vel ipse, qui communicat, totus confusus obstupescat, dum se divinis fulgoribus emicantem esse deprehendit. Nesciebat Moyses qualis eius facies esset: nescit & ille, qui edit de carne Christi, qualis & anima inde proficiat. Satis ornata & for-
Iud. 10 4. mosa erat Iuditha, cui Deus *contulit splendorem*, ita tamen ut nec ipsa cerneret collati sibi divinitus splendoris dotem & prærogativam. Satis composita & pulchra procedit Christiana anima, ut sumat sacram Synaxin, & dum sumit, nouum accipit splendorem, cum tamen illa ignoret, quantum Deus contulerit fulgorem.

Cælestis huius splendoris avidus S. Laurent. Iustinian. cap. 9. de Monast. Perfect. agens de Eucharistia concludit, *Aperi igitur, o mellifluę amor, aperi, inquam, ô divina bonitas, interiores fidelium oculos, ut formatæ fidei irradiati lumine mereantur videre te.* Hunc ipsum splendorem, quam ex se emittit sacra Eucharistia recognoscens Catholica Ecclesia ritè, ac rectè colit, ac celebrat hoc mysterium splendidis, ac fulgidis supplicationibus, ut advertit, & probat Concilium Tridentinum. ss. 13. cap. 5. *Sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere, ut eius adversarij in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi vel debilitati, & fracti tabescant, vel pudore affecti & confusi aliquando resipiscant.* Quos non trahit claritas, & splendor, trahat amoris fervor, quo Christus flagrat & ardet in hoc mysterio.

Amor Christi & Communicantiũ. *Hic est panis, qui de cælo descendit*, non modo calet, sicut calere solebant panes propositionis, qui in conspectu Dei constituebantur, sed etiam ardet amore in homines. Eapropter S. Ioannes cum describere vel-
Ioa. 13. 1. let, qualis Christus esset, cum condidit Sacramentum ait; *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Venit Hercules ad fines & terminos Gaditanos, & cum non videret ulterius terram, sed undique Oceanum, erexit columnas duas, & inscripsit, *Non plus ultra.* Non attigit metas orbis, quandoquidem post Oceanum nouus adhuc orbis patuit, cuius inventione esse *Plus ultra*, deprehensum est. Putabat se Hercules uenisse in finem universi orbis, sed non venit. Si quis consideret amatores, qui in veteri Testamento præcesserunt, nemo in tantum venit extremum, ut ausus sit dicere, *Non plus ultra*: solus dicere ausus est, Deus Isaiæ caput 5. *Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Dixit hoc, postquam ostenderat, quantus amator erga suam vineam, domum videlicet Israelis, fuisset. *Vinea*, inquit, *facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea.* Post tantæ dilectionis officia ac beneficia Deus consequenter ait, *Quid est, quod ultra debui*

debui facere vineæ meæ, & non feci? Numeret Deus quicquid in gratiam Synagogę fecit, non venit in finem amoris, venit quando *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Ioa. 13.1.
Cum extrema fuerit divini amoris vis in summo sacræ Eucharistiæ beneficio satis bene concludit Concilium Tridentinum ss. 13. cap. 2. *Ergò Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit.* Nondum Hercules venerat in Indias, unde opes eruuntur, & adducuntur, nec Deus ipse, cum interrogaret: *Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Venerat ad Sacramentum, in quo Indicas divitias divini sui erga homines amoris statuit & effudit, tunc venit, & omnes Indias invenit, cum illud instituit. Quod si natura opes & divitias in ea patria constituit, ubi sol viget & ardet; oportebat, ut in eo Sacramento, ubi Christus iustitiæ sol maiores habet æstus & ardores, divitias sui amoris locaret atque pararet ijs, qui vellent sibi opes & thesauros indè comparare.

Christus, qui sic viget & fervet amore in animas hominum, eas sibi similes postulat & exegit. Ex ardente Christi charitate nota & manifesta in Eucharistia concludit Chrysostom. Hom. 43. in Matth. *Igitur accedat nemo cum nausea, nemo resolutus, omnes accensi, omnes ferventes, & excitati.* Parantur ad suscipiendam Communionem animæ Christianę per Baptismum, in quo ardet divinus Spiritus sancti ignis: & cum primæ gratiæ iacturam fecerint, disponuntur per Sacramentum Pænitentiæ, ubi idem Spiritus sanctus peccata confitentium comburit & consumit. Nemo igitur Christianus, nemo pænitens accedat ad Eucharistiam frigidus vel tepidus, sed totus accensus & fervens. Accedamus, ait Damascen. libr. 4. Fidei Orthodoxæ. cap. 14. *accedamus & desiderio ardenti manus in crucis modum formantes, Crucifixi corpus suscipiamus & apponentes oculos & labia & frontem divinum carbonem concipiamus, ut ignis in nobis desiderij assumens eo ex carbone accitionem, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione divini ignis igniamur & deificemur.* Expendamus verba Damasceni: *Accedamus desiderio ardenti* imitatores disci- Luc. 24.
pulorum, qui *cognoverunt eum in fractione panis*, post resurrectionem, & 35.
accesserint ad panem toti ferventes & accensi, cum dixerint ipsi. *Nonne cor nostrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis scripturas?* Oremus ergo Deum, ut & nobiscum loquatur, & sacras exponat scripturas, ut cor nostrum ardeat, antequam accedamus ad Eucharistiam. Adeamus *manus in Crucis modum formantes* memores passionis & charitatis Christi, qui propter nos homines & salutem nostram mori in Cruce dignatus est. *Crucifixi corpus suscipiamus.* Necdum erat in passione, necdum actus in Crucem erat, & in nocte cænæ Crucifixum agebat, cum seipsum consecrabat, & dicebat: *Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur*: & rursus, *Hic est Calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur.* Languebat Christus amore, & priusquam moreretur, agebat mortuum & Crucifixum. *Hæc*, inquit, *quotiescumque feceretis, in mei memoriam facietis.* Suscipiamus corpus Crucifixi *apponentes oculos & labia.* Oculos & labia posuit Elisæus super puerum, quem vitæ & matri restituit. Longè aliter accidit in Eucharistia, apponimus oculos & labia, ut cælestem vitam accipiamus, unde & Christus ait, *Qui manducat hunc panem, vi-* Io. 6. 59.
vet in æternum. Per fletum divini amoris vita datur, & ignis excitatur: vivamus igitur, & diuinum pariter carbonem concipiamus, *ut ignis in*

nobis desiderij assumens eo ex carbone ignitionem, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, ut participatione divini ignis igniamur & deificemur.

Procul hinc prophana hæresis, quæ non ex accensis carbonibus, sed ex mero pane, & mero carbone suam parat, & instruit frivolam & inanem, ludicram & frigidam cænam. Sunt certè mulieres tam mali ac pravi gustus, ut nigros carbones comedant. Mulieres stultę & insanæ, quarum instar stulta. & insana hæresis Calviniana a mortuis carbonibus pascitur. Sapiens & docta Mater Ecclesia Catholica, in cu-
Ps.17. 9. ius sacris altaribus ardent Eucharistici ignes, *Carbones succensi sunt ab eo.* Cui bono? ut ignis in nobis desiderij assumens ex sacris carbonibus ignitionem, comburat peccata nostra, & illuminet, orda nostra, ignia-
Ioa.6.58. mur, & deificemur iuxta promissum Christi, *Sicut misit me vivens Patres, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Misit me Pater clarum, splendidum, & accensum, & qui manducat me, & ipse clarus, fulgidus, & accensus vivet propter me. Hic est, qui dignè suscipit Communionem; quisquis enim indignè ad carbonem ardentem venit, non accedit, ut incendatur & deificetur, sed quantum in se est, ut extinguat in illo ignem, ac proinde, *reus erit corpo-*
1.Cor.11. 27. *ris & sanguinis Domini.* Qui probati & iustificati ignem Eucharisticum accipiunt & concipiunt, erunt similes ijs, de quibus dicit Sapientia, *Fulge-*
Sap.5.7. *bunt iusti, & sicut scintillæ in arundineto discurrent.* Arundines inanes sunt, & præ cælesti amore concepto quicquid in mundo est vacuum & frivolum existimabunt.

Conclusio. Existimemus & nos, quibus lux Baptismi affulsit, refulsit & splendor Eucharistiæ, ut & dicere possimus cum Clemen. Alexand. libr. 1. Pędagog. cap. 4. *Tincti illuminamur; illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur. Ego, inquit, dixi: Dij estis & filij excelsi omnes:* clari, splendidi & fervidi, quales esse proles decet nutritas divino pane, in quo Christus clarescit, splendescit, ac fervescit in honorem & nomen Patris, Filij & Spiritus sancti, &, ut ait Ambros. libr. 1. de Abel & Cain; *Qui sacrificat in unum splendorem, in unam lucem debet credere Trinitatis:* cujus quoque nomine impenditur Sacramentum Confirmationis, arcentis hostes fidei sanctissimæ Trinitatis, & instar Confirmationis verus sacræ Eucharistię panis est, panis provectorum & adultorum. Sine calore nec fit, nec conficitur communis panis, & panis cor hominis confirmans cum calore, & igne Spiritus sancti in Sacramento Confirmationis ritè ac rectè compo-
Prou. 9.5 nitur a Sapientia, quæ nos vocat, *Venite, comedite panem meum.*

SA-

SACRAMENTALIS PANIS COR HOMINIS confirmans instar confirmationis est.

SANCTUS Cyprian. Epist. 70. ad Ianuarium scribens de Confirmationis Sacramento, inquit, *Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porrò autem Eucharistia est, & unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatum.* Conveniunt itaque in nomine Eucharistiæ, id est, bonæ gratiæ, Confirmationis chrisma, & venerabile Sacramentum. Cæcutiebat Isaacus, & tamen a longè speculabatur sacri panis & vini cum oleo Confirmationis coniunctionem & convenientiam: agens enim de benedictione impensa Iacobo filio minori, præscius futurorum dixit, *Frumento, vino, & oleo stabilivi eum.* Præscivit qualis esset in sacro frumento vino, & oleo, quo fuit inunctus, unde & Christus dicitur. Accedit Cyrillus Hierosolym. Catech. 3. *Postquam ex aquis sacri lavacri ascendimus, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus. De quo & B. Isaias in sua prophetia ex persona Domini locutus est: Spiritus Domini super me: qua propter unxit me, euangelizare pauperibus misit me:* addit & paulo post; *Cæterum vide, ne illud esse putes unguentum tantum: quemadmodum enim panis Eucharistiæ post sancti Spiritus invocationem, non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic & sanctum hoc unguentum, non amplius est unguentum nudum, neque (si quis ita appellare malit) commune, postquā iam consecratum est, sed est chrisma Christi, quod adventu Spiritus sancti per ipsius divinitatem energiam habet.* Tanta est non solum nomine, sed etiam reipsa convenientia Eucharistiæ, & Confirmationis, & quidem profecta a Spiritu sancto, ex quo gratia promanare debet, ut eius adiutorio magis pateat, magis innotescat.

III. *Conveniunt in arce Sapientiæ Eucharistia, et Confirmationis Sacramēta.*

Genes. 27. 39.

Sacramentum Confirmationis.

CElebratur, & quidem meritò, Samson propter suos septem crines, in quibus septem dona Spiritus sancti refulgebant. Typus, hic Nazareus erat, Christi Domini, in cuius vertice Spiritus sanctus resedit in columbæ forma, dicitque ipse de se, *Spiritus Domini super me.* Super Luc. 4. 18.
Christum Spiritus divinus erat, & in eo, secundum oraculum Isaiæ, quiescebat, & apud eum septem sua munera deponebat, *Requiescet super eum* Isai. 11. 2.
Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & intellectus, Spiritus scientiæ, & pietatis, Spiritus consilij & fortitudinis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. Christum virtute Spiritus sancti unctum & septem eius donis ornatum refert Christianus homo, qui post susceptionem baptismi sacro inungitur oleo sacramentalis Confirmationis, & septiformi gratia illustratur & decoratur. Facit ad hoc ipsum institutum quod Rabanus Archiepiscop. Moguntinus lib. 1. de Institut. Cleric. cap. 30. scribit. *Signatur baptizatus cum chrismate per Sacerdotem in capitis summitate, per Pontificem verò in fronte, ut priori*

unctione significetur Spiritus sancti per ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque ut eiusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & virtutis venire in hominem declaretur. Sampson ille Hebræus prius prædìtus & ornatus virtute Spiritus sancti describitur, *capit Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan,* prius suæ fortitudinis specimen exhibuisse narratur in conflictu inito contra leonem, & postea quod fauum mellis invenerit & gustaverit, dixeritque per ænigma venerabilis Sacramenti, *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Prius Christus, cui similis factus est Sampson, antequam prodiret in campum contra mundum & eius principem, accepit in sacro vertice columbam Spiritus sancti, deinde cum leone conflixit & vicit. Certavit cum mundo, prædicando Euangelium, vicit mundum, & post victoriam instituit sacrosanctam Eucharistiam. Qualis ille, tales & nos esse debemus ut, accepta Spiritus sancti gratia, virtute Confirmationis paremus nos ad conflictum, qui sanati prius sumus oleo sacri Baptismatis. *Delibuti igitur,* inquit Damian. Sermon. 1. de Dicatio. Ecclesiæ, *utriusque roris unguento, illo sanati, confortati isto, securius descendamus ad singulare certamen. Nec nos deterreant arma Goliæ, vel magnitudo moveat staturalis, quia nobiscum est magnus Dominus Deus noster, & magna virtus eius apprehendens arma & scutum, ut exurgat in adiutorium nobis.* Quod si Sampson a conflictu venit ad fauum mellis, & Christus ipse a pugna venit ad Eucharistiam. Christianus quoque miles in certamine spirituali prius exerceatur, necesse est, ut deinde possit mysterijs Eucharisticis frui. Quod si Sampson septem decorus crinibus fauum accepit mellis, & Christus ornatus septem donis Spiritus sancti accepit panem, sacravit, & seipsum consecravit; oportet ut & anima totidem muneribus decorata cælestem sumat panem, & illo gaudeat. *Panis cor hominis confirmet*: & quidem eius virtutis est, ut septem illa dona, quibus anima componitur pro sacra eius susceptione, & communione, perficiat, firmet, ac roboret.

Iud. 14. 14

Ps. 103. 14

Sacra Eucharistia.

Ioa. 6. 59.

Spiritus Sapientiæ communis est Eucharistiæ & Confirmationi.

Hic est panis, qui de cælo descendit, Mirabilis hic panis est, qui priusquã editur, sapit, sapit autem melius, cum comeditur: nec non postquam iam sumptus, & etiam consumptus est. Novit hoc anima prædita Spiritu Sapientiæ, quem in sacramento Confirmationis accepit. Auctor Bernard. est cap. 7. de septem donis, quod *Spiritus sapientiæ, sit quidam internus sapor, & suavissimus gustus: Vnde Psalmista, Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* Multum interest inter alimoniam corporis, & alimentum animæ: alimonia corporalis non sapit, nisi palatum tangat, alimentum verò spiritale, antequam sentiatur in gustu corporis, sentitur in corde. Huc pertinet id, quod docet sanctum Concilium Tridentinum ss. 13. cap. 8. *Quod ad vsum autem rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc Sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim dixerunt Sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores, alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cælestem panem, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum eius ut utilitatem sentiunt: tertios verò Sacramentaliter, & Spiritualiter, hi autem sunt, qui se prius probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant.* Qui pertinent ad secundum ordinem, spiritaliter solum & non Sacramentaliter sumunt Eucharistiam, & nihilomi-

nihilominus in conspectu tanti Mysterij constituti *fructum eius & utilitatem sentiunt.* Nec dum Christus condiderat Sacramentum, nec dum panem sacrum fecerat,nec seipsum consecraverat,tantùm celestem proponebat panem , & iam Petrus viva fide ac dilectione comitatus gustum Eucharistiæ percipiebat,eiusque dulcedine attractus,cum Christus quæreret, *Numquid & vos vultis abire?* respondit, *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Tantam habet energiam revelatus Christus a Patre in Sacramento altaris,cui non sine fundamento aptari possunt verba S. August. Tract. 26.in Ioannem; *Ramum viridem ostendis oui, & trahit illam, nuces puero demonstrantur,& trahitur,&c. Si ego ista,quæ inter delicias & voluptates terrenas revelantur amantibus,trahunt, quoniam verum est, trahit sua quemque voluptas, non trahit revelatus Christus a Patre?* Trahit quidem Petrum, trahit & alios Petro similes,qui spiritualiter panem cælestem propositum sibi sumunt. *Est enim,* ut ibidem ait Augustin. *quædam voluptas cordis,cui panis dulcis est ille cælestis.* Ioan.6.68

Sapit benè Eucharistia, antequam percipiatur ore , sed tunc melius, quando corde & ore sacramentaliter & spiritaliter sumitur. Pertinet hæc ratio Communionis ad eos, *qui se prius probant, & instruunt , ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant.* Accedentes ad hanc mēsam monet David. *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus.* Dulcem ac suavem experiebantur Christum,cum illum caperent primævi illi Christiani,de quibus scriptum est Act. 2. *Quotidie perdurantes unanimiter in templo,& frangentes circa domos panem,sumebant cibum cum exultatione.* Hinc monet adhuc Ecclesia, *in voce exultationis resonent epulantes in mensa Domini:* rursus. *Ex altari tuo Domine Christum sumimus, in quem cor & caro nostra exultant.* Ps.33.9.

Nec solum cælestis panis,dum tangit palatum,dulcis ac suavis est, sed multò magis, postquam iam comestus est : dicitque propterea Ecclesia, *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus.* Rex David, quasi iam communicasset, dixit; *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Ps.83.3. Post acceptam Communionem dicit Sapientia Patris, ut advertit Iustin. Serm. de Eucharistia, *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Commentatur Iust. *Non quidem ut suas a filijs hominum captet delicias, sed ut cum filijs hominum communicet proprias.* Quod si proprias communicat,cum illę perpetuę sunt, adhuc manent post sumptionem,& post sacrarum specierum panis & vini consumptionem. Prou.7.31

Accedit Spiritui Sapientiæ Spiritus intellectus, qui datur per Confirmationē,in ordine ad Communionem, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Ambros. in hunc locum, *Quid sibi vult istud exordium in Domini passione! Beatus qui intelligit super Christi inopiam & paupertatem,qui propter nos pauper factus est,cum dives esset. Sed fortè dicas, quomodo dives in paupertate Christus? Quæ ergò est ista paupertas,quæ divites fecit? Consideremus eam,intendamus in ipsum Venerabile Sacramentum,quid purius potest esse eo, atque simplicius?* Beatus igitur,qui Spiritu intellectus præditus *intelligit super egenum & pauperem,* qualis est Christus in venerabili Eucharistia. Benè hoc loco cadit, quod scriptum est Deut. 33. *Habitabit Israel confidenter,& solus oculus Iacob in terra frumenti & vini,celique caligabunt rore. Beatus es tu Israel, quis similis tui popule,qui salvaris in Domino?* Consonat dictis Christus, *Beati mundo corde,quoniam ipsi Deum videbunt.* Accedit Bernard.c.6.de septem donis, *Qui ergò vult sincerum ac lucidum intellectum habere, pravarum cogitationum phantasias*

Communis Eucharistiæ et Confirmationi Spiritus intellectus. Ps.40.2.

tasias ac nebulas studeat effugere, & cum omni diligentia & cautela cor servare. Quid si lucidus intellectus nebulis densis peccatorum fuerit inobscuratus? *Probet seipsum homo*, & tenebras criminum debita pænitentia abstergat & sic de pane illo edat. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi mãducat, & bibit, non dividicans corpus Domini.* Non diiudicat atque discernit, qui visu intellectus caret.

1.Cor.11. 28.

Hic visus & Spiritus intellectus illucescit, cum Eucharistia percipitur. Legimus 1. Reg. 14. quo pacto esuriens Ionathas gustaverit fauum mellis, & fuerit illustratus, *Extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & convertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Fauus hic Eucharisticus est, quem dum anima sumit, dicit illi sponsus, Cant. 4. *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua:* & illa Cant. 5. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.* Quam primum Sacerdos comedit fauum, & vinum necdum exhausit, & dicit. *Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus.* Hæc puritas mentis mundities intellectus est, & simul internorum illuminatio oculorum, quam consecutus est Ionathas cum fauum mellis degustavit, nec post eius gustum illam perdidit, sed retinuit. *Cibavit illum pane vitæ, & intellectus.*

Ad eandem quoque formam illuminati per Eucharistiam oculi non amittunt, sed servant illustrationem. Quò pertinent duæ orationes, quas post factam Communionem recitat Sacerdos. Prior hæc oratio est, *Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut quæ solenni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia consequamur.* Secunda hæc: *Cælesti lumine, quæsumus Domine, semper & ubique nos præveni, ut mysterium, cuius nos participes esse voluisti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus affectu.* Utinam post celebrationem Sacerdoti, & laico post communionem purificatæ mentis intelligentia succedat, & detur purus intellectus intuitus, cui accedat Spiritus scientiæ.

Cõmunis Eucharistia et Cõfirmationi Spiritus sciẽtia Eccl. 1. 18.

Spiritus scientię, qui confertur in sacramento Confirmationis, & convenit accedenti ad Eucharistiam, præditus ille est, de quo Salomon, *Qui addit scientiam, addit & dolorem:* Qualis hæc scientia sit, explicat Bernard. cap. 3. de septem donis, *Vera scientia est, scire nos mortales & caducos.* Hæc scientia quam apta sit & idonea, ut quis ad altare accedat, vel ex hoc intelligi potest, quod lib. de somnijs refert & affert Philo: *Principem sacerdotum quoties ritè immolaturus præscriptas victimas accedit ad altare, cinere & aqua lustrali lustrari sacra lex iubet, ut in sui memoriam redeat: nam & ille sapiens Abraham supplicaturus terram se ait esse ac cinerem* Maior Abrahamo Christus, maior omni Pontifice, & cum se consecraturus erat, prænovit se esse mortalem, teste enim Ioanne, sciens Iesus quia venit hora eius, *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*, pascha suum celebravit, *Scientia inflat*, sed non hæc, qua quis ante sacrificium novit se esse mortalem. *Quis enim*, citatus iam Philo ait, *cogitans se aquam & cinerem iam indè a creationis suæ primordiis, inflabitur & cristas tollet per arrogantiam? Ideo sacrificaturos etiam ad hunc modum aspergi legislator iubet, neminem censens dignum his muniis, qui sibi non sit notus antea, & ignoret vilitatem hominis, quam ex elementis, è quibus constat, coniectando intellexisse debuerat.*

Ioa. 13. 1.
1. Cor. 8. 1

Veniebant olim ad suas victimas & hostias ministri, de sua certi mortalitate, & post earum oblationem & communicationem in misero illo statu, in quem venerant, redibant. Non sic contingit ijs, qui dignè offerunt, & capiunt Eucharistiam: accedunt quippe mortales, & immortales fiunt. *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt, qui manducat hunc*

Ioa. 6. 59.

panem, vivet in æternum. Deus cum hæc omnia sensibilia condidit, citò cōdidit. *Fiat lux, & facta est lux*, & hunc eundem tenorem servavit in creatione rerum ceterarum, excepto homine, in cuius formatione festinus ille non fuit, dixit prius. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, ac deinde per otium hanc sui imaginem & effigiem fecit, & confecit. Celebre responsum antiqui pictoris illud, *Æternitati pingo.* Erant, qui mirarentur etiam otium in pingendo, quibus sic respondens satisfecit. Ostendebat itaque Deus ceteras creaturas non æternitati, sed corruptioni conficere, immortalitati verò hominem condere. Evertit suo veneno serpens immortalitatem concessam homini, & ut illam acquireret, rursus eidem succurrit venerabili Sacramento. Confirmat hoc ipsum S. Gregor. Nyss. Orat. Catechet. *Qui venenum*, inquit, *sumpserunt, alio medicamento illud depellunt, ita peccatori adhibendum est corpus Christi medicamentum, cuius virtus in universum corpus distribuatur.* Hoc medicamentum distributum per totum corpus destinat, & consecrat illud resurrectionis futuræ æternitati.

Gen. 1. 3.

Gen. 1. 26

Hæc forsitan causa est, propter quam Christus monet suos post Consecrationem & Communionem, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Cur non illos monuit, ut meminissent se esse caducos & mortales? Voluit ut memores essent sui ipsius, qui cum essent natura sua morti & mortalitate obnoxij, beneficio gratiæ suæ essent iam adscripti, & dicati immortalitati & æternitati. Tantus noster benefactor dignus est, qui Spiritus scientiæ cognoscatur, dignus qui Spiritus pietatis colatur & adoretur.

Spiritus pietatis secum importat cultum & venerationem Dei, qui & suos per Confirmationem roborat, & per Eucharistiā confirmat. Ad hunc pietatis cultum, qui debitus est sacrosanctis mysterijs altaris, hortatur nos David rex, cum dicit, *Adorate scabellum pedum eius.* Quid autem sibi velit Psalmista explicat D. Ambros. libr. 3. de Spiritu sancto cap. 13. *Per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus.* Terra, in qua Christus suos tenet pedes, ut a nobis non recedat, sed nobiscum maneat, caro consecrata est, quam colimus & adoramus iñ Ecclesia, & quidem veneratione & religione latriæ, quæ soli Deo debetur. Catholicum est hoc dogma iuxta definitionem Concilij Trident. ss. 13. cap. 5. *Nullus*, inquit, *dubitant locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctißimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino ut sumatur institutum. Nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit, Et adorent eum omne Angeli eius: quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse scriptura testatur.*

Communis Eucharistiæ & confirmationi Spiritus pietatis.

Ps. 98. 5.

Panem Angelorum manducavit homo: Igitur cum in eo pane sumat Christum, quem Angeli iuxta præscriptum æterni Patris adorant, adoret & ipse. *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus:* Ergò cum tribus Regibus adorent Christiani Deum, qui continetur in sacra Eucharistia. Dignitas planè regia est Christum non solum manducare, sed etiam adorare, more sanctorum Apostolorum, imò & sanctarum mulierum, quæ post resurrectionem cultrices se scabelli Christi esse ostēderunt, cū pedes eius tenuerūt. Canit propterea Ecclesia; *Angelus prædixit mu-*

mulieribus, in Galilæa Dominus, videndus est quantocius, illæ dum pergunt concitæ, Apostolis hoc dicere, Christi tenent vestigia. Teneant & animæ spiritu pietatis præditæ, venerantes & adorantes Deum pariter & hominem, quem in sacro altari capiunt.

Communicantes animæ, postquam susceperint Christum in sanctissimo Sacramento, *adorabunt de ipso semper:* adorabunt de ipso, quia de ipso sacrum alimentum sumpserunt. Digna vox communicantium, *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius.* Ubi steterunt? non alibi, nisi in scabello, de quo dixerat David. *Adorate scabellum pedum eius.* Hoc Spiritus pietatis munus, cui in sancta Confirmatione accedit Spiritus consilij, & eius usu non parum indiget, qui sacram Synaxin adit.

Ps 71. 15.
Ps. 131. 7.
Ps. 60. 5.

Cōmunis Eucharistiæ et Cōfirmationis Spiritus consilij.

Spiritus sanctus est, qui dat bona consilia suscipientibus Eucharistiam. *Consilij autem dandi*, ut ait Clem. Alexand. libr. 1. Pædag. cap. 10. *tres sunt partes: Vna quidem, quæ sumit exempla ex tempore præterito, ut verbi gratia, quid Hebræis evenerit, qui aurum per idolatriæ crimen adorarunt in vitulo, & quid passi sunt cum fornicati essent, & quæ sunt similia.* Similia sunt, quę iussus a Spiritu sancto David pro eruditione communicantium memorat Psalm. 77. *Manducaverunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati a desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, Et occidit pingues eorum, & electos Israel impedivit.* Monet itaque Spiritus consilij deductis ex præterito tempore exemplis, ne provocet iram Dei in usu & sumptione Eucharistiæ, quippe quæ *mors est malis, vita bonis.*

Altera verò Clemens ait, *quæ ex præsenti tempore intelligitur, ut quæ sensu comprehendatur, sicut illud, quod dictum est ijs, qui Dominum rogarunt, An ipse es Christus, an alium expectamus? Abite & dicite Ioanni, cæci vident, surdi audiūt, leprosi mundantur, mortui resurgunt, & beatus, qui non fuerit scandalizatus in me. Hoc ergo fuit quod prædicens dicebat David; sicut audivimus, ita & vidimus.* Ad hanc partem consilij pertinet, quod idem David ait, *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus:* Et Dominus ipse dicit de se. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad Consummationem seculi*, Loquitur de se tamquā præsente, cū asserit in Euangelio; *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Ex futuris autem*, inquit Clemens, *constat tertia pars dandi consilij, quæ quæ sunt eventura, iubet caveri, quemadmodum quoque illud dictum est. Qui autem peccata inciderint, eijcientur in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium, & quæ sunt similia, ut ex his omnibus clarum sit, Dominum per omnem medendi rationem procedentem humanam naturā evocare ad salutem.* Ad hanc quoque rationē medēdi pertinet id, quod in futurū eveniet homini, qui iuxta consilium Spiritus sancti nō se probaverit, sed potius illud respuerit, eveniet, sicut minatur Apostolus, *Qui enim manducaverit panē, vel biberit calicē Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini:* & huic dicetur a Rege, *Amice quomodo hūc intrasti, nō habēs vestē nuptialē?* pręcipiatq; statim ministris *Mittite eum in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentiū.* Viden quāti referat sequi quod spiritus cōsilij dictat? sequitur hūc spiritus fortitudinis

Matt. 28. 20.
Ioa. 6. 57.
1. Cor. 11. 27.
Matt. 22. 12.

Cōmunis Eucharistiæ et Cōfirmationis Spiritus fortitudinis.

Spiritus fortitudinis tam in Sacramento Confirmationis, quā in mysterio sacrosancto Eucharistiæ maximè elucet. Elucet in Confirmatione. *In baptismate*, ut dicit Damian Serm. 1. de dicat Eccl. *Spiritus datur ad veniam, hic ad pugnam: ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus præmunimur.* Elucet etiam in Eucharistia iuxta illud Davidicum, *Exhilaret faciem in oleo, & panis*

Ps. 103. 15

& panis cor hominis confirmet. Oleum illud sacræ Confirmationis est, panis Ps. 103. 16
hic mysticus est Eucharistiæ. Antequam Sampson fauum mellis degustaret, suæ virtutis, ac fortitudinis specimen dedit, prius cum leone decertavit, & illum superavit. Victoriæ triumphator recreatus mellis dulcedine ænigma protulit, *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Priusquam veniat quis ad Eucharistiam, oportet ut cum hoste fortiter confligat, hoste nimirum, quem designat D. Petrus, *Fratres sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærēs, quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Fortis fides est, quæ viro Christiano commendatur ab Ecclesia, ut sacram Synaxim accipiat; *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides.* Fides animosa est, ubi Spiritus fortitudinis est, quo excitantur fideles, ut de mysterijs Christi participent; *Igitur accedat nemo cum nausea, nemo resolutus, omnes accensi, omnes ferventes & excitati*: quemadmodum Chrysostom. Homil. 83. in Matth. exhortatur.

Iud. 14. 14.

1. Pet. 1. 13

Accedit S. Laur. Iustinian. cap. 9. de Perfect. Monst. *Quis non excitetur ad mentis devotionem, cum diligenter consideret tam ineffabilem divinæ dignationis charitatem sic inclinari ad se?* Cum inclinat se Christus, & percipitur ab homine, excitatur, & eius fides magis ac magis firmatur, additque propterea Iustinian. *Pia etenim mens tanti sponsi lætificata præsentia, venerando hoc mediante Sacramento, repletur gaudio, exultatione perfunditur, humilitate deijcitur, lumine irradiatur, roboratur fide.*

Qui talis est antè, & in ipsa Communione, qualis post illam evadat, explicat ibidem Iustinianus, *Ferventior in dilectione, promptior in opere, in tentatione prudentior, sollicitior in virtute, in administratione alacrior, nec non & in ipsius frequentatione efficitur ardentior.* Ex umbra veritas, & umbra illius panis, qui datus est Eliæ, & *ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei*, collige quam promptus, excitatus & alacer esse debeat, cuius virtus aucta est virtute mirabilis Sacramenti. Verè mirabile est, cuius umbra ita extitit miraculosa. Cum umbra B. Petri patraret miracula, prę cæteris Apostolis mirabilis Deus in eo dictus est, dicit enim Ecclesia, *in Apostolo tuo Petro te mirabilem prædicamus*: & cum umbra sacræ Eucharistiæ effecerit olim mira, admirabile Sacramentum est, unde & eadem Ecclesia inquit, *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili memoriam passionis tuæ reliquisti.* Miraculosa umbræ virtus, qualis sit vis & fortitudo Eucharistię, facile ostendit, ac simul demonstrat. Non adversatur huic Spiritui virtutis ac fortitudinis Spiritus timoris, qui ultimo loco ponitur in Christo, *Replebit eum Spiritus timoris Domini.* Qui hoc Spiritu prædītus est, nihil timet, ait enim Ecclesiast. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes eius.* Ne paveat, ne trepidet Christianus miles, virtute Confirmationis timore divino munitur, quo ornatus & roboratus accedit ad Sacramentum Eucharistię.

1. Reg. 19. 8.

Isai. 11. 3.

Eccl. 34. 16.

Sacramentum venerabilis Eucharistiæ convenit ijs, qui Spiritum timoris habent; *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Vult timeri ante sacram Communionem Deus, & illum timet, qui fugit omne peccatum, ne tantis mysterijs indignus fiat. Quod si aliquando deliquerit, corripitur timore divino, qui, priusquam adeat mensam & altare summi Dei, audit, & obedit Apostolo dicenti, *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Docet nos ibidem Apostolus, quanta sit occasio pavoris & horroris, ut Concilium Tridentinum

Cōmunis Eucharistia et Cōfirmationis Spiritus timoris.

Ps. 110. 4.

1. Cor. 11. 28.

ff. 13. cap. 7. monet, *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sanctè, quo magis sanctitas & divinitas cælestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.*

Vult etiam timeri Deus in ipsa sacra Communione. Plena quoque formidinis verba sunt illa, quæ Proverb. 23. dicit Salomon communicanti: *Quando sederis ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* Igitur timens ac tremens, dum percipis Sacramentum, *cogita*, ut ait Chrysostom. Homil. 60. ad pop. Antioch. *quali sis insignitus honore, quali mensa frueris, quod Angeli videntes horrescunt, nec liberè audent intueri propter emicantem indè splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur.*

Post Communionem & unionem timendus Deus est, dicitque propterea David Psalm. 33. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo. Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum. Divites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono.* Prius invitat ad Eucharistiam, & iubet, ut gustent, *Gustate & videte*: deinde post eius sumptionem monet. *Timete Dominum omnes sancti eius.*

Conclusio *Qui sanctus est, sanctificetur adhùc.* Sanctus per Baptismum, sanctificatur
Apoc. 22. per Confirmationem. Benè S. Melchiades Pontifex & Martyr scribens ad Episcopos Hispaniæ monet. *Attendat Charitas vestra: Sicut exigit militaris ordo, ut cum Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solum signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militem, da ei adiumentum militiæ.* Hæc munitio, hoc adiumentum Confirmatio est, quæ septiformi gratia Spiritus sancti ornatur & roboratur, ut qui virtute Confirmationis sanctus efficitur; fiat sanctior per Eucharistiam, in eam rationem & formã quam lib. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 2. describit S. Dionys. *Assumentes autem baptizatum Sacerdotes susceptori, suique accessus duci consignant, & una cum ipso illum vestem baptizati munditiæ congruam induunt, sicque indutum rursus ad Pontificem ducunt. Ille divino ac deifico prorsus unguento virum signans, sacratissimæ Communionis percicipem facit.* Facit participem mellis & favi, qui Sam-
1. Cor. 11. 28. soni Christiano debetur, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat,* ut utroque munitus, Sacramento Pænitentiæ & Eucharistię commissa crimina propulset, & arceat à se committenda positus in arce Sapientiæ, quæ panem lugentium esse voluit Eucharistiam, Panis quotidianus, antequam deglutiatur, humectatur, & luctu & lachrymis Pænitentiæ madefieri oportet panem, ad quem vocamur & invitamur;
Prou 9. 5 *Venite, comedite panem meum.*

SA-

SACRAMENTALIS PANIS LVGENTIVM

instar Pænitentiæ.



NEMO est, qui nesciat typum esse pænitentiæ cinerē, quo sancta mater Ecclesia insignit frontes fidelium, initio quadragesimæ sacræ dolori, ac contritioni de cōmissis facinoribus. Hic cinis pænitentiæ, quam conveniat cum Eucharistia, perspici facilè potest ex eo, quod panis hordeaccus Gedeonis, eversor totius potentię Madianitarum, subcinericius erat, & hic certo certius pręsignabat hunc eundem panem, qui de cęlo descendit. Exhibitus quoque panis Prophetæ Eliæ, in cuius cibi fortitudine ambulavit usque ad montē Dei Horeb, subcineritius planè erat, & in eo adumbrabatur verus ac viuus panis, qui nunc in altari offertur Deo, & hominibus confertur. Sapienter igitur David dolens ac lugens propter scelus patratum dicit de se, *Cinerē tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Meritò monet pęnitentes, *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris*. Panis doloris panis est passionis, & hic quidem Eucharisticus est, qui etiam & panis doloris dicitur, quoniam edere de illo non licet, nisi prius de admissis culpis quisdoleat, & dolens confiteatur iuxta præceptum Apostoli, *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Cū tanta sit consonantia inter Eucharistiam & Pænitentiam, videndum restat, quam illa cedat in honorem & decorem venerabilis Sacramenti. Videnda hæc gloria est cum gratia Spiritus sancti, cuius flatu Pęnitentia confertur, cuius ope Eucharistia conficitur, immolatur, & subministratur.

IV. *Conveniunt in arce Sapientia Sacramēta Eucharistia et Pænitētia*

Ps. 101. 10

1. Cor. 11. 28.

Sacramentum Pænitentiæ.

MAgnum peccatorum naufragium, in quod deveniunt summocum periculo Christiani omnes, quotquot post susceptum sacrū Baptisma ingrati Deo Deū offendunt. Læsus & offensus Deus misertus hominum providit de Sacramento Pænitentiæ, quæ est secunda tabula post naufragium: ut naufragi peccatores possint è tanto discrimine evadere. Pænitentia est secunda tabula post naufragium. Sic eam appellat Hier. in c. 3. Isaiæ; *Secunda post naufragiū tabula Pænitentia est.* Accedit Amb. scribens ad Virginem lapsam ait c. 3. *Sed tu, quæ iam es ingressa agonem pænitentiæ, insiste misera fortiter, inhære tamquam naufragus tabulæ, sperans per ipsam te de profundo criminum liberari.* Hoc eodem nomine Pænitentiam communiter Patres donant, ut Concilium Tridentinum ss. 6. cap. 14. tradit. *Lapsi reparationem secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres aptè nuncuparunt.* Certum hoc remedium est, unde Patianus epist. 1. ad Sympronian. Novatian. asserit, *Pigeat sane peccare, sed pænitere non pigeat, pudeat periclitari sed non pudeat liberari. Quis naufrago tabulam, ne evadat, eripiet?* Missus est in mare Jonas, & præparavit Deus piscem grandem, qui ventre suo naufragum exciperet. Loco secundæ tabulæ fuit Jonæ Jonæ. 2. 1.

S cete

cete magnum, in cuius utero clausus oravit Dominum: *Cum angustiaretur,* inquit ipse, *in me anima mea, Domini recordatus sum: ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum. Qui custodiunt vanitates, frustra misericordiam tuam derelinquunt. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumq; vovi, reddam pro salute Domino.* Hic idē status est miseri peccatoris, & cum in naufragio cōveniat cum afflicto Jona, consentiat etiam cū ipso in oratione & emissione votorum. Et quidem necesse est, ut qui secundæ tabulæ inhæret, votum nuncupet Eucharistiæ, & suo tempore illud adimpleat suscipiendo reipsa panem de cælo venientem. Certa & vera doctrina est a Theologis recepta, omnem hominem verè pęnitentem habere in voto Eucharistiam, & si quis illam non habeat, vera pænitentia carere. Dignum sacramentalis pęnitentiæ votum est Eucharistia, cui Pęnitentia & eius partes Contritio, Confessio, & Satisfactio consonant. Eucharistia est sacra hostia.

Sacra Eucharistia.

Hostia Euchari stia & Pænitentia.
Ioan. 6. 56 C*Aro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus:* hostia quoque Pænitentia est, sicut Levit. c. 4. descriptum in imagine est. *Si peccaverit princeps, & fecerit unum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, & postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum, ponetq; manum suam super caput eius, cumq; immolaverit eum in loco, ubi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est, tinget Sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum fundent ad basim eius. Adipem vero adolebit supra altare, sicut in victimis pacificorum fieri solet: rogabitque pro eo Sacerdos & pro peccato eius & dimittetur ei. Quod si peccaverit anima de populo terræ,* iubet ibidem Deus, ut offerat hostiam capræ, aut ouis, in quarum immolatione præceptus iam ritus omninò servetur. Non desunt, qui invideant pænitentibus Hebręis, qui per hircum, capram & ovem Deo reconciliabantur. Nec advertunt cū antiquis Israelitis, postquam deliquissent, non aliter quam cum brutis animantibus
Ps. 31. 9. Deum se pro meritis gessisse. Hinc orta vox illa Dauidica, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus:* & illa altera, *In camo & freno maxillas eorum constringe.* Secus nunc agit Deus cum peccatore, agit tamquam cum homine, ut de se rationalem hostiam conficiat & martyrem faciat, sibi testis, tortor & iudex. Peropportunè dicit S. Bonau. in Psalm. 82. *Tria sunt in iudicio testis, tortor & iudex: sic in mente hominis, ibi testis conscientia quæ accusat, dolor, qui cruciat, ratio iudex, qui iudicat,* Brevius, & melius Apo-
1. Cor. 11. 28 stolus ait, *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Hæc probatio tota posita est in pænitentia, & ad hanc vocatur homo, *ut de pane illo edat.* Hæc mystici panis oblatio tota rationalis est, ac proindè homines rationales postulat.

Ea propter sancta mater Ecclesia in augusto Missę Sacrificio dicit ęterno Patri, *Quā oblationē tu Deus in omnibus quæsumus benedictā, acceptam, ratā, rationabilē, acceptabilemq; facere digneris.* Hostiā rationabilem nominat, quā de seipso conficit ac perficit Christus in odorem suavitatis, Patri animaliū irrationalium hostias & victimas fastidienti, & præ tędio, atq; fastidio dicēti,
Ps. 49. 3. *Nūquid carnes taurorum manducabo, aut sanguinē hircorum potabo?* Carnē & sanguinem rationalē pro remissione culparū petebat & appetebat Deus, & pro
Ps. 39. 7. eius gustu & voto dicit Christus, *Sacrificiū & oblationē noluisti, aures autē per-*
Heb. 10. 5 *fecisti mihi.* Legit Apostolus: *corpus autē aptasti mihi,* quod nimirū tā in Cruce, quam

ce, quam in ara poſſet litari & immolari. Verè rationabilis hæc hoſtia eſt, penes quam tota ratio tanti myſterij eſt, cum Deus ipſe ſit qui dicat, *Hoc eſt Corpus meum*, &, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*. Quod ſi tanta ratio penes illũ ſit, inquirere curioſè non debet homo modum & formam, qua ſacra conficitur Euchariſtia. Contra ſubditorum conditionem eſt, inquirere in mãdata, & præcepta ſuperiorum. Imperat Rex, ut quis ad bellum eat, viderit Rex, ſubditus obediat, ni bellum Deo & Religioni adverſetur. *Quod nõ capis, quod non vides, animoſa firmat fides*. Quiſquis ſubditus Chriſti es, ſubijce te Chriſto, penes quem, non penes te ratio ſacrorum myſteriorum eſt, quia Rex eſt, quia Deus eſt, cuius teſtimonium cum ſit ita validum ac forte, fides, quæ illi innititur, animoſa tota efficitur. Fides ſit penes auctorem, qui non decipit, nec decipere poteſt homines. *Probet ſeipſum homo*, 1. Cor. 11. ſed non Deum, quem probaverunt, & tentaverunt Iſraelitæ, cum dixerũt 28. in deſerto, *Numquid panem poterit dare?* & poſteri rogarunt poſtea, *Quomodo* Pſ. 77. 20 *poteſt hic dare nobis carnem ſuam ad manducandum?* Probet ſeipſum homo, Io. 6. 54 non Deum probet; *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra,* Pſa. 948 *ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto: ubi tentaverunt me patres veſtri, probaverunt, & viderunt opera mea.* Probat ſeipſum homo ad ſuſcipiendam rationabilem Euchariſtiam, per rationalem pęnitentiam, cuius prima pars eſt *Contritio*, & quidem rationalis: immo & rationale ſacrificium.

Hoc ſacrificium eſt, cuius meminit David; *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis, ſacrificium Deo, ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Si quis patientis Chriſti conſideret immolationem, deprehendet non fuiſſe factam ſine ſpiritus tribulatione. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*: ſine cordis contritione: *attritus eſt propter ſcelera noſtra:* ſine Crucis humiliatione, *humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Hinc formam ſuæ oblationis accipit pænitens, qui in ſua contritione recognoſcit, quid Deo placet, & offert ſpiritum contribulatum & contritum & humiliatum. Si quis conſideret, qualis ſit panis, qui Deo ſacrificatur; facilè inveniet adhuc in ipſo ſemine fuiſſe in terra oppreſſum, attritum & depreſſum, poſt meſſem vero ſub cribro tribulatum, ſub mola attritum, ſub igne humiliatum. Hinc quoque documentum capiendum eſt, qualis eſſe debeat ſpiritus pænitentis, ut referat Euchariſtiam, & quidem ſpiritus contribulatus, contritus, & ſummiſſus illam refert. Huius aſſerti confirmatio petenda eſt ex quadam ſententia S. Cyrill. Alex. lib. 2. in Leuit. prope finem. *Si in amaritudine fletus fueris, luctu, lachrymis, & lamentatione confectus, ſi carnem tuam maceraveris, & ieiuniis, & multa abſtinentia aridam feceris, & dixeris quia ſicut in frixorio confrixa ſunt oſſa mea: tunc ſacrificium ſimilæ a ſartagine vel craticula obtuliſti.* Iubebat Deus Levit. 2. ut ſacrificium ſimilę eſſet ſine fermento, quia erat imago Euchariſtiæ: mandabat præterea, vt *minutatim* diuideretur ſimila, quoniam contriti cordis erat indicium.

Oblatio Euchariſtiæ & contritionis Pſa. 50. 18. Marc. 14. 34. Iſai. 53. 5. Phil. 2. 8.

Cum eſſet oblatio ſimilæ contriti cordis imago, iuſſit eodem c. ut abſque melle conficeretur. Et ſi mel ab omni ſacrificio exularet, huic præcipuè hoſtię, quæ cõtritionis eſt, minimè cõgruit. Ubi cõtritio eſt, ibi & amaritudo eſt, unde & ille alius Rex totus cõtritus clamabat, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Hanc vocẽ ex contritione cordis promanaſſe teſtatur Conc. Trid. ſſ. 14. c. 4. Accedit Aug. Serm. 7. de tempore, *Quando ſic pænites, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod ante dulce fuit* Iſai. 49. 15.

in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, iam tunc benè ingemiscis ad Deum, & dicis, tibi soli peccavi. Mittit Deus lucem post tenebras, post tempestatem tranquillum facit, & post amaritudinem contritionis providet de dulcedine Eucharistię. Non exulat ab hoc sacrificio
Ps. 80. 16. mel, sicut prędixit David, *Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos.* Quod semel Ecclesia canit in die Natalis Christi, *Hodie melliflui facti sunt cæli,* singulis diebus accidit, cum quotidie verè dicere liceat,
Io. 6. 59. *Hic est panis, qui de cælo descendit* in civitatem Bethleemiticam, & quotidie Christus accidentium involucris quasi pannis & fascijs involuatur, proponaturque videndus & gustandus pænitentibus, contritis simul & confessis.

Immolatio Eucharistia et Confessionis. Confessio quæ est pars Sacramenti Pęnitentiæ, pars quoque est sacrificij, quo se pęnitens immolat, & consecrat Deo, quandoquidem nomine & re convenit cum Confessione, quę pertinet ad martyrium. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* (Matt. 12. 32.) Hęc confessio pars martyrij est, licet fiat sine sanguinis effusione, & licet in Confessione sua pænitens non fundat cruorem, martyrium nihilominus patitur, cum crimina, quæ commisit, coram homine proferre debeat, *Ipsa vero huiusmodi Confessionis difficultas,* ut ait Conc. Trid. ss. 14. c. 5. *ac peccati detegendi verecundia gravis quidem videri possit, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur: quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per Absolutionem certissimè conferuntur.* Accedunt quoque dictis commodis & cōsolationibus commoditates & solatia, quæ proveniunt ex Eucharistia, cui Confessio similis est in eo, quod est incruentum sacrificium, oblatum Patri in remissionem peccatorum, & simul in Confessionem diviniſsimæ Majestatis.

Magna emphasi Paulus de Confessione agens cum eo, qui particeps esse vellet augustissimi Sacramenti dixit, *Probet seipsum homo.* (1. Cor. 11. 28.) Appositum Martyrio verbum usurpavit, cum probationis vocabulo, qualem vellet
Ps. 16. 3. esse Confessionem, declaravit. Vox illa S. Laurentij Martyris est, *Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* Una est omnium Martyrum vox, *Probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* Annuit dictis martyrum Sapiens cap. 3. *Tamquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.* Probat Martyres Deus, ut ex illis conficiat hostiam holocausti sibi gratissimi, probat & pęnitentem ut martyribus similem faciat, tamquam aurum & argentum in fornace explorat & examinat, ut abjectis peccatorum scorijs totus argenteus, & aureus in sacra Communione splendescat. Audi Chrysostom. Hom. 83. in Matth. *Quò non oportet igitur esse puriorem, tali fruentem sacrificio! quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? os quod igni spiritali repletur, linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit?* Hic color auri, hic pretiosi sanguinis Christi, hic quoque animæ pænitentis & erubescentis color aureus est gratus Christo, cuius etiam cruor splendet in Sacramento Pænitentiæ, gratus Matri peccatorum, quæ progreditur quasi *aurora consurgens*, eo gaudet rubeo pænitentium vultu & aspectu. Satis apposite Hieronym. in cap. 7. Ezechiel. *Rubor vultus pudoris indicium, & conscientia peccatoris lucet in facie, spesque salutis est, quando delictum sequitur verecundia.*

Ad prędictam martyrij pęnitentialis rationem, & sacramentalis Communionis formam pertinet locus ille Proverb. 23. *Quando sederis, ut comedas*

cum

cum Principe diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo. Quemadmodum martyres per gladium probantur, & examinantur, ut Deo fruantur, eodem modo per cultrum Confessionis, Sacramentalis explorari debetis qui præsumit Deo frui in Eucharistia. Moneteur pœnitens, ut ipse sibi cultrum apponat, quia ipse suo gladio debet se iugulare & immolare, ac proinde dicit Paulus *Probet seipsum*, iugulat se proprio gladio, & tribus ictibus perfodit, cum cogitatione, verbo, & opere quantum peccaverit, exponit. Igitur *quando sederis; ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam:* attende mysteria altaris, quomodo in illis Christus seipsum offert, & consecrat, non quidem alieno gladio, sed proprio sacrorum suorum sermonum, *Hoc est corpus meum*, &, *hic est Calix sanguinis mei*; ad cuius formam *statue cultrum in gutture tuo*, ut quod agnus immaculatus operatus est, *in remissionem peccatorum:* opereris quoque tu in tuorum scelerum ac culparum confessionem, ac condonationem. Ritè ac rectè cultro comparatur pœnitentia confitentium, quibus dicitur; *Scindite corda uestra & non vestimenta vestra*, & rursus, Ioel. 2. 13. *effundite coram illo corda vestra.* In sacrificio scinditur caro, & cruor effluit, Ps. 61. 9. sicut videmus in passione Christi, pro cuius memoria in venerabili altaris hostia ex vi verborum Consecrationis Corpus a sanguine dividitur: prius enim Christus dicit, *Hoc est corpus meum*, deinde, *Hic est Calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur.* Scinditur mysticè corpus, sanguis profunditur.

Sic celebrandum altaris Sacrificium impij Iudæi minimè assequebantur, ac proinde blasphemi *posuerunt in cælum & suum, & lingua eorum transivit in terram*, dum murmurarent, *Quomodo potest hic dare nobis carnem suam* Ps. 72. 9. Ioan. 6. 54 *ad manducandum? Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Non potuerunt illi audire ethnici, qui publicabant primos Christianos contra fas omne solitos esse comedere carnes humanas. Publicabant impiam carnificinam esse pijssimam Eucharistiam. Quod etiam probrum & contumeliam intulerunt sacræ Confessioni hæretici, in quos invehitur Synod. Trident. ss. 14. cap. 5. *Impium est*, inquit, *Confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare.* Conveniunt ita inter se Eucharistia & Confessio, ut vel in ipsis iniurijs sibi falso inflictis, & impositis similes appareant. Sapienter satis utramque coniungit David, & more Christiano dicit Ps. 110. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio iustorum & congregatione, Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. Confessio & magnificentia opus eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi:* addit statim: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.*

Qui dat sacram Eucharistiæ hostiam, dat etiam sacramentalem a peccatis absolutionem, quæ est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ. Summa hæc animarum æstimatio est, ut idem sit minister consecrationis & absolutionis *Dominus noster Iesus Christus*, quemadmodum decernit Concilium Tridentinum ss. 14. c. 5. *e terris ascensurus ad cælos sacerdotes suipsius vicarios reliquit, tamquam præsides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderunt; qui pro potestate Clavium remissionis, aut retentionis peccatorum, sententiam pronuntient.* Si nosse cupias causas, propter quas penes eundem ministrum sit dispensatio consecrationis, & absolutionis, prima ratio petenda est ex illis verbis Davidis Psalmi 43. *Dedisti nos tamquam oves escarum.*

Consonãt sibi Eucharistia Consecratio & Absolutio.

S 3 Adiungi

Adiunge commentarium. D. Hieronymi, *Sicut enim Dominus tamquam ouis ad occisionem ductus datus est esca populis, cum dicit Ioan. c. 6. Nisi manducaveritis, carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis, ita ut sancti in multis tribulationibus dati, facti sunt pabulum gentibus, vel cum alimenta æternæ vitæ ministrant, vel dum capacitatem eorum de suis ærumnis exsatiant.* Si prædictę oues erraverint, esse possunt oues escarum, dum convertuntur & absoluuntur. Hinc aluntur Angeli, imo & ipse Deus hinc sumit cibum & epulum, quẽadmodum monet S. Dionys. lib. de cæl est. Hierarch. cap. 15. *Reliquus nobis sermo de gaudio cælestium dispositionum. Etenim accipitrices omnino nō sunt eius, quæ secundum nos est passibilis delectationis. Congaudere autem dicuntur de perditorum inventione iuxta deiformem epulationem.* Hoc divinum epulum positum est in reductione animarum, unde dicitur Luc. 15. *Epulari & gaudere oportebat, quia frater hic tuus mortuus fuerat, perierat, & inventus est.* Hac esca contentus Christus inquit Apostolis in conuersione Samaritanæ, *Cibus meus est.* Sacerdos igitur, qui Deum in escam largitur homini, idem ipse hominem in cibum Deo parat, & præbet.

Ioa. 8. 34 Secunda hæc ratio fit. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Seruus est non
Ps. 118. 61 solutus, sed cōstrictus, cum dicat de se David, *Funes peccatorum circumplexi sunt me*: & cum euasisset, dixerit, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam*
Ps. 115. 16 *laudis.* Horum vinculorum solutio, & simul peccatorum absolutio penes Sacerdotes est, ac proinde Christus Apostolis dixit in Lazari resurrectio-
Ioa. 11. 44 ne. *Solvite eum, & sinite abire:* & Petro suo Sacerdoti convenit illud, *Quod-*
Matth. 16 *cumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Quod si penes Sacerdo-
19. tem est solutio & liberatio peccatorum, penes ipsum esse debebat elargitio sacræ Eucharistiæ, cum scriptum sit Deut. cap. 15. *Quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus ei de area & de torculari tuo.* Tota hæc lex planè Eucharistica est, ut lib. 7. de Adorat. monet D. Cyrill. Donatus libertate accipit de gregibus agnum, unde & dicitur communicanti: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: capit de
Io. 6. 59. area panem, *Hic est panis, qui de cælo descendit*, habet de torculari vinum.
Zach. 9. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vi-*
17. *num germinans virgines?*

Accedit hæc tertia ratio. Hic panis filiorum est, *Vere panis filiorum, non mittendus canibus.* Hic panis Angelorum est, *Panem Angelorum manducavit*
Ps. 77. 17 *homo*, Quisquis ad hunc filialem, angelicumque panem accedere præsu-
1. Cor. 11. mat, ostendat prius qualis sit, *Probet seipsum homo.* Sacerdos & pater & an-
28. gelus est, pater quidem est, cui & pænitens ipse dicit, *Confiteor, &c. tibi Pater*: angelus est, de quo Malach. c. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam: & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Cum ita se res habeat, qui probare se filium velit, stare debet iudicio patris, qui Sacerdos est, & qui se dignum probare tentet, ut panem comedat angelorum, sistat te coram angelo, qui sacerdos est, *& sic de pane illo edat*, ita tamen, ut cogitet de danda satisfactione, qua integratur & perficitur Sacramentum Pęnitentiæ.

Satisfactio Eucharistiæ et Pænitentiæ. Et quidem satisfactio Sacramentalis consistit præsertim in tribus, eleemosyna, carnis punitione, & Dei laudatione. Nec dubium quin per se sumpta satisfactio habeat rationem hostiæ, in qua conveniat cum Eucharistia, cum verè dixerit Gregor. in cap. 9. lib. 1. Reg. *Non omnia Christus explevit. Per Crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, ut qui redimi, & qui regnare cum eo nititur, Crucifigatur. Hoc profectò residuum viderat, qui dicebat:*

Si com-

Si compatimur & conregnabimus. Quasi dicat. Quod explevit Christus, non valet, nisi quis id quod remansit, adimplet. Voluit & ipse Christus in Sacramento suo remanere, ut quod reliquum erat in nobis, & nobiscum perficeret, ac consummaret. Huc pertinet id, quod scribit Dionys. Areopagita Epist. 9. *Dicimus etiam habere vim perficiendi eos, quos nutrit, dum imperfectum illorum, atque indigentiam replet.*

Ratio etiam satisfaciendi per eleemosynam consonat Eucharistiæ, cũ monuerit Apostolus, *Beneficentia, & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Quærit Alexander. Alens. 3. p. 4. q. ss. a. 1. Quare in quadrupedibus electa sunt ad sacrificium bos, ovis, & capra in utroque sexu, respondit, *Ista sunt, quæ totum, quod viunnt & sunt, necessitati hominis tribuunt, hoc est, victui & vestitui.* Totum quod est & viuit Christus, nobis prębet ad victum & vestitum Christus, & qui exemplo suo misericors est, ut alat & vestiat pauperem, immo & in paupere ipsum Christum, de suis bonis, & donis offert Deo gratam hostiam in odorem suavitatis. Si magna sit eleemosyna bovem, si verò non ita magna, ovem, & capram refert. Heb. 13. 16

Ratio item satisfaciendi per carnis castigationem talis est, ut loco sacrificij & hostiæ censeatur, ac revera sit, *Qui sunt Christi, carnem suam Crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Hinc orta, vox illa Apostoli: *Adimpleo ea, quæ desunt passionibus Christi in carne mea:* hinc illa ipsius supplicatio; *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Hæc misericordia, per quam precatur Apostolus, illa est, quæ splendet in Eucharistiã, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Et quidem in hac mirabili esca corpus Christi est, in eam omnino formam, quam Christianis viris præscribit hoc loco Paulus. *Obsecro itaq. vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiã viventẽ,* ut per satisfactionem de vestris ipsis corporibus hostiam viventem & incruentam offeratis: *sanctam,* sicut Eucharistia sancta est: *Deo placentem,* sicut & illa hostia acceptabilis est, & sicut illa est rationabilis, sit etiam *rationabile obsequium vestrum.* Gal. 5. 24 Colos. 1. 24. Rom. 12. 1. Ps. 110. 4.

Tandem ratio satisfaciendi per orationem & laudationem divinam vim & robur sacrificij habet, dicitque propterea Oseas. cap, 14. *Convertere Israel ad Dominum Deum tuum: quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba, & convertimini ad Dominum & dicite: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Vitulorum mugire est, mugit & pænitens pro danda Deo satisfactione more Davidis, cuius ille mugitus est, *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtique, holocausto non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus nõ despicies.* Præmiserat, *Domine labia mea aperies, & os meũ annuntiabit laudem tuam,* & hęc ipsa laudatio quid nisi hostia est? *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis:* nimirum tibi, cui cum clamarem, *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me,* de secunda tabula pænitentiæ, misero naufragio providisti, ut posset euadere. Psa. 50. 8 Ps. 115. 16. Psa. 68. 3.

Conclusio. Euasit Christianus David per sacramentum Pænitentiæ, euasit per votum Eucharistiæ; quæ novit & potest naufragos liberare. Novit hanc Eucharistiæ vim Satyrus S. Ambrosij frater, in cuius funebri oratione. *Quid igitur.* inquit Ambros. *obseruantiam eius erga Dei cultum prædicem? Qui priusquam perfectioribus esset initiatus mysteriis, in naufragio constitutus, cum ea, qua veheretur nauis scopuloso illisa vado & vrgentibus hinc atque inde fluctibus*

solveretur, non mortem mituens, sed ne vacuus exiret è vita, quos initiatos esse cognoverit, ab his divinum illud fidelium Sacramentum poposcit: non ut curiosos oculos insereret arcanis, sed ut fidei sua consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & horarium involuit in collo, atque ita se dejecit in mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans iuvaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque his se tectum atque munitum satis credens, alia auxilia non desideravit. Nec deseruit spes, nec fefellit opinio. Denique primus servatus ex vndis, & in portum terrenæ stationis euectus, Præsulem suum, cui se crediderat, recognovit: statimque ubi etiam ceteros seruulos vel ipse liberavit, vel liberatos compulit, negligens facultatum, nec amissa desiderans, Dei Ecclesiam requisivit, ut ageret gratias liberatus, & mysteria æterna cognosceret, pronuntians nullum referendæ gratiæ maius esse officium. Maius incumbit officium agendi & referendi gratias Christiano viro, qui post sacri Baptismatis susceptionem, fracta innocentiæ nave, de profundo pelago liber spiritaliter euasit virtute Sacramenti Pænitentię, secundæ post naufragium tabulę, in qua votum sacræ Eucharistiæ erat, & vel ipsius votum animæ naufraganti salutem attulit, reduxit, & induxit in portum gratiæ, ut & concludi possit. Hic locus est habendus unus, quo perfugiant omnes, hic portus, hæc arx Sapientiæ, hæc ara Sacramenti Ordinis, qui arcet omnem confusionem, faciens in Ecclesia cęlestem potius, quam terrenam distinctionem: hæc arx, hæc ara panis sacerdotalis. Habet usualis panis Ordinē suum, sine quo stare non potest, nec sine Sacramento Ordinis consistere potest panis, qui nobis promittitur, nobis offertur; *Venite comedite panem meum.*

SACRAMENTALIS ET SACERDOTALIS PANIS instar Sacramenti Ordinis est.

V. **Conveniunt in arce Sapientiæ Sacramenta Eucharistiæ, et Ordinis.**

MUlta sunt loca, multa sunt testimonia sacræ Scripturæ, in quibus Christianis omnibus honor sacerdotalis tribuitur. Cunctis fidelibus 1. Petri 2. scriptum est. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium:* & rursus, *Et ipsi tamquam lapides viui super adificamini domus spiritualis sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Accedit D. Petro B. Paulus ca. 13. ad Hebræos, *Per ipsum ergò offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructuum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.* Hic honor, & decus ita gloriosum est, ut vel in cælo ipso resplendeat, cum Apoc. 1. non solum viatorum vox illa sit: *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo* sed & Beatorum illa confessio *ca.* 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Causa & ratio huius dignitatis Sacerdotalis petenda est ex Serm. 3. Leonis de Assumpt. sua ad Pontificatum, *Omnes in Christo regeneratos Crucis signum efficit Reges: sancti verò Spiritus unctio consecrat Sacerdotes, ut præter istam specialem nostri ministerij servitutem, universi spiritales & rationabiles Christiani agnoscant se regij generis, & Sacerdotalis officij esse consortes.* Consortes quidem sunt vel in ipsa

in ipsa oblatione Eucharistiæ, ac proinde cunctis associatus Fidelibus dicit Sacerdos, *Offerimus tibi Domine calicem salutaris*: & deinde *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerũt hoc sacrificium laudis*. Sacrificium quidem laudis Eucharistia est, ut quam sacris Ordinibus præditi immolant consecrando, hanc eandem orando, laudando, & simul gratias agendo offerant Deo. Tanta est inter sacerdotium, fidem, & devotionem in venerabile Sacramentum connexio, de qua futurus est sermo, divina gratia assistante.

Sacramentum Ordinis.

NIhil in cælo inordinatum est, cuncta sunt benè disposita atque composita. Si consideremus cælestem divinæ Maiestatis aulam, omnes eius aulici per suos Ordines distribuuntur, & ad novem Ordines omnes Angeli reducuntur. Beati, qui ad illud palatium vocantur & assumuntur per illas novem classes dividuntur, & disponuntur. Si solem & lunam contempleris, semper suis affixi orbibus suos cursus ordinatissimos conficiunt. Cælestia vero sidera nunquam a sua serie deficiunt, *stellæ* Iud. 5. 20. *manentes in ordine & cursu suo.* Si respicias hunc inferiorem mundum, ea, quæ in eo geruntur, partim ordinata partim deordinata sunt. Si verò dimittas oculos in caliginosas inferorum regiones, ibi *nullus ordo, sed sempi-* Iob. 10. 22 *ternus horror inhabitat*. Cum igitur cælum ordinatum sit, infernus vero deordinatus, hic mundus, qui medius inter utrumque est, participat de utroque extremo, ut ordine suo referat cælum, eius verò defectu inferos repræsentet, *Omnis anima*, inquit Apostolus, *potestatibus sublimioribus subdita* Rom. 13. *sit: Non est enim potestas, nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt.* Tyran- 1. nides verò, quæ alienam potentiam & dominatum usurpant, non sunt a Deo, ac proinde omninò deordinatę sunt. Appetebatur, sed non obtinebatur domus, in qua illæsus ordo servaretur & conservaretur. Quamobrem legimus rogatum a Deo Iobum. *Numquid nosti ordinem cæli, & pones* *rationem eius in terra?* Novit Christus ordinem cęli, & illum transtulit in Ps. 38. 33. sanctam Ecclesiam suam. Sicut in Ecclesia triumphante Angeli sunt Ordine ac potestate differentes, qui iniuncta sibi munia decenti quadam observata dispositione obeunt, ac fideliter exequuntur: sic militans etiam Ecclesia, quæ domus Dei, & velut quædam acies castrorum ordinata est, ministros habet sibi peculiares, a reliquis Christianis seiunctos, & pulchro ordine inter se dispositos ad publica & communia Ecclesiæ ministeria in terris peragenda, nimirum ut in his quæ ad Deum, salutemque animarum spectant, suas operas ex professo ac pro dignitate præstent. Præcipuum autem munus eorum hoc est conficere, & offerre sacram Eucharistiam, quam Christus instituit, & immolavit: acclamatus a Patre, *Tu es* *Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech.* Melchisedech panem & Ps. 109. 4. vinum obtulit, Christus vero corpus & sanguinem suum, *Caro mea vere est* *cibus, & sanguis meus verè est potus.* Hęc divina Eucharistia præcipua occasio Ioa. 6. 56. Sacramenti Ordinis est, & simul causa ut terra ipsa convertatur in cælũ, ac consequenter ut ordo cęlestis ad nos transferatur. Benè Chrys. Homil. 24. in 1. ad Cor. *Dum in hac vita sumus, ut terra nobis cælum sit, facit hoc mysterium.*

Sacra Eucharistia.

Qualis sacerdos talis et populus virtute Eucharistiæ.

Ioa. 6. 59. HIc est panis, qui de cælo descendit, ut terra nobis cælum esset. In terra magna illa deordinatio erat, qualis populus talis & Sacerdos. Quanta hęc esset corruptio, satis apparet, cum S. Jsaias cap. 24. illam primam ante alias numeraverit, & in capite posuerit *Et erit sicut populus sic sacerdos: & sicut seruus sic dominus eius: sicut ancilla sic domina eius: sicut emens sic ille qui vendit: sicut fænerator, sic is, qui mutuum accipit: sicut qui repetit, sic qui debet.* Hæc omnia argumenta sunt mundanæ depravationis, cuius primum indicium est illud, *sicut populus sic sacerdos.* Tollitur hæc dissonantia, cum de terra cælum facit Eucharistia, & ita componit Ecclesiam, ut qualis Sacerdos ordinatus existat, talis evadat & populus. Sicut Sacerdos Christi sic & populus, de quo Petrus. *Vos autem genus electum, regale Sa-*

1. Pet. 29. *cerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Accedit Ambros. libr. 4. de Sacr. cap. 1. *Sed fortè dicas: Quid hoc ad populum, si virga Sacerdotis aruerat, & refloruit? Populus ipse quid est nisi Sacerdotalis? Quibus dictum est: Vos autem genus electum, regale Sacerdotium. Vnusquisque ungitur in Sacerdotium, ungitur in regnum. Sed spirituale regnum est, & Sacerdotium spirituale. In secundo quoque tabernaculo est thymiamaterium, Thymiamaterium est, quod bonum odorem fragrare consuevit. Ita & vos iam bonus odor Christi estis, iam nulla in vobis sordes delictorum; nullus odor gravioris erroris.* Maiore consecrationis ritu, maiore solennitate consecratur & dedicatur altare quam reliquum corpus templi, sacratur tamen ac benedicitur, ut sciant fideles omnes, qui religionis ergò occupant illum locum, esse se similes Sacerdotibus ascendentibus ad altare sacri Ordinis delibutis unctione, & insignitis charactere Sacerdotali. Hic idem finis thymiamaterij erat, quod erat extra Sancta Sanctorum in secundo tabernaculo, adumbrabatur in illo qualis esset populus futurus, quem iam cernimus. Cernimus quomodo Christiana plebs bonum spiret odorem liberum ab omni sorde & errore. Qui erant in secundo tabernaculo non efflabant ex se, sed aliundè suaveolentiam accipiebant, at Christianus populus unctus in regnum & sacerdotium, non aliunde, sed ex se regium, sacerdotalemque exhalant odorem virtutis ac probitatis. Benè Clem. Alexandrin. lib. 2. Pædagog. cap. 8, *Oportet viros apud nos unguenta non olere, sed vitæ probitatem. Spiret autem femina Christum, qui est regalis unctio, non unguenta & diapasmata, divina autem semper ungatur pudicitiæ unctione, sanctò delectata unguento, nempe Spiritu. Hanc suavis odoris unctionem hominibus notis suis Christus comparat, ex aromatibus cælestibus hoc unguentum componens. Hoc autem unguento ipse quoque Dominus ungitur, sicut per David meminit, Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.*

Quod Clem. Alexand. ait, *Spiret autem femina Christum,* de anima delibuta interna unctione dicendum est. Spiret anima Christum, quem anima Pauli efflabat, cum diceret *Christi bonus odor sumus in omni loco.* Hic bo-

2. Cor. 2. 15. nus odor est, cuius cupida, & avida Ecclesia monebat, *Surge aquilo, veni au-*

Cant. 4. 16. *ster, perfla hortum meum ut fluant aromata eius.* Optabat, ut unguentum aromaticum datum animabus Christianorum diffunderetur ad flatum non aquilonis, sed austri, venti meridionalis, cuius instar Spiritus sanctus spirat,

Cant. 1. 7. ubi Christus quiescit & pascit, cum & ipsa dicat Ecclesia, *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Aspirante quidem austro dabatur olim manna: cum Psalm. 77. dixerit David. *Panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit*

misit eis in abundantia. Transtulit austrum de cælo: & induxit in virtute sua Africum. Et pluit super eos carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata. Cum itaque spiraret auster, desuper cælestis panis delabebatur, qui quidem translatus est, & eius loco successit Africus, & attulit magnam multitudinem avium. Hunc eundem ventum appetit Ecclesia ac dicit, *Surge aquilo, veni auster, & perfla hortum meum, ut fluant aromata eius.* Tunc fluunt aromatica Christi, Sacerdotum, & cæterorum Christianorum, cum, afflante Spiritu sancto, è summis cælis panis Eucharisticus descendit. Tunc temporis tota Ecclesiæ domus repletur odore unguenti. Tunc animæ consecrantis & simul communicantes spirant Christum Regem simul & Sacerdotem, quem iam efflabat David, cum caneret. *Eructavit cor meum verbum bonum:* Ps. 44. 2. verbum scilicet in carne, ut ait Hesychius. Eructabat Regem, ait enim, *Dico ego opera mea regi &c. Accengere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Eructabat & Sacerdotem, *Vnxit te Deus Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis, &c. Mirrha, gutta & cassia a vestimentis tuis a domibus eburneis, in quibus delectaverunt te filiæ Regum.* Regum filiæ indubiè sunt, quę spirant Christum, & afflante Spiritu sancto illum eructant. Comedis odoriferum pomum, bibis vinum generosum, exhalas utrumque, nisi interna corruptio sit. Signũ profecto internę est contagionis, cum post epulum carnis & sanguinis Christi non eructas suavem odorem Christi. *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.* 1. Cor. 11. 82. Sit conviva regalis, sit & Sacerdotalis. Cum dixerit Ambros. *Vnus quisque ungitur in sacerdotium, ungitur in regnum,* Regale hoc Sacerdotium totam suam amittit gratiam, cum unusquisque fidelium labitur in peccatum, ac proinde necesse est, ut qui regium & Sacerdotalem panem velit edere, probet seipsum per sacram Confessionem, & in gratiæ statum se restituat, & ostendat se Regem ac Sacerdotem esse.

Qualis sacerdos talis & populus, ac proindè monet fideles Princeps Apostolorum Petrus; *Tamquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis Sacerdotium sanctum offerre Spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Accedit Leo Serm. 3. in anniversario die Assumpt. suæ ad Pontificat. *Licet universa Ecclesia Dei distinctis ordinata sit gradibus, ut ex diversis membris sacrati corporis consistat integritas: nos tamen omnes, sicut ait Apostolus, in Christo Iesu unum sumus, nec quisquam ab alterius ita est divisus officio, ut non ad cõnexionem pertineat capitis cuiuslibet humilitas portionis. In unitate igitur fidei, atque baptismatis, indiscreta nobis societas, dilectissimi, & generalis est dignitas secundum illud beatissimi Petri Apostoli, sacratissima voce dicentis: Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini in domos spirituales.* Non possunt lapides associari in magnifico ædificio, quin de eius magnificentia dignitatem accipiant; Nec membra possunt coalescere in corpus nobile, quin de eius nobilitate communicent. Hinc fit, ut lapides vivi in sublimi fabrica Ecclesię, ubi verum sacerdotium regnat, constitui non possint, de eius dignitate participare, & membra corporis Ecclesiæ, cuius caput est Christus, nequeant non sacerdotali sui capitis honore gaudere. Pro firmandis igitur vivis huiuscemodi lapidibus, & confirmandis membris Ecclesiæ Eucharistiam Christus reliquit, ubi illa desijt esse, desijt & fabrica Ecclesiæ, desiit & eius corpus consistere, & consequenter desijt esse Sacerdotium sanctum, quo viri fideles offerunt spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.

Sacerdotium Spirituale et populare. 1. Petr. 2. 15.

Sacerdotium spirituale est, domus, in qua esse describitur, spiritualis est, ac proinde hostiæ debent esse spirituales: ungimur non in corporale, sed

ſed ſpirituale ſacerdotium. Hinc ſumit argumentum citatus Clemens, ut excitet nos ad hoſtias ſpirituales immolandas. Non eſt Chriſtiana unctio, qualis erat illa peccatricis Magdalenæ, de qua Clemens. *Scio quod unguenti alabaſtrum ad ſanctam cœnam mulier attuliſſet, unxit pedes Domini & eum delectavit. Sed mulier quidem verbi nondum fuerat particeps, erat enim adhuc peccatrix eo autem quod apud ſe eſſe pulcherrimum exiſtimabat, nempe unguento, honoravit Dominum, atque etiam ornamento corporis, nempe capillis ſuis, abſterſit ungento, quod redundabat, libans Domino lachrymas pænitentiæ.* Parum profuiſſet unguentum, parum cęſaries, niſi hoſtia ſpiritualis ſpiritus pænitentis acceſſiſſet. Acceſſit & hoſtia ardentis amoris & charitatis, cum dixerit
Luc. 7. 47 Chriſtus, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Hæc ſumma hoſtia ſpiritualis eſt, quam & ipſe Chriſtus in Cruce & Euchariſtia æterno Patri libavit, ut ibidem advertit Clem. Alexand. *Quod ſi ſuavis odoris ſuffitum pontificem magnum, nempe Dominum, dicant Deo offerre, ne id eſſe ſacrificium, & ſuavis odoris ſuffiſtum intelligant, ſed gratam & acceptam charitatem ſpiritalem ſcilicet odoris ſuavitatem, Dominum altari offerre accipiant.* Verum quidem eſt, quod Chriſtus Dominus carnem & ſanguinem obtulit, ſed non olent carnem & ſanguinem, ſed redolent charitatem. Carnem conſecrat, cum dicit Chriſtus, *Hoc eſt corpus meum*, ſed redolet charitatem, cum addit, *quod pro vobis tradetur*: ſanguinem offert, cum ait, *Hic eſt calix ſanguinis mei*: cum vero ſubiungit, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, divinum efflat amorem. Convenienter igitur cum aſſerit Chriſtus; *Caro mea verè eſt cibus,*
Io. 6. 56. *& ſanguis meus vere eſt potus*: meminerit amoris ſtatim, *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo.*

Ex Euchariſtia pulchra deſumitur forma ſpiritualium hoſtiarum, quas anima unctionis ſacerdotalis particeps debet offerre. Tunc erunt acceptę Deo, tunc acceptabiles in odorem ſuavitatis, ſi rodoleant amorem & charitatem. Si quis propriam carnem & proprium ſanguinem obtulerit, deſit tamen charitas, deſunt omnia, cum dixit Apoſt. 1. Cor. 13: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Et quidem ſi vel Chriſtus non amaſſet, quid caro eius & ſanguis nobis profuiſſent? Accipienda ſunt in hunc ſenſum quæ Chriſtus protulit verba ca. 6. Ioannis, cum ſacram euulgaret Euchariſtiam. Dixerat; *Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, ubi erat prius?* ſubiungit, *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam, verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt.* Dixit hoc, ut tolleret ſcandalum, quod patiebantur Diſcipuli, cum de cibo & potu corporis ſui ac ſanguinis ſermonem inſtitueret. Erant terreni & carnales, & ut eorum animos ſurſum attolleret, egit de ſuo in cęlum aſcenſu, & ut efficeret ſpirituales, egit de Spiritu, qui ſacram eius hoſtiam vivificabat. Conſecraret Apoſtolus Petrus vel in triduo mortis, Chriſti corpus, tunc caro ſine anima ſtatueretur, & tamen tunc temporis verum illud eſſet, *Spiritus eſt, qui vivificat*, Spiritus quidem deitatis, & diuinæ cha-
Ioa. 6. 63. ritatis, cui caro Chriſti, vel in ipſo mortis triduo, annexa & vnita manſit. Hoc myſterium ſic factum ac diſpoſitum eſt, ut ex carne Chriſti ſimul hauriremus ſpiritum, dicitque propterea Iuſtinian. Serm. de Euchar. *Mira divinæ ſapientiæ diſpenſatio, miraque prudentia, ut te ſpiritualem eius efficiat caro*: nimirum ſpiritualem, ut diſcas ſpirituales Deo hoſtias per Ieſum Deo immolare.

Hoſtia myſtica Qualis ſacerdos, talis & populus, cui tamquam unus e plebe Chriſti adiungens ſe Paulus dicit; *Per ipſum ergò offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt,*

eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & communionis nolite obliviſci. Accedit Anſelm. in Commentar. *Chriſtus ſe obtulit ſacrificium pro nobis, & nos ergo per ipſum offeramus ſemper Deo patri hoſtiam laudis, quia ipſe ſummus Sacerdos omnes nos, ſi membra eius ſumus, fecit Sacerdotes.* Summus ille ſacerdos priuſquam ſacram intraret paſſionem, Euchariſticā laudis hoſtiam obtulit Patri. Verumenim vero non vacat myſterio, quod cū eſſet in procinctu, ut iret ad cruentem prȩlium, vellet Euchariſtiam eſſe laudationis immolationē. Legimus apud Plut. in Laconicis, Epaminondā rogatum quam ob cauſam Lazedȩmonij, priuſquam prȩlium aggrederentur, Muſis immolarent, cum Muſis nihil eſſe videretur commercij cum Marte? Reſpondit, *Vt rebus fortiter geſtis contingat digna & honeſta commemoratio.* Neſciebant prophani Lazedȩmoniorum immolatores qualis futurus eſſet eventus rerum, & manebant in ſpe dignæ & honeſtæ commemorationis, & ſȩpe fallebantur. Ante ſuam militarem expeditionem, in qua erat cum dæmone, peccato, & morte conflicturus, ſacrificium laudis præmiſit Chriſtus, & certus de ſucceſſu rerum gerendarum *memoriam fecit mirabiliū ſuorum miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe:* præcipitque poſt ſacram cænam; *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

ſacerdotalis et popularis.
Heb. 13. 15
Pſ. 110. 4.

Nihil miri, quod Lazedȩmonij optarent a Muſis res prȩclare geſtas cōmendari, cum enim, teſtante ipſo Plutarcho, negligerent eloquentiæ ſtudium, recurrebant ad Muſas, quȩ ſplendidis verbis illas celebrarent. Hoc autem mirum eſt, quod cum Deus non indigeat noſtris laudibus, dicatur, & iniungatur unicuique noſtrum; *Immola Deo ſacrificium laudis.* Hoc ipſum obtulit Chriſtus, per quem, nos etiam Paulus monet, ut *offeramus hoſtiā laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum noſtrorum confitentium nomini eius.* Fertur antiqua fabula, cuius meminit Philo lib. de Plantatione Noe, a ſapientibus viris ad poſteros per manus tradita. Eſt autem talis. Olim cum totū mundum Opifex abſolveret, quendam e prophetis rogavit, Numquid deſideraret nondum creatum, ſive in terra, & aqua, ſive in ſublimi aere, ſive in cȩli extremo ambitu? Reſpondit ille eſſe quidem perfecta, & plena ubique omnia, unum tamen ſe requirere, Laudatorem omnium ſermonem, qui in rebus omnibus, vel quod minimum, obſcuriſſimumq; videtur, non tam laudet quam enarret. Ipſam enim enarrationem operum Dei laudem eſſe ſufficientiſſimam, nullo egentē auctario, quando ipſa infucata veritas ſit pro laude cumulatiſſima. Concludit Philo. *Hoc reſponſum patri univerſorum placuiſſe fertur, nec multo poſt exortum genus canorum & muſicum ex una divinarum potentiarum virgine memoria, quam Mnemoſynen quidam vocant detorto nomine. Hæc eſt priſcorum fabula, ex cuius auctoritate dicimus, nihil eſſe Deo magis proprium quam benefacere, nihil item creaturæ, quam gratias agere, cum præterea nihil rependere valeat.* Sacra igitur hoſtia, quæ eſt gratiarum actio, prodijt ex memoria, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum,* ut Chriſtus rependeret Patri, quam acceperat naturam humanam, & nos ſimul inſtrueret quid agere deberemus, ut rependeremus Deo, quæ ab eo in nos collata ſunt beneficia. *Ergò quia didicimus unum ſolum opus nobis competere ad honorem Dei faciēs, videlicet gratiarum actionem, eam ſemper & ubique meditemur tum voce, tum bonis litteris, nec unquam deſinamus orationes laudatorias componere.* Benè docet hæc Philo, melius Paulus. *Per ipſum ergò offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.*

Pſa. 49. 4.

Fructus labiorum Chriſti Euchariſtia eſt, cum verbis Conſecrationis corpus & ſanguis eius pretioſus ſub accidentibus panis & vini locantur.

Cant. 2. 3. Adhunc alludens fructum dicit Sponsa; *Sub umbra eius, quem desideraveram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Quod utile est in umbra, & quod delectabile est in fructu, usurpat sibi sponsa, id vero quod honorificum est in hoc sacrificio, relinquit Deo, in cuius gloriam sacra altaris hostia sacratur & immolatur. Hæc soli Deo competit gloria, ut illi soli possit & debeat fieri sacrificium: quemadmodum definitum est a Patribus Concilij Tridentini ss. 22. cap. 3. *Et quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui eos coronavit, unde nec Sacerdos dicere solet. Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.* Ad hanc ipsam formam cupit & monet Paulus, ut hostia nostræ confessionis sit, ut semper Deum honoremus, & glorificemus, & diligenter caveamus, ne verbis inanibus, & sermonibus adulatorijs gloriam, quę soli Deo debetur, hominibus quantumvis summis & excelsis tribuamus. Hic fructus labiorum Mariæ postquam
Luc. 1. 47 cælestem sumpserat panē, cecinit: *Magnificat anima mea Dominum.* Hic id ē fructus animæ Christianæ, & Marianæ, postquam sacram Synaxin accepit:
Ps. 21. 27. *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum.*

Ecc. 20. 29. *Sapiens in verbis suis producit se.* Producit seipsum Christus in verbis consecratorijs, quis & qualis esset ostendit. Ostendit se suipsius communicatiuum & beneficum, & ad eius quoque exemplar componere se debet is, qui offert hostias laudationum Deo, ut & ipse communicabilis sit
Hebr. 13. 16. ac liberalis, additque propterea Paulus, *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Quam sit proprium munus Sacerdotum eleemosynas pauperibus elargiri, vel ipsa Eucharistia eos monet, quæ in gratiam pauperum condita & instituta est, & idcirco Virgo cantavit, *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes:* exclamatque proinde Ecclesia; *O res mirabilis manducat Dominum pauper, seruus, & humilis.* Benè igitur monet Orat. 40. S. Gregor. Nazianzen *Pauper accessit: In mentem*
Luc. 1. *tibi veniat ex quàm graui paupertate, ad quantas divitias provectus es: pane carens aut potu, moveat te mystica mensa, ad quam accessisti, moveat te panis ille, cuius particeps factus es, & calix ille, quem accepisti.* Qualis sacerdos talis & populus, cui dicitur, *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.*

Mysterium fidei venerabile Sacramentum est: licet enim alia sint mysteria fidei, hoc primum ac primarium esto. Fides mortua est sine operibus, sed illa maximè vivit beneficentia & communione bonorum operum, ut indicat S. Iacobus in sua epist. cap. 2. *Quid proderit, fratres mei, si fidem dicat se habere, opera autem non habeat. Numquid poterit fides salvare eum? Si autem frater & soror nudi sunt, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace calefacimini & saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* Hic idem Apostolus paulò inferius cum ageret de fide Abrahami, & quomodo viva esset, ostenderet, attulit in exemplum hostiam filij sui Isaac: *Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?* Vivit itaque fides operibus misericordiæ & oblationis. Tunc offert vir pius Isaac, id est, ri-
2. Cor. 9. 7 sum, cum pauperis & egeni miseretur in hilaritate, *hilarem enim datorem diligit Deus.*

Mi-

Mirabile Sacramentum est Eucharistia, in qua communis & vulgaris panis virtute consecrationis Deus fit: & res hæc, quę tam admiranda est locum habet in hostia beneficentiæ, quandoquidem terrenus homo quodammodo Deus efficitur, cum porrigit eleemosynam. Affirmat Nazianzenus agens de pauperum amore; *Nihil tam divinum homo habet, quam de aliis bene mereri, tametsi ille maiora, hic minora beneficia conferat, uterque nimirum pro suis viribus. Fac calamitoso sis Deus Dei misericordiam imitando.* Confirmat. Nyss. lib. de beatitud. *Si misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi ut Deus fias; tamquam insignitus propria nota deitatis?* Hæc propria deitatis natura est, ut utilitati creaturæ suę, non proprijs commodis consulat. Hęc nota propria sacerdotalis dignitatis est, ut non sua emolumenta curet, sed subditorum. Hæc quoque prærogativa populi sacerdotalis est, ut alienæ sit studiosus beneficentiæ, in qua Christus excelluit consecratus & passus, qui *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri suo.* Apoc. 1.5 Quantus hic honor sit vel ex hoc intelligi potest, quod connexa sit huic dignitati Eucharistia *præter rerum ordinem* humanum, non divinum, terrenum, non cælestem, sicut apparebit vel in ipsis cælis, quando summo sacerdoti Christo, *regale sacerdotium, gens sancta, populis acquisitionis* dicet per applausum & acclamationem, ut prædictum est c. 5. Apoc. 1. Pet. 2.9

Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. Accedit hoc loco Anselm. *Fecisti nos spiritualiter regnantes, & nos ipsos offerentes, & pro illis orantes, & regnabimus super terram vel bene cultam, vel terrenos excommunicando.* Terram & terrenos excommunicat, qui Christum communicat, & ex eius communione talis evadit, ut more cælesti vivat, actiones & mores ordinando & componendo ad formam & normam eorum, qui in cælis super terram regnant more Angelorum, etiam in statu matrimonij arcens illicitam concupiscentiam carnis ab arce Sapientiæ, a qua castæ nuptiæ nuptiali pane Eucharistię celebrantur. Tolle nexum & vinculum a communi pane, planè deficiet, nihil ergo miri, quod nexum & vinculum, quale in sacro matrimonio est, amet & quærat mysticus panis nobis a Sapientia Patris oblatus & datus, *Venite, & comedite panem meum.* Prou. 9.5

Conclusio

SACRAMENTALIS
ET NVPTIALIS PANIS,
instar Sacramenti Matrimonij est.

VI.

Conuenniunt in arce Sapiētiæ Sacramenta Eucharistiæ, et Matrimonij.

SANCTUS Paulus Apostolus de excellentia & magnitudine connubij Christi cum Ecclesia verba faciens, inquit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Quo maius solet esse matrimonium, eo maius & solennius solet esse epulum nuptiale, quemadmodum videre licet in multis scripturę locis, in quibus de varijs coniugijs agitur. Præ cæteris alijs occurrit celeberrimum convivium, quod *pro coniunctione, & nuptiis Esther,* instituit rex Assuerus, & quidē in illo ipso coniugio matrimoniū Esth. 5.32

Christi cum Ecclesia signabatur. Ne tanto huic matrimonio epulum solenne deesset, de cælis Pater *fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias.* Convivium hoc nuptiale totum est Eucharisticum, a quo repulsus reiectusque fuit ille, cui dictum est, *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Magnum profectò Sacramentum, cui tales nuptię conveniunt: magnum quoque argumentum consonantiæ, quę inter Eucharistiam, & matrimonium intercedit, & illud ipsum est argumentum collationis, quam divina favente gratia nunc faciemus.

Matt. 22. 2.
Matth. 22. 12.

Sacramentum Matrimonij.

PRima fidei confessio est, *Credo in unum Deum.* Cum unus Deus sit, unionis & unitatis amator est, ac proinde pro illa stat. Stat pro unitate in singulis creaturis, quas unas & individuas condidit & fabricavit. Stat pro unione, cuius nexu animas cum corporibus copulavit, & quod amplius est, Deus ipse factus est homo, naturam sibi humanam assumens, & sibi coniungens. Complacet sibi Deus in rebus, quæ amicam sibi adstruunt, & retinent unionem & copulationem, cum scriptum sit, *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, Concordia fratrum, amor proximorum, vir & mulier benè sibi consentientes.* Condidit Deus hominem, & cum sciret non posse ullam necessitudinem habere cũ ceteris animantibus, nec convenire, ut vinculo ac nexu unionis & coniunctionis careret, dixit, *Non est bonum homini esse solum. Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Fabricavit ex costa eius mulierem, cum qua uniretur, & fieret una caro. Assecutus Dei consilium post mulieris fabricam Adamus locutus est, *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ & erunt duo in carne una.* Magna hæc unitas, magna hæc unio est, de qua agens Petrus Damian. Sermon. 1. de dedicat, benè rogat; *Quid magis unum, quam illi, quibus est una caro, una mensa, unus thorus, hæreditas una?* Tanta quanta est hæc unio, reperitur in venerabili Eucharistia, quemadmodum testatur Chrys. Hom. 83. in Matt. *Semetipsum nobis commiscet, & non fide tantum, verum & ipsa re nos suum efficit corpus,* & rursus, *Facti sumus unum Christi corpus & una caro.* Præcedunt sponsalia, celebratur matrimoniũ, & postea cõsummatur, in cuius consummatione coniuges non sunt duo, sed una caro. Hoc ipsum accidit in sacro altaris mysterio, fiunt sponsalia per fidẽ, celebratur matrimonium per affectum, consummatur vero per sacram Communionem, in qua Christus seipsum nobis commiscet, & reipsa nos suum efficit corpus, & nos efficimur unum Christi corpus & una caro, ac proinde in hoc etiam casu dicere liceat; Quid magis unum, quam Christus & nos, *quibus est una caro, una mensa, unus thorus, hæreditas una.* Sponsalia Christi cum Ecclesia, & anima ante sacram Communionem agit ac celebrat fides, cum dicat Deus cap. 2. Oseæ. *Sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus Et erit in die illa: Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, & vinum.* Præmittuntur sponsalia per fidem, ut deinde fiat communicatio legitima huius pretiosę carnis, & sanguinis Christi.

Eccl. 25. 2
Gen. 2. 18
Gen. 2. 24.

Sa-

Sacra Eucharistia.

CAro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Et quidem ipse Christus cum cap. 6. Ioannis hæc eadem protulit verba, quæ rebat & exigebat sponsalia fidei, ut se fidelibus animabus desponderet, quemadmodum ipse declarat; *Amen amen dico vobis. Qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ.* Fuerunt infideles animę, quæ recusarunt ista sponsalia, *Litigabant ergo Iudæi adinvicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Reiecerunt futuras cum Christo nuptias, non solum ipsi, sed etiam qui Christo videbantur adhærere, unde & subiungit: *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes:* sciebat etiam, quinam vellent esse fideles, & animas suas cuperent Christo despondere, & ut exploraret eorum fidem, *dixit Iesus ad Duodecim, nunquid & vos vultis abire?* Respondit tunc temporis Petrus, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Locutus est D. Petrus nomine & totius Ecclesiæ, quæ post sponsalia fidei accepta existens in Concilio Tridentino ss. 13. cap. 1. ita definit, *Principiò docet sancta Synodus, & aperte, ac simpliciter profitetur in almo sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum atque hominem verè, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Neque enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat, iuxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam & si verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, & constantissimè credere debemus.* Cum vero præfata fidei sponsalia per paranymphum Paulum misisset, dedissetque Ecclesiæ suæ Deus, inquit Apostolus. *Æmulor enim vos Dei æmulatione: despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*

Ioan. 6. 56
Divina sponsalia Eucharistia.
Ioa. 6. 53.

Qualis vir, talis & sponsa. *Apud veteres,* ut refert Isidor. lib. 2. de Officijs cap. 9. *in eligendis maritis quatuor ista spectabantur, virtus, genus, pulchritudo, oratio: in feminis tria, si generosa, si benè morata esset, si pulchra.* Quatuor illa elucent in sponso in mysterijs Eucharisticis. Resplendet virtus, cuius meminit Angelus in Annuntiatione, *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Accedit Hæsych. cap. 22. Levit. *Sancta sanctorum sunt propriè Christi mysteria, quia ipsius est corpus, de quo Gabriel ad Virginem dicebat, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ab hoc enim non solum alienigenas & inquilinos & mercenarios sacrificij prohibuit, sed nec per ignorantiam percipere præcepit. Per ignorantiam autem percipit, qui virtutem eius & dignitatem ignorat, qui nescit, quia corpus hoc & sanguis est secundum virtutem, sed mysteria quidem percipit, nescit autem mysteriorum virtutem.* Resplendet genus tam divinum quam humanum Christi Domini in Eucharistia. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Quanta proveniat inde nobilitas pro his, qui dignè communicant, monet Cyrillus Ierosolym. Catechef. 4. *Ipsa beati Pauli doctrina abundè sufficere videtur, ut certam vobis de divinis mysteriis fidem faciat, quibus digni redditi concorporei, ut ita dicam, & consanguinei Christi facti estis.*

Quanta autem cælestis huius sponsi species & pulchritudo consistat in prętactis mysterijs, recognovit Zacharias propheta, cum per admirationē
Zac. 9. 17 quæreret; *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans Virgines ?* Apparet in Luna, stellis & sole pulchritudo divina, sed non ita quemadmodum apparet in Eucharistia. Sordet non solum terra varijs ac diversis consita floribus, verum etiam cælū ipsum suis luminaribus illustratum, si cum specie ac venustate sacrorum mysteriorum conferatur. Quod si etiam sermo in sponso, qui eligitur, ęstimatur, quanti haberi debet sermo divinus, quo seipsum Christus consecrat in altari? Cum agit de sacra Eucharistia, quanti pretij & æstimationis debeat eius oratio esse, vel hoc intelligi potest, quod verbum Dei dicit de se: *Verba mea spiritus & vita sunt.* Vnde & Petrus respondit pro se ac socijs, *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Facessat igitur hinc perfidia
Ioa. 6. 61. dicentium, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?*

Qui ducebant olim uxorem, attendebant *si generosa, si benè morata esset, si pulchra:* hæc etiam tria quærit Christus in Ecclesia & anima, cum quibus ante sacram Synaxin contrahit sponsalia. *Probet autem seipsum homo, & sic*
1. Cor. 11. 28. *de pane illo edat.* Probet seipsum imprimis generosum. Post sacri baptismi susceptionem euadit totus generosus homo, cum omnibus aqua lustrali
1. Pet. 2. 9 tinctis dixerit Petrus. *Vos autem genus electum.* Si quis verò relabatur, suam amittit nobilitatem dicente Deo, *Qui spernunt me, erunt ignobiles,* ac proinde necesse est, ut recurrat ad Confessionem, ut ex ignobili generosus efficiatur, & nobilis instar accedet ad Eucharistiam. *Probet seipsum homo,* an benè moratus sit. Quisquis corruptelam morum traxit, & contraxit, necesse habet, ut renuntiet pravis vivendi modis, ac laudabiliter vivat.
1. Cor. 11 28. *Probet seipsum homo,* an formosus & gratiosus sit. Cum quis seipsum sordibus criminum maculavit, antequam cęlestium mysteriorum particeps efficiatur, exponat se Confessario, confiteatur, absolvatur, & restituatur gratię, cum qua dignè possit communicare, pręmisso prius matrimonio, quod per affectum fit inter Christum & animam, inter Ecclesiam & Christum existentem in Eucharistia.

Sacrum matrimonium Eucharistia. Non sine mysterio dixerat Corinthijs Apostolus, *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Mulier coniugata divisa est, cogitat quippe non solum, quæ pertinent ad Deum, sed etiam quæ sunt de gustu mari-
2. Cor. 11 2. ti. *Mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu.* Talis esse debet sponsa, quæ venit ad nuptias cum Christo, ut tota mente ac cogitatione, toto dilectionis affectu, in illum rapiatur. Rapie-
Cant. 1. 3. batur sponsa, cum diceret, *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Rapiantur & animæ attentæ, & intentę sacrosanctis hisce mysterijs, trahebatur, & anima S. Laurentij Iustian. cap. 4. de Triumphal. agone Christi cum exclamaret; *Cuius ista meditantis non ebulliat cor? viscera moveantur? inflametur corporis organum? & totius animæ non reviviscat virtus? Charitatis summæ, profundæ humilitatis, & virtutis ineffabilis est hoc grande spectaculum.*

Luc. 22. 15. Spectatur in Eucharistia summus affectus Christi, cum dicat. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar:* & dixerit Euange-
Io. 13. 1 lista de eo; *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Hic divinus benefactor vel ex sola ista causa dignus est, ut ab eo, qui venit ad Communionem, ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus diligatur. Hic verus amicus est, ad quem media nocte homo indigus recurrit, ac petit,

petit, *Amice accommoda mihi tres panes*. Accedit huic loco Ambrof. *Qui sunt isti tres panes, nisi mysterij cælestis alimentum? Quod si diligas Dominum Deum tuum, non solum tibi, sed etiam alijs poteris emereri. Quis autem amicitior nobis, quam qui pro nobis corpus suum tradidit?* Hunc tibi charum amicum, cum sacram petis Synaxin, dilige ex toto corde tuo, cuius ista meditantis non ebulliat cor, hunc dilige ex tota anima tua: cuius hæc meditantis viscera non moveatur? hunc dilige ex totis viribus tuis, cuius tam miram affectionem considerantis, & expendentis non inflammetur corporis organum, & totius animæ non reviviscat virtus? Luc. 11. 5

Confirmatio eiusdem charitatis & dilectionis sacra Communio est, de qua Auctor Serm. de cæna Domini apud Cyprian. ait. *Fidei nostræ infirmitas edocetur visilibus Sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, & non tam corporali quam spirituali transitione Christo nos uniri:* & rursus; *Nostra & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec unit substantias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates.* Cum sunt symbola elementa; facilè unum in aliud transmigrat, cuius transmigrationis causa est convenientia qualitatum: ubi verò omnimoda est illarum differentia ac discrepantia, dissymbola sunt elementa, & tunc transitus est difficilis. Facilius terra sicca & arida vertitur in ignē, quam aqua, quoniam terra & ignis conveniunt in siccitate, & aqua facilius tranimigrat in aerem quam terra, quoniam aqua & aer communem habent humiditatem. Providit Deus, ut coniugia humana essent symbola, non dissymbola inter se, ac proinde sponsam de latere Adami eduxit, & postquam educta est, agnovit statim Adamus, quantam secum haberet symbolizationem. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: addidit futurum inde, ut vir ad uxorē migraret; *Quamobrem relinquet homo patrē suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Quod si duo una fiunt caro, necesse est, ut & uxor adhæreat viro suo & in illum transmigret, præit tamen ac præcedit vir, ac proinde dicit de se; *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Præit quoque ac præcedit Christus in Eucharistia, & recognoscens convenientiam, quam in carne nobiscum habet, nobis adhæret, & nobiscum simul unitur, dicitque propterea; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Consequenter & nos ad illum accedere debemus, qui cum illo in natura humana convenimus, ac proinde facilè in eum transimus. In quem sensum verba Cypriani accipienda sunt, ut corporali & spirituali transitione Christo uniamur. Hæc autem unio & coniunctio non miscet personas, ut illas confundat, nec unit substantias, ut inseparabiles reddat, sed confœderat voluntates, ut inito secum fædere, perpetuam amicitiam, æternam animorum concordiam communicantes, de Christo cum Christo servent. Gen. 2. 23 Io. 6. 57

Cum verò Rex Assuerus accepisset in coniugium Reginam Esther, *pro coniunctione & nuptiis Esther dedit requiem universis pronunciis, ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem.* Annexa est nuptijs Eucharisticis requies. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Annexa sunt divina dona iuxta magnificentiam principalem, quam Christus exercet in communicatione bonorum collatorum ijs, qui dignè Eucharistiam sumunt. Tria sunt bonorum genera; naturæ, gratiæ & gloriæ, & omnia hæc distribuit regaliter pro coniunctione & nuptijs actis & celebratis cum humana creatura. Imprimis diuinus Assuerus largitur dona naturæ, & quidem magnifica. *Non est census supra censum salutis,* & salus Dom. nuptialia. Esth. 2. 18 Ioa. 6. 57 Eccl. 30. 16

& salus nostra, vis & vita nostra nascuntur, quibus privantur ij, qui indignè communicant, cum scribat Apostolus; *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi: & imbecilles, & dormiunt multi.* In cuius loci commentarijs concludit Anselm. *Adhuc propter huiusmodi causam multi homines post Pascha varijs infirmitatibus corripiuntur, quia corpus Redemptoris indignè perceperunt.* Experimento compertum est longe aliter accidere ijs, qui pro dignitate communicant, etiam in lecto ęgrotantes, qui virtute Eucharistię a morbis & infirmitatibus recreantur. Quod si causa mortis corporalis est indignè sumentibus, erit dignè capientibus causa non mortalis sed immortalis resurrectionis, cum dixerit Christus. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Nèc dubitandum est vitæ, & salutis, sicut etiam aliorum temporalium bonorum dona virtute venerabilis Sacramenti communicari, cum ad eorum impetrationem Ecclesia tot Missas instituerit & composuerit, quæ sæpe pro salute, pro serenitate & pluvia, pro bello & pace, & similibus alijs rebus recitentur ac celebrentur.

1.Cor. 11. 82.

Ioa. 6. 55.

Pro coniunctione quoque & nuptijs cum humana creatura, quę fiunt in Sacramento, dantur & distribuuntur dona gratiæ, secundum munificentiam principalem, exclamatque propterea Ecclesia; *O sacrum convivium quo Christus sumitur, mens impletur gratia.* Cum Angelus dixisset Mariæ, *Aue gratia*, addidit, *Dominus tecum*; ubi Dominus est, ibi & plenitudo gratiæ est: cumque Dominus sit post sacram communionem in anima, efficitur, ut mens divina eius gratia ditetur & impleatur. Non una solum sed multiplici gratia donatur anima, ut cap. 3. in Ecclesiast. monuit Nyss. *Ob hanc enim causam in escam se nobis proponit is, qui semper est, ut accipientes illum in nobis id efficiamur, quod ipse est, caro siquidem Verbi, quæ in hoc cibo inest, non unam aliquam gratiam habet, quin potius dulcis efficitur gustantibus, appetenda cupientibus, & diligentibus amabilis.* Implet gustum, *Dilata os tuum & implebo illud:* Implet desiderium, *replet in bonis desiderium tuum:* implet affectum, teste enim D. Dionys. de cælest. Hierarch. *Dominus Deus noster, & Deus, qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratissimum in sui traducit effigiem, deiformesque reddit.*

Pro coniunctione tandem & nuptijs Sacramentalibus cum creatura humana largitur dona gloriæ Christus iuxta munificentiam principalem, ac proinde postquam dixit Ecclesia, *mens impletur gratia*, addidit, *& futuræ nobis gloriæ pignus datur.* Hoc eodem spiritu ductus Algerus relatus inter Patres Tom. 7. Biblioth. inquit, lib. 1. de Sacram. cap. 3. *Ad ultimum etiam ne aliquid in ipso nobis alienum videatur aut arduum, ita verè & perfectè communicavit nobis seipsum, ut visibiliter etiam corporis & sanguinis sui mirifico Sacramento Ecclesiam sibi uniens, & concorporans, tanta gratia insignierit, ut & ipse caput eius & ipsa esset corpus suum, non nomine tenus tantum, sed in veritate sui corporis verè sibi concorporatum, ut in illo nullius gratiæ nobis esset divortium, cum quo nos solidaret tam unicæ unitatis Sacramentum.* Ex hac plenitudine gratiæ infert & concludit. *Non enim esset misericordia Dei & iustitiæ condignum, si eos expelleret a sui regni consortio, quibus tam familiariter uniri dignatur in mundi exilio, eisque honoris vicissitudinem non rependeret in manifesta visione suæ maiestatis, a quibus dignè susceptus & adoratus est in occultis & peregrinis Sacramentorum suorum figuris.* Sub formis peregrinis tres vidit, & unum adoravit, ac in do-

in domum suam recepit Abrahamus, & propterea sanctæ Trinitatis visionem promeruit & obtinuit: sub peregrina forma Christus in Sacramento receptus & adoratus non potest non donare fruitione sui eos, qui se colunt & capiunt.

Cum omnia bonorum genera ad tria illa referantur, quæ pertinent ad naturam, gratiam & gloriam, in postrema nocte cænæ, quando sacræ Eucharistiæ institutio celebrabatur, dixit & merito S. Ioannes cap 13. *dedit ei omnia Pater in manus*, ut nimirum omnia dona iuxta magnificentiam principalem pro coniunctione & nuptijs mysticę suæ Esther effunderet ac profunderet. Deus effusus & profusus in nuptiarum suarum celebratione est, qui *dat omnibus affluenter*, qui se suis manibus porrigit. *Se dat suis manibus*, more & modo nuptiali. Communis hic ritus est, ut cum humani coniuges ineunt inter se matrimonium, mutuò sibi manum porrigant, & hoc signo manifestent seipsos sibi invicem tradere, & secum sibi invicem omnia tribuere. Hinc pulchrè monet Chrysostom. Hom. 10. ad Ephes. *Si dixerit uxor. Hæc mea sunt, dic tu, omnia tua sunt, & ego quoque tuus sum.* Non solum una manu, sed ambabus se dat sponsæ suæ Christus, ut hoc ritu manifestet, quanto cum affectu se tradat Ecclesiæ, se tradat animæ communicanti. Si vel hæc vel illa dixerit Christo, Hæc caro humana, & hic sanguis meus est, erit cur divinus sponsus respondeat, *Omnia tua sunt, & ego quoque tuus sum*, dixitque propterea superius Chrysostom. Homil. 83. in Matt. *Semetipsum nobis commiscet non fide tantum, verum & ipsa re nos suum efficit corpus, & facti sumus unum Christi corpus & una caro.* Accedit & iam citatus Damascen. *Quid magis unum quam illi, quibus est una caro, una mensa, unus thorus, hæreditas una?* Una caro, una mensa, unus thorus & hæreditas una est, ubi sacrum est matrimonium, quale in hoc Sacramento celebratur, de quo locutus est Paul. 1. Cor. 11. ubi leges connubiales præscribit, *Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir:* & cum ostenderit quare caput mulieris vir existat, & inde mutua inter se debita officia concluserit, ostendit & concludit caput esse omnis viri Christum in Eucharistia, & idcirco postquam egit de matrimonio, statim inquit; *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniã Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem.* Usque adeo conveniunt inter se Matrimonium & Eucharistia. Et si quis coniugatus eò perveniat, ut more sacerdotali vivat, non solum laudabilis sed etiam admirabilis fit. Admiratur S. Gregorius Nazianzenus in Monodia Basilium magni Basilij patrem, de quo in hæc verba; *Basilius matrimonio se vinxit, ita tamen in eo vixit, ut nihil propterea ad perfectam virtutem ac philosophiam consequendam impediretur, & in statu coniugali vitam ac ritum servavit sacerdotalem. Ex quo tria hæc, castitas, matrimonium, sacerdotium, quæ diversa solent vitæ genera constituere, nequaquam in hoc pugnantia fuere, aut virtuti ullo modo offecerunt.*

Nuptialis traditio Christi & communicantis.

Iac. 1. 5.

1. Cor. 11. 23.

Castitas & sacerdotium carnem carni negat, matrimonium carnem concedit carni. Conciliantur tria hæc in Eucharistia, ubi caro Christi carni humanę communicatur more spirituali, per matrimonium & dona, ubi & castitas corpus corpori non negat, nec sacerdotium carnem a carne aufert, sed confert virtute consecrationis, unde & in hoc mysterio castitas, matrimonium & sacerdotium, quæ diversa solent vitæ genera constituere, nequaquam pugnantia sunt, aut ullo modo officiunt, sed proficiunt in carne digentibus & è carne decedentibus, quibus sacer panis datur pro viatico respondente Extremæ Unctioni.

Solet

Solet oleo panis communis confici, & benè secum conveniunt, ritè quoque ac rectè componitur cum extrema Vnctione sacri Via-
Prou. 9.5 tici panis, de quo sapientia. *Venite comedite panem meum.*

SACRAMENTALIS PANIS INFIRMORVM,

Extremæ Vnctionis instar est.

VII. *Conueniunt in arce Sapientiæ Sacramenta Eucharistiæ & extremæ Vnctionis.* Ps. 4.8.



Ostremum arcis Sapientiæ subsidium est Sacramentum extremæ Unctionis, cum quo sacra Eucharistia magnam habet coniunctionem. Coniunxit panem, vinum & oleum David, cum cecinit, *A fructu frumenti, vini & olei multiplicati sunt.* Quę verba accipiens Ecclesia dicit, *A fructu frumenti, vini & olei multiplicati fideles in pace Christi requiescunt.* Jta reipsa est, ut Christus Dominus requiem suorum fidelium in pane & vino Eucharistiæ, & in sacro Unctionis oleo constituerit, constituerit tam corporis, quam animæ humanæ salutem. Confirmat id ipsum Aug. lib. 2. de Visitatione infirmor. c. 4. *Nec prætermittendum est illud Apostoli Iacobi præceptum; Infirmatur quis in vobis, &c. Inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes cum oleo sancto in nomine Iesu, & oratio fidei salvabit infirmum. Ergò sic roges de te, & pro te fieri, sicut dixit Apostolus Iacobus, immo per Apostolum suum Dominus: ipsa videlicet olei sacrati delibutio intelligitur Spiritus sancti typicalis unctio, illud etiam vivificum Dominici corporis supplementum suscipere fili mi non renuas: viaticum tibi erit saluberrimum.*

Argumentum.

REspondent sibi Eucharistia & sacra Unctio: cuius rei veritas ut magis elucescat, expendenda sunt in honorem venerabilis Sacramenti quę monet Apostolus Iacobus circa mysteriū extremæ Unctionis,
Iac. 5.14. *Infirmatur quis in vobis; inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabat infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* In quem locum Patres Concilij Tridentini ss. 14. inquiunt, *Instituta est sacra hæc Vnctio infirmorum, tam quam verè & propriè Sacramentum novi testamenti à Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus promulgatum ac commendatum.*

Sacramentum Unctionis.

Minister Eucharistiæ minister est extremæ Vnctionis. CUm ait Apostolus, *Infirmatur quis in vobis; inducat Presbyteros Ecclesiæ,* ostendit ministros huius Sacramenti esse Presbyteros, quo nomine Episcopi aut Sacerdotes nominantur, ut & idem sit minister in mysterio Eucharistiæ, & in Sacramento extremę Unctionis. Qui consecrat corpus Christi, ille solus & non alius tangit corpora fidelium, quæ sunt

sunt membra ipsius Christi. Magna reverentia in aula est, ut non nisi magnę personæ corpus Regis aut Principis tangant, & cum in Ecclesia Dei caro Christi consecretur & tangatur ab Episcopis & Sacerdotibus, magnates ac primates sunt. Ab his quoque primoribus tanguntur & unguntur corpora fidelium, ex quibus Ecclesia componitur, & consequenter mysticum corpus Christi, *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Cum ita esse noveritis, *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros,* quibus solis datum est consecrare hostiam & calicem in sacrificio altaris. 1. Cor. 6. 15.

Et orent super eum. Ad hoc se ministerium parabant ac componebant Apostoli, Presbyteri primi Ecclesiæ in domo Simonis Principis Apostolorum & Presbyterorum, *Surgens Iesus de Synagoga introivit in domum Simonis:* reliquit Synagogam, venit ad Ecclesiam: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Et rogaverunt illum pro ea. Et stans super illam, imperavit febri, & dimisit illam.* Memor fæmina accepti beneficij *continuo surgens ministrabat illis.* Apostolis videlicet, qui pro eius sanitate Christum oraverant, & Christo, qui suorum Presbyterorum precibus & orationibus acquieverat. Nec vacat mysterio, quod statim subiungit Euangelista: *Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Iesum. At ille singulis manus imponens curabat eos.* Pręsagium hoc futurorum erat, quod veri solis, Christi scilicet patientis occasum per manuum impositionem & contactum infirmorum, sui virtute Sacramenti non unus vel alter æger, sed plurimi infirmi a varijs essent morbis recreandi. Cum ita se res habeat, benè monet Aug. in Tract. Catholic. conversationis; *Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantores, non divini, non sacrilegi, non carcarij, neque per fontes aut arbores, aut bivia phylacteria exerceantur, sed qui ægrotat in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide & devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, unde corpus suum ungatur, & secundum Apostolum, oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, non solum corporis, sed animæ sanitatem accipiet, complebiturque in illo, quod Dominus in Euangelio promisit dicens: Omnia quæcumque petieritis Patrem in nomine meo, in oratione credentes accipietis.* Efficax itaque oratio cum Eucharistia coniuncta, ut impetret sanitatem, oratio scilicet eorum, qui pro infirmo laborante graviter rogant.

Salus est effectus Eucharistiæ, et extremæ unctionis. Luc. 4. 38

Sacra Eucharistia.

V*Ngentes eum oleo in nomine Domini.* Ad hoc ipsum mysterium disponebantur Apostoli, cum apud Marcum, *dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægrotos, & sanabantur.* Aliud nunc oleum est excellentius, & sublimius, quod in nomine Domini Sacramentaliter applicatur, & efficacius operatur. Celebris benedictio est, quam Isaacus contulit filio Genes. 27. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.* Quanta hæc benedictio foret, declaravit ipse Isaacus, cum diceret Esau; *Frumento & vino stabilivi eum, & tibi post hæc, fili mi ultra quid faciam?* Prævidit Isaacus panis & vini mysterium, non prævidit oleum sanctum, quod adhuc restabat tribuendum. Ultra frumentum & uinum Eucharistiæ est & oleum, & quidem regium, quo homines in cęleste regnum unguntur, & quo unctus habet, cur dicat Christianus David; *Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus est?* Ps. 22. 5.
Calix & oleum, Eucharistia & extrema unctio consonant sibi, nec mirum

Eucharistia accedit extremæ unctioni.

cum

cum fiat in nomine Domini sacra unctio, cujus oleum, teste Ambros. lib. 1. de spiritu sancto, *facit exultare morituros, tristitia mundum exuit, nostræ fætorem mortis abolevit.*

Levamen ægrotãtiũ in Eucharistia, et extrema unctione

Oratio fidei salvabit infirmum. Hoc ad animam pertinet, cujus causa inprimis sacramentum institutum est. Sicut ergo in Eucharistia *mysterium fidei est:* sic etiam in extrema unctione *oratio fidei* esse deprehenditur, ut quod ibi in mysterio continetur, hic per orationem fidei impetretur. Impetratur salus animæ, de qua Cyrill. ad Enopt. *Quia autem vita secundum naturam est verbum, quia ex Deo Patre est, vivificatricem declaravit suam carnem, & hac ratione facta est nobis benedictio vivificatrix.* Pertinet ad corporis sanitatem, sive ad levamen ægritudinis, quod subjungitur, *Et alleviabit eum Dominus:* virtute quippe hujus Sacramenti ægrotus, ut definit Concil. Trid. ss. 14. c. 2. *sublevatus & morbi incommoda & labores levius fert.* Levamen quoque laboris & ægritudinis corporalis Eucharistiam esse, scripsi & depinxi in sacro sanctuario Crucis & pœnitentiæ, ad omnes & singulas imagines Crucifixor. 1. & 2. Part. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Explicat Ambros. Psalmistam, & ait, *Beatus qui intelligit super Christi inopiam & paupertatem, qui propter nos pauper factus est, cum dives esset. Sed fortè dices. Quomodo dives in paupertate Christus? Quæ ergo est ista paupertas, quæ divites facit? Consideremus eam, intendamus in ipsum venerabile Sacramentum, quid purius potest esse eo atque simplicius?* Ergò æger cultor sacræ Eucharistiæ, *beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi super lectũ doloris eius: universum stratum eius versasti in infirmitate eius, Ego dixi Domine miserere mei, sana animã meã quia peccavi tibi.*

Ps. 40. 1.

Eucharistia et extrema unctio dantur in remissionẽ peccatorũ

Et si in peccatis sit, remittentur ei. Conc. Trid. cit. ss. & c. inquit; *Res hæc gratia est Spiritus sancti, cuius unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat & confirmat.* Solennis est illa lex, quę 2. c. Levit præscripta est: *Qui comederit de sanctis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo, quod comedit.* Paschas. Abbas lib. de corpor. & sang. Domini c. 2. statuit hanc quintam partem ad sensus quinque corporales pertinere, *Quinta igitur pars tunc recte a nobis superadditur ei, quod prius per ignorantiam accipiebatur, si quinque sensus corporis intus ad intelligibilia spiritualia convertantur. Quia si rectè sapimus, & rectè percipimus: divinus spiritus, qui in nobis est, etiam & per eandem gratiam ampliatur, eosdemque sensus nostros ad ea percipienda instruit, & componit, ita sane ut non solum gustum interius ad mystica perducat, verum etiam visum atque auditum, nec non odoratum & tactum ita quodammodo illustrat, ut nihil in eis, nisi divina sentiantur, nihilque nisi cælestia.* In hunc eundem finem quinque corporis sensus inunguntur, ut quicquid in eis vitiosum, aboleatur, & Spiritus sanctus eos extendat & ampliet, ut iam non terrena & mundana sentiant, sed circa spiritualia & cælestia occupentur & negotientur. Hæc gratia, hęc vis Spiritus sancti est, qui & dicit. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*, ampliat in Eucharistia gustum, *Dilata os tuum, & implebo illud:* dilatat visum, oratque propterea in divina Missa Iacobus; *Involucra ænigmatum, quæ symbolicè hoc sancto sacrificio circumdantur, clarè nobis ostende, & imple oculos nostri intellectus luce tua incomprehensibili?* Orat ut impleat oculos mentis, ut per redundãtiam clarè ostẽdat, hoc est, ad visum sacrata altaris mysteria, quę si quis sentiat, nõ terrena sed cęlestia, non angustis, sed amplis & augustis sensibus corporis percipit.

Ps. 33. 9.

Opor-

Oportebat, ut talis eſſet Euchariſtia, talis & extrema Unctio, quæ duo Sacramenta exeuntium à carne in Deum, à mundo in cælum ex ſua inſtitutione ſunt. Chriſtus cum tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, pro ijs, qui ſecum erant, deinceps tranſituri, ſacrum Euchariſtiæ viaticum reliquit. Chriſtus ipſe pro morituris Chriſtianis inſtituit extremam Unctionem, *Vnde & Sacramentum exeuntium nuncupatur*, quemadmodum notat Concil. Trid. ſſ. 14. cap. 3. Sacramentum exeuntium eſt, pro illorum præſidio & auxilio definiente hoc ipſum c. 1. eodem Concilio: *Clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſervis ſuis quovis tempore voluit de ſalutaribus remedijs adverſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis alijs præparavit, quibus Chriſtiani conſervare ſe integros, dum viveret, ab omni graviore ſpiritus incommodo poſſint: ita extremæ Vnctionis Sacramento finem vitæ tamquam firmiſſimo quodam præſidio munivit. Nam etſi adverſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat, & captet, ut animas devorare poſſit; nullum tamen tempus eſt, quo vehementius ille omnes ſuæ verſutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, ſi poſſit, divinæ miſericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perſpicit.* Idem ipſe Dominus clementiſſimus voluit ad ſuorum ſecuritatem & incolumitatẽ, in exitu vitæ præſto eſſet in Euchariſtia, in cuius inſtitutione *cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Hic finis vitæ Chriſti, & ſuorum Chriſtianorum eſt, ad quem venit & pervenit ſumma dilectio, exceſſitque vitæ terminos, cum adhuc mortuus ſuos Chriſtus dilexerit, & ſuos morientes & mortuos amet; *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Beati ſunt non ſolum anima, ſed etiam corpore, quod propter venerabile Sacramentum ab Angelis cuſtoditur, ut refert Chryſ. agens de ſacerdotio. *Quidam mihi narravit, non quidem ille ab alio edoctus, ſed dignus habitus, qui & id vidiſſet & audiſſet, quod qui de hac vita migraturi ſunt, ſi myſteriorum huiuſmodi pura conſcientia fuerint participes, ſpiritum efflaturi ab Angelis illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus propter aſſumptum Sacramentum hinc recta in cælum abducunt.* Abducunt in cælum animas, quæ in arcem Sapientiæ vocatę venerunt, & ſapienter vixerunt Procul hinc virgines fatuę, accedant ſapientes, ut participent de frumento & vino Euchariſtię. *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Hoc vinum virginale quod lætificat cor hominis vel in ipſo articulo mortis, pretioſus ſanguis Chriſti eſt, quem ſecum & in ſe affert caro Chriſti, & eius ſplendore fulget, decoratur ac rubet panis Sapientiæ. *Venite, comedite panem meum.*

Concluſio Ioa. 13 1. Apoc. 14. 13. Zac. 9. 17 Prov. 9. 5

SYMPATHIA
EVCHARISTICI
PANIS SAPIENTIÆ,
CVM
CÆTERIS PANIBVS
Sacræ Scripturæ.

Panis unus instar omnium sacrorum panum.

I.
DVERTIT Rupert. in illud cap. 1. Genes: *Vocavitque Deus firmamentum cælum*, quod cum Deus, adduxerit animalia coram Adamo, ut eis imponeret nomina reservaverit sibi appellationes dare rebus ijs, quæ non sunt temporales, sed perpetuæ: *Deus*, inquit, *perpetuis nomina imposuit, cælo videlicet terræ, ac mari.* Cum Christus Deus sit, rebus perpetuis nomina imponit. Nominavit duodecim Apostolos, quorũ semper numerus integer, & fixus erit: vocavit *Boanerges* Iacobum & Ioannem, ille semper in militia, hic semper in Euangelio tonabit: Simonem nominavit Petrum, & super eum immobilem constituit Ecclesiam, contra quam ostia inferorum, & tenebrarum non prevalebunt. Nomen panis imposuit Sacramento, panis hic perpetuus est, & dum mundus perseveret, perseverabit & ipse: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* A mundo condito semper exorta sunt bella contra terram, ignem, aerem, & mare, nec cessarunt elementa, quibus Deus indidit nomina, sed perseverant in perpetuum. Ab institutione Eucharistiæ, & eius promulgatione cæpit perfidia concertare cõtra hunc panem: *Litigabant ergò Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Sed nihil profuit, sed obfuit sibi perfidia cum dicit. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* procul dubio *mentita est iniquitas sibi.* Mentita quoque est proditori Iudæ, cum huic pani bellum intulit indignus conviva; ut enim Aug. ait Serm. 59. in Ioan. *Manducabant Apostoli panem Dominum: manducavit Iudas panem Domini contra Dominum. Illi vitam, iste pænam; Qui autem manducat indigne, iudicium sibi manducat.* Mentita iniquitas Ethnicis, qui contra cælestem panem districtis gladijs pugnaverunt, sed illum evertere non potuerunt: quin potius milites Christi se muniebant, & armabant hoc pane, cuius virtute religionis Christianæ crudeles hostes debellabant. Mentitur splendidè nunc perfidia hæreticis impijs, qui sectarios principes suos ad bella concitant, ut cęlestem panem destruant, quo quidem illęso servato, seipsos adinvicem destruunt. Per-

[Margin notes: Marc. 3 17. — Matt. 28. 20. — *Panis perpetuus.* — Ioa. 6. 53. — Ps. 26. 12]

Perpetuus est panis, ad quem sumendum invitat nos Sapientia, indignos sua cæna declarans eos, qui non rebus perpetuis, sed temporalibus inhiabant. Tales omnes, qui sunt invitati ad mensam, & propter lucrum, & commodum mundi vanum venire recusarunt. Omnes temporale quid obiecerunt, a quo, ne venirent, detinebantur, nimirum uxorem, villam, iuga boum, & propterea cibum perpetuum, & ęternum respuerūt. Famescebant mundana, qui panem hunc nondum gustaverant. Qui villam emit, esuriebat fructum, qui duxit uxorem, appetebat voluptatem: qui iuga boum mercatus est, quærebat cibum, & pastum. Si gustassent Eucharistiā, temporalia non esurirent, cum Sapientia Patris dixerit: *Ego sum panis vita, qui venit ad me, non esuriet.* Mundus quidem perit, & panis eius deficit, Christus manet in ęternum, qui nunc est panis sub accidentibus temporalibus, Unde Augustin. Sermon. 28. de resurrect. monet: *Non tibi videatur vile, quod vides: Quod vides transit: sed quod signatur, invisibile non transit, sed permanet. Manebit ergò, quod significatur æternaliter, quam quam transire videatur. Sic ergò accipite, & sic vos cogitatis, sursum cor semper figatis, spes vestra non sit in terra, sed in cælo fides vestra firma sit in Deum, quia quod modo non videtis, sed creditis, visuri estis illic, ubi sine fine gaudebitis.* Illud dolendum, quod cum mundus deficiat, & eius concupiscentia, quos invitat ad mensam, currere cernimus, invitat autem Sapientia Patris ad panem manentem, *Venite, & comedite panem meum*, & renuant venire. Miseria nostra hæc est, unde & idem August. cap. 13. Soliloq. *Mundus clamat, Deficio; tu vero clamas: Reficio, & miseria mea prava magis sequitur deficientem, quam reficientem. Plane infirmitas mea hæc est.*

Indigni panē Eucharistia, qui amant tēporalia.

Luc. 14. 17

Io. 6. 35

Sapientia panem triticeum ministrat.

II.

DEcretum est ab Eugen. 4. in Concilio Florentino materiam Eucharistiæ debere esse panem triticeum, hoc enim usus est Sapientia Patris, cum Sacramentum instituit, cuius facti rationes & causas oportet indagare. Innocent. libr. 4. Myst. Miss. cap. 3. *Panis*, inquit, *debet esse de frumento; quia Christus semetipsum comparavit frumento cum ait: Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Præcesserat Augustinus Innocentium, qui & luculentius Sermon. 6. de S. Laurent. eandem assignat rationem. *Pulchrè Dominus grano tritici comparatur, quia sicut in omnibus annonis nihil frumento pulchrius, nihil est delectabilius, ita ipse omnes creaturas excedit, quia nihil eo suavius, vel dulcius invenitur. Sed huic grano frumenti comparatur, quia alimento corporis & sanguinis sui fidelium reficit animas, sicut ipse ait in Euangelio. Ego sum panis viuus.* Mirabitur fortasse quispiam, quod Innocent. inde probet Eucharisticum panem debere esse triticeum, quia grano frumenti assimilatus est Filius Dei: & Augustin. ideo sentiat Christum assimilari triticeo grano, quia nos alit frumento corporis sui. Circulum hunc vitiosum esse arbitraretur humana logica, sed non divina Theologia, quæ nouit Sacramentum Christi per Christum, & Christum per mysterium Sacramentorum adstruere, quę novit Christum panem esse, & talem esse, qualis est in Eucharistia, & panem esse Eucharistiam talem, qualis est ipse Christus. Cum unus & idem Deus in summa Trinitate sit, si quis roget: *Qualis Pater?* idonea responsio est: *Qualis Filius.* Si rursum quærat, *Qualis est Filius?* respondere commodè lice-

Ioa. 12. 24

Assimilatio Christi & frumēti.

licebit. *Qualis Pater.* Qualis ergò panis Christus est? qualis Eucharisticus: & hic qualis est? qualis & ipse est, qui de cælo descendit: & hoc inde provenit, quia unus & idem prorsus Christus, qui factus est homo, continetur in Eucharistia, & utrobique consideratus pulchrè per frumentum cognoscitur, quia sicut in omnibus annonis nihil frumento pulchrius, nihil est delectabilius, sic & Christus utrobique pulchritudine, & suavitate omnes creaturas excedit, utrobique speciosus est prę filijs hominum, utrobique *Gustate & vide te, quoniam suavis est Dominus.*

Ps. 33. 9.

Christus communē eligit panem.

Theologorum schola ut uno sensu atque consensu quæsito respondeat, adstruit imprimis ad usum Sacramentorum talem assumi materiam, quæ communis apud homines in usum venit, ut 3. p. quæst. 66. art. 3. S. Thom. evicerat, infert, quod cum inter alios panes communius homines vtantur pane triticeo, & alij videantur esse introducti in huius panis defectum, meritò Christus Dominus creditur in pane triticeo suum Sacramentum instituisse: qui etiam panis, addit S. Thom. *magis confortat hominem, & ita convenientius significat effectum huius Sacramenti: & ideo propria materia huius Sacramenti est panis triticeus.* Ex hac responsione colligo primò Sapientiam panem elegisse triticeum, quia frequentior in usu est: cum enim Christus vitam, habitum, & cultum communem elegerit, præ cæteris panibus voluit in usum Sacramenti panem habere communem. Venit Ioannes Baptista non manducans, neque bibens, venit Christus, & incessit media via, non ita rigidam, nec delicatam vitam amplexus est, stetit medius, ut hoc pacto extremis duobus proficeret. Multi panes triticeo rigidiores & etiam delicatiores erant, ut autem rigidè, ac delicatè viventibus prosit hoc Sacramentum, in pane medio & communi ritè, & rectè conficitur. Collego secundò panem frumenti præ cæteris alijs electum, quia cum magis hominem roboret, magis idoneus est ad significationem Sacramentalis effectus, & simul ad nostram instructionem, ut discamus, quod sicut caro nostra nutritur, ac roboratur pane triticeo, ad eandem formam anima nostra fulcitur, fortis, & robusta redditur per Eucharistiam.

Regnum Christi in Eucharistia.

Luc. 1. 32

Nec contemnenda illa ratio est, quod cum Gabriel Angelus dixerit *Regnabit in domo Iacob*, & hic acceperit in benedictione frumentum, conveniebat, ut Christus Dominus in pane frumenti suum regnum formaret, & conformaret. Quamvis magnus ille Iacob a patre suo Isaaco panis tritecei benedictionem accepisset, ex Ægypto frumentum advexit, quo sua aleretur familia. Quodnam frumentum hoc fuerit explicat Ambros. lib. de Ioseph Patriarch. cap. 8. *Magnum frumentum in Ægypto. Denique & Deus Pater dicit: Ex Ægypto vocavi filium meum. Ex isto grano illa fœcunditas: neque enim messis esse potuisset, nisi Ægyptij granum antè sevissent. Est ergò frumentum, quod antè nemo credebat esse. In hoc frumento negociantur Patriarchæ, & illi argentum detulerunt, sed bonus Ioseph frumentum dedit, argentum reddidit. Non pecunia emitur Christus, sed gratia: pretium tuum fides est, hac emuntur divina mysteria.* Postulavit Patriarcha Iacob ab eo, qui ex sua familia natus regnabat in Ægypto, frumentum, ut innueret verum nasciturum Iosephum ex domo sua, qui triticũ magnum sibi, suisque domesticis suppeditaret. Ut magnum hoc nobis frumentum largiretur, cecidit granum paruum, & ex illo grano sacrorum horum mysteriorum provenit ubertas. Quanta outem sit ubertas hostiarum in mundo, quis non videat?

videat? Frumentum hoc eſt, quod ante nemo credebat eſſe, cum promulgaretur. *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* In hoc frumento negociantur Apoſtoli, & eorum imitatores, qui deferunt argentum fidei, ſed bonus Ioſephus frumentum donat, & reddit argentum Non pecunia emitur Chriſtus, ſed gratia, & idcirco priuſquam accedat quis ad Communionem; ſeipſum probet, neceſſe eſt: quia vero fides pretium eſt, quo emuntur divina myſteria, pro illorum ſublimitate ac magnitudine creſcere debet etiam fides: quanto enim maiores, ac ſublimiores merces exiſtunt, eo maius, & ſublimius pretium eſſe debere nemo ambiget. Io. 6. 54.

Sapientia panem azymum offert.

CElebris fuit apud Hebręos lex, quam promulgavit Moyſes Exod. cap. 12. *Primo menſe quarta decima die menſis ad veſperam comedetis azyma uſque ad diem viceſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus veſtris. Qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Iſrael tam de advenis, quam de indigenis terræ: Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis veſtris edetis azyma.* Cum ergo Sapientia Patris quarta decima die primi menſis ad veſperam cænaverit cum diſcipulis, & agnum paſchalem comederit, ritu legali cum azymis panibus, & lactucis agreſtibus, conſtat, quod tunc fermentatum non inveniebatur in domibus Hebræorum: & ita panem azymum in corpus ſuum conſecravit. Ex Chriſti facto conſecrationis azymę lex viguit ſemper & invaluit apud Chriſtianos, unde Epiphan. Hęreſ. 39. de quibuſdam hæreticis ait: *Myſteria autem faciunt ad imitationem Sanctorum in Eccleſia ab anno in annum per azymos, hoc eſt, non fermentatos panes.* Græci vero, qui fermentatos panes eligunt ad conſecrationem, faſtidiunt azymos ex eo, quod panes antiquæ legis ceſſare debent, & projici de menſa Sapientię: ſcriptum eſt enim: *Novis ſupervenientibus vetera projicietis*: & Apoſtolus ait: *Vetera tranſierunt, ecce nova facta ſunt omnia.* Hanc obiectionem facilè diluit Innocent. lib. 4. Myſt. Miſſę cap. 4. *Sciendum ergo,* inquit, *quod non omnes antiquæ legis conſuetudines abiecit Eccleſia, ſed quaſdam provida conſideratione retinuit, unde ſponſa dicit ad ſponſum in Canticis Canticorum: Omnia poma nova & vetera, Dilecte mi, ſervavi tibi. Adhuc enim faciem plenæ lunæ conſiderat, ne Paſcha celebret in defectu. Adhuc conficit oleum unctionis & thus ſuavitatis incendit: adhuc ſolvit decimas, & primitias, adhuc habet candelabrum, & lucernas, & veſtes, & vaſa, & Pontifices, & Levitas.* Concludit Innocent. *Non ſolum de conſtitutionibus legalibus, verum etiam de ſcriptis gentilium libenter aſſumit Eccleſia, ſi quid in eis probe dictum, vel factum agnoſcit, & tanquam mulieris captivæ reſecat ungues, piloſque ſuperfluos, ut ab alienigena falſitate mundata thalamum veritatis digna ſit introire.*

III. — *Chriſtus in azymo cõſecravit* — 2. Cor. 5. 17. — Cant. 7. 13.

Panis igitur azymus a Sapientia datur convivis, ut meminerint Chriſtum de maſſa peccatrice corpus ſine peccato ſuſcepiſſe, quemadmodum eo loci monet Innocent. Si reſpicias prævaricationis antiquæ pomum, ſecundum ſpeciem modicum erat, & tamen inſtar fermenti totam maſſam generis humani corrupit: *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit,* Nec dubium, quin fermenti nomine ſignificetur peccatum, cum ante monuerit idem Apoſt. *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio.* Hoc teſtimonium explicat Abbas Celenſ. libr. de panibus cap. 3. *Sicut*

Chriſtus azymus eſt. — 1. Cor. 5. 6 — 1. Cor. 5. 7

Sicut enim fermentum, inquit, *vetustatis saporem, & corruptionem massæ, cui immixtum fuerit, diffundit: sic peccatum castitatem omnium operum, quibus se immiscuerit, adimit.* Vetus fermentum erat iam inclusum in massa, quam expurgandam esse Paulus advertit, sed ut idem Abbas scribit cap. 4. Venit Dei filius natus ex Virgine absque fermento culpæ, & tulit de massa humanæ naturæ *solummodo farinam incorruptæ carnis* non fermentum, seu fomentum originalis peccati; *Cribro namque Spiritus sancti eventilavit furfur iniquitatis* a sancta carne concepta de utero Virginis. Animam quoque rationalem in unitate personæ sibi assumpsit. *Et carnem quidem in sacrosancto cœnæ convivio tamquam reparationis azyma nobis apposuit, & statim in cruce pascha nouum instituens obtulit: animam vero ad spolianda tartara transmisit.* In hoc testimonio unum, vel alterum expendendum est. Primum quod cum in massa fermentum esset inclusum, non massam, sed farinam incorruptæ carnis Christus assumpsit. Hęc farina penes Virginem erat, & ex illa panem confectum iam olim appetebat Elias 3. Reg. cap. 17. *Affer mihi obsecro & buccellam panis in manu tua.* Respondit autem mulier: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria.* Satis benè respondit, quia cum iam perjisset tota massa, pugillus farinæ restabat, ut panis azymus conficeretur; sed ille pugillus farinæ reservandus erat, donec pluerent iustum nubes, & cæli desuper rorarent Christum. Ideo dixit Elias: *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.* Cum autem in farina quędam sint fermenti symbola, ne quis arbitraretur quidquam esse in humanitate Christi, quod culpam saperet, additur.

Crebro Spiritus sancti furfur iniquitatis Deus eventilavit, cuius sententiæ mysterium indagandum est. Cribrum cum eventilat farinam, movetur, dixitque Angelus cum rogavit Maria: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non*
Luc. 1. 34 *cognosco?* Ad te, & super te vertetur, O Virgo, Spiritus sancti cribrum: *Spiritus sanctus superveniet in te.* Non movit Angelus cribrum, sed Deus, ut & ipsa Virgo confessa est: *Fecit potentiam in brachio suo.* Tria hæc cribrum quod movetur, manus quæ illud agitat, & candida farina ab omni fer-
Luc. 2. 35 mento & furfure libera tribus verbis insinuantur. *Spiritus sanctus superveniet in te*: hoc est cribrum: *& virtus Altissimi obumbrabit tibi*: hęc est manus: *ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*: pugillus hic candidæ ac floridę farinę est. Pugillus farinæ, fuit olim apud viduam, usque ad tempus pluvię perseveravit, miraculosè crevit, & multiplicatus est, ut possent complures edere: sic etiam & farina sacrę humanitatis, quę cribro Spiritus sancti prodijt in mundum, mirabiliter aucta estſ, ut ex ea multis populis esca salutaris conficiatur, ideoque Christus Dominus carnem in sacro cænæ convivio tanquam reparationis azyma nobis apposuit. Illud
Virgo immaculata est. autem non omittendum, quod mulier dixit Eliæ, apud se pugillum farinæ esse solum pro se, & filio: nec dubium quin pro Filio Dei & Matre fuerit residua parua portio farinæ, ut non solum Christus, sed & Virgo sine labe, & fermento peccati originalis conciperetur: tunc enim Deus cribro Spiritus sancti eventilare farinam cæpit, cum candida & florida puella generata est.

Ad nostram pariter instructionem adducitur panis azymus in mensam ut synceritatis, & simplicitatis cultores simus. Panis azymus, ut inquit S. Thom. 3. p. q. 74. a. 4. *magis competit synceritati fidelium, quæ requiritur ad usum huius Sacramenti, secundum illud* 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est*

est Christus: itaque epulemur in azymis synceritatis & veritatis. Absit ab hac mensa fermentum Pharisæorum, adsit syncera virtus & fides: Absit malitia & nequitia corrupta, & inquinata anima: assistat morum & vitæ integritate syncera, & azyma. Qualis hæc anima sit libr. de panibus cap. 4. de Azymo describit eleganter Petrus Cellensis. *Puella nimirum generosa, tenera, delicata, formosa, & candida, ignara doli, laboris insueta, virtutum capax, damnatrix vitiorum, artium inventrix, constans amore, verax in promissione, larga in donatione, socialis ad cives, affabilis ad omnes. Talis est anima si maneat in synceritate naturæ & gratiæ. Sed rapitur puella; O crimen! Generositas ancillatur, O pudor! delicata laceratur; O pietatis naufragium! formosa denigratur; O damnum pulchritudinis! obscuratur candida: O gloriæ conuitium! ignara doli fraude seducitur; O iustitiæ exitium! insueta laboris, labore atteritur: O miserationis exilium! Capax virtutum virtutibus evacuatur: O exclusio bonorum! Vitiatur damnatrix vitiorum; O commutatio Dæmonum! inventrix artium, inventorum obliviscitur; O ignaviæ pabulum! in amore constans instabilis invenitur: O naturæ lubricum! Verax in promissione quotidie mentitur: O peregrinationis inuium! in donatione larga, in avaram vertitur; O exsiccatio venarum! Socialis sine fœdere; O vitæ corruptionem! affabilis, infrunita redditur: O coagulum dilectionis vastatum!* Totum hoc damnum ex fermento malitiæ, & nequitiæ procedit, & ut redeat anima in priorem illum synceritatis suæ statum, expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio: ideo enim pascha nostrum immolatus est Christus, & singulis diebus immolatur in azymis, ut epulemur in hac mensa in azymis sinceritatis, & veritatis. O clementia Creatoris, quæ propter animarum hanc reformationem azyma nobis in mensa proponis! eripe animam de ore Leonis, restitue in statum libertatis, repone in delitijs pristinis, reforma deformatam, renova obscuratam, libera deceptam, amoue laborem, redde virtutes, cura vitiatam, doce oblitam, confirma lapsam, pone in veritatis viam, destrue avaritiam, fœdus societatis constitue, affabilem redde, quatenus tua sacra Eucharistia digna fiat.

Anima infecta.

Panis mulieris Euangelicæ.

Legimus in Matthæo cap. 13. inter cęteras parabolas Christi Domini hanc quoque numerari: *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.* Allegant in suæ consuetudinis defensionem hanc parabolam Græci, & ex ea colligunt in pane fermentato debere fieri consecrationem, ut mysterium Incarnationis significetur: *nam & fermentum manifestè signat tumorem uteri virginalis, & vinculum vnionis*, sicut ex Græcorum ore recitat Innocent. Communior autem ratio apud illos est, quam assignat Gregor. in Registro: *Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem, sed Græcæ Ecclesiæ offerunt fermentatum pro eo, quod verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ.* Quamvis hæc ita sint, maluit Deus in hoc Sacramento se natum ex Virgine demonstrare per azyma, quam vnitum corpus suum esse divinitati declarare per panem fermentatum, unde Christus in verbis consecrationis tacet, quod habet à Patre, declarat vero, quæ habet à matre: habet à matre corpus virgineum, & in hoc Sacramento reponit. *Hoc est enim corpus meum.*

IV. Matth. 13. 33.

Ostendit Christus se natum ex Virgine.

Habet sanguinem, & hunc in Calice porrigit: *Hic est Calix sanguinis mei.* Jam liquet ex dictis quam sapienter Nyss. dixerit lib. de vita Mos. *famescentes mysterium Virginis hoc pane facilè saturantur*: Si famescas & esurias non solum Christum, sed etiam B. Virginem, & velis de eius carnibus saturari, recurras ad Eucharistiam, in qua caro Virginea est: Unde S. German. in exposit. Liturg. prope finem ait: *Spiritualis benedictio, & alia bonorum suppeditatio ex distributione panis corporis Deiparæ fit & creditur.*

Satisfactio de peccato fermento similis. Quid est præterea fermentum, quod illa mulier abscondit? Respondet Petrus Cellens. libr. de panibus cap. 3. *Vindictam de peccato, fermentum esse credo.* In pane, sive conspersa farina commiscetur fermentum, quando ira Dei de cælo revelatur super omnem animam hominis operantis malum. Sed patienter flagella Dei sunt toleranda, quia cibus sunt, ut reficiant. *Et qui cæpit*, inquit Job, *ipse me conterat.* (Iob. 6. 9.) Potest enim figulus luti vas perditum (etsi confregerit) in melius reformare. Sic, *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, (Rom. 4. 3) quia *contra spem in spem credidit.* Quid est contra spem in spem credere, nisi cum flagellaverit Deus, tunc amplius in eum sperare? (Iob. 13. 15) *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*: Et ille, qui contra spem in spem credebat, non consideravit corpus suum emortuum, nec vulvam Saræ sterilem, cui defecerant muliebria. Sic, peccator licet iam sit emortuum corpus eius senio, vel languore: credat tamen adhuc venas misericordię in Deo palpitare, quibus iustificat impios, quibus vivificat mortuos, & *vocat ea, quæ non sunt.* (Rom. 4. 17.) Apud eum; damnum in re non imputatur, dumtaxat si plena destitutio, plenis gemitibus, vel in extremo vitæ reformetur. Pulset ad januam, quia nondum clausa est, dum vivit homo, dum confitetur, dum ingemiscit, dum spiritus est in naribus eius. *Comedat panem fermentatum, & sacrificet de fermento laudem.* Christus Dominus, quia sine culpa patiebatur, sacrificium laudis in azymis immolabat: at vero mulier illa, quæ typum Ecclesiæ pretendebat, & iuste se pro peccatis affligi cognoscebat, de fermento sacrificium immolabat.

Confessionis fermentum Quod si de fermento laudem immolat, ut idem Cellensis ait; *qui veram confessionem de peccatis celebrat;* panis fermentatus sacramentalis confessio est. Nec apponamus prius azymum, sed fermentatum, deinde azymum. Probet enim se prius homo, & sic de pane illo, id est, azymo edat. Iudas buccellam panis quidem azymi accepit, sed medius crepuit. Vis enim magna discernens mundum ab immundo; in pane illo cum sordibus avaritię, & infidelitate proditoris non patitur immorari: cum dolium pati non potest magnam vim, quam mustum in se conclusum habet, frangitur medium; ad eandem formam medius crepuit Judas, qui panis, ac vini consecrati virtutem sustinere non potuit. Erravit Judas, & turpiter erravit buccellam panis azymi prius accepit, & post illam recurrit ad fermentum confessionis, *peccavi tradens sanguinem iustum.* (Matt. 27. 4.) Qui Christum vendiderat pecunia, traditione etiam pecuniæ voluit emere absolutionem: non datur absolutio, ubi non est digna confessio, contritio & satisfactio. Laudanda igitur est mulier Euangelica, quæ fermentum confessionis abscondit in satis tribus farinę, quæ sunt tres confessionis partes, videlicet Contritio, Absolutio, & Satisfactio.

Panis

Panis paruulorum.

ANtequam nafceretur Iefus, diram famem patiebantur pueri, quorum lachrymis commotus Jeremias ploravit & ipfe Threnor. c. 4. Quid ploras Ieremia? *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*.. Temperet a lachrymis Ieremias, cum venerit ille, qui novit frangere panem, & fregit, deditque difcipulis fuis. Fregit Euchariſticum panem, ut effet alimentum paruulorum. Habet fancta Mater Ecclefia paruulos fuos, quos in baptifmo, & per baptismum regeneravit, cum quibus loquitur Petrus, & ait: *Quafi modo geniti infantes lac concupifcite*. Horum paruulorum panis eſt Euchariſtia, & ideo ſapienter Ambros. lib. 4. de Sacram. cum cap. 1. regeneratos iſtos paruulos defcripferit, vocat eos ſtatim ad menfam Sapientiæ: *Sequitur*, inquit, *ut veniatis ad altare. Cæpiſtis venire, ſpectarunt Angeli, viderunt vos advenientes, & humanam conditionem illam, quæ ante peccatorum tenebroſo ſqualore ſordebat, aſpexerunt ſubito refulgere. Ideoque dixerunt: Quæ eſt, quæ aſcendit a deſerto dealbata?* Multum differt terrenus panis a cæleſti: ille quidem nefcit fe ad captum edentium accommodare: hic autem ad eorum ingenium, & guſtum novit fe temperare. Cæleſtis panis erat, quem Deus in deferto pluit, & non folum viris, fed & paruulis deferuiebat: *pluit*, enim *illis manna ad manducandum* videlicet magnis & paruis, quibus panis inſtar pluviæ communis deſtinabatur. Cum pluvia cæleſti terra rigatur, aluntur non folum, quę iam adoleverunt arbores, fed quæ & teneræ, & paruulæ funt: pluebat igitur panem cæleſtem Deus, ut ex eo grandævi, & pueri tenelli reficerentur. Supercæleſtis panis eſt, qui de cęlo defcendit, & ad fingulorum captum, & guſtum feipfum componere dignatus eſt: *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum*. Cum natus eſt Chriſtus puer, paruulis fe temperavit, *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens. & habitu inventus ut homo*, quod femel fecit, efficit femper in Sacramento, quemadmodum fcribit Dionyf. Alexand. in epiſt. contra Paulnm Samofat. *Fecit*, inquit, *potentiam in brachio ſuo, & exaltavit humiles, ut ab eis capi poſſet Altiſſimus, & habitare in nobis per exinanitionem*. Nec dubitum, quin Chriſtus in Euchariſtia repuerafcat, cum accidentium pannis, & fafcijs involutus in altari collocetur: veniant ergo paruuli, veniant ad altare, & invenient infantem pannis involutum. Jnvitarunt Angeli paſtores ad præfepe, ac fignum illud prębuerunt: *Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio*, quod teſtimonium expendit Hefych. Serm. 2. de laudib. Marię: *Invenietis*, inquit, *infantem alimentum vitæ, cænam lucis, eſcam lætitiæ, incorruptionem dulcedinis, unde oritur notitia regni, arrha adoptionis filiorum, & cælorum hæreditas*. Venite, accedite paruuli, comedite panem Sapientiæ, ubi Chriſtus infans eſt, alimentum vitæ, cęna lucis, eſca lætitiæ. incorruptionis dulcedo, notitia regni, arrha adoptionis, & cælorum hęreditas. Pluit Deus hunc panem cæleſtem, *pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ*, ut inde teneræ ac fortes, delicatę, atque robuſtæ plantæ cibum, fuccum, & alimentum fugant.

[Margin: V. — 1. Petr. 2. 2 — Differentia panis cæleſtis et terreni. — Pf. 77. 24. — Phil. 2. 6. — Luc. 2. 12 — Pf. 67. 10.]

Provectorum & perfectorum panis.

DOminus Auguſtino lib. 10. Confeff. inquit, *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me*. Grandes, ac perfectos viros Sacramentum venerabile requirit reges, quibus paffiones corporeę fubiacent, *pinguis eſt* enim *panis Chriſti, & præbebit delicias* regibus: poſtulat provectos pref-

[Margin: VI.]

presbyteros, & Sacerdotes, Unde & Dominus Aaron dixit: *Omnem medullam olei, vini, & frumenti, & quidquid offerunt filij Israel primitiarum Domino, tibi dedi.* Hunc locum lib. de panibus cap. 6. declarat Petrus Cellens. *Cibus delicatissimus*, inquit, *& ditissima refectio medulla olei, vini, & frumenti, qua non quilibet de populari sorte, & conversatione, sed vocatus à Deo tanquam Aaron sed unctus inter fratres suos, sed qui incensum offert ad altare thimiamatis in odorem suavissimum Domino, in medullam olei, vini, & frumenti suscipit.* Sed quid est medulla olei? virtus Spiritus sancti; quid vero medulla vini? Filij Dei: quid denique medulla frumenti? Bonitas Patris: O virtus! O gratia! O bonitas! ubi habitas? quod est habitaculum Spiritus? quæ sedes gratiæ? quæ bonitatis mansio? Non opus est in cælum ascendere, satis est ad mensam Eucharistię recurrere, ibi est medulla olei, vini & frumenti, ibi Spiritus habitaculum, sedes gratiæ, ac bonitatis mansio. Huius veritatis testis mihi sanctus Isaias est cap. 25. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum*, continebitur in convivio medulla omnis olei, vini, & frumenti. Quid est Eucharistia? divini amoris medulla, cum sit pignus charitatis summæ, qua Deus prosequitur Ecclesiam suam. Quid Eucharistia est, medulla gratiæ, cum in ea fons, & origo omnium gratiarum contineatur. Quid aliud Eucharistia est, nisi medulla bonitatis divinæ? *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum?* Ditissima hæc refectio est provectis, ac perfectis viris idonea: solidus hic cibus est, quem communicare Judæis Paulus desiderabat, sed invenit minus capaces. Disseruit Apost. cap. 5. ad Hebr. quomodo Christus appellatus a Deo Pontifex esset iuxta ordinem Melchisedech, & cum acturus iam esset de pane, quem obtulisset, omittit, & omissionis suæ causam reddit: *De quo nobis grandis sermo & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis vos, ut doceamini, quæ sunt elementa exordij sermonum Dei: & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ. Paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus*, nimirum panis qualis est Eucharisticus, qui cum sit cibus Angelorum in cælis, debet esse in terris epulum hominum perfectorum. Tam Angelus, quam homo vescitur uno pane: ille incorporaliter percipit impassibilem divinitatem, iste sacramentaliter impassibilem humanitatem.

Medulla Eucharistia est.

Zach. 9. 17

Heb. 5. 12

Panis primitiarum.

DIspensationem incarnationis per Spiritum sanctum in vtero Virginis adimpletam obumbrabat Legislator, cum diceret Levit. cap. 23. *Numerabitis ergo ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini* Petrus Cell. c. 1. rogat: *Qui nam sunt panes primitiarum duo de duabus decimis similæ fermentata, nisi duæ puræ, & perfectæ naturæ in una persona* CHRISTI IESV *inseparabiliter coniunctæ? Fermentum enim hic, non coagulum corruptionis, sed*

opera-

operationem significat inseparabilis unionis. Hi coquuntur in primitias Domini, quia Dei, & hominis eadem persona in utraque naturarum suarum compactarum primogenitus, siue primitiæ dormientium ab Ecclesia Catholica appellatur, & creditur. In natura quidem divinitatis, ante omnia natus est de Patre: In natura verò humanitatis, in fine sæculorum editus est ex Virgine. In eiusdem certè Virginis clibano cocti sunt panes isti, quia Verbum, & caro sic fuerunt adinvicem coniuncta in utero virginali, in una eademque unitate personæ, ut ultra non diceretur separatim homo, vel Deus, sed diceretur una persona, inseparabiliter homo Deus, Duo quidem sunt panes secundum Moysem propter inconvertibilitatem naturarum : nam sine confusione manserunt : Vnus autem panis est, propter unam eandemque personam. iuxta Apost, qui ait 1. *Cor.* 10. *Vnus panis & unum corpus multi sumus in Christo.* Sed quare Moyses duos, Paulus unum vocat panem Christum ? Respondet Cellens: *Salva fide, & auctoritate maiorum potest dici (ut mihi videtur) quia in tempore Moysi re ipsa nondum fuerat facta incarnatio Christi, & idcirco quasi duo panes erant illæ naturæ: quarum una in maiestate sua, & Patris existens; altera nōdum in propria essentia apparens : prædestinatione quidem sola coniungebatur, nondum autem assumptione, vel unione. Tempore vero Pauli, id est, gratiæ, assumptione hominis a Verbo iam celebrata, una, eademque persona Christi ex duabus, & in duabus naturis (divina scilicet, & humana) subsistens prædicatione Apostolica excellebat. Vnde non immerito Paulus ad personam attendens unum dicit: Moyses duas naturas intuens duos panes nominavit: ille personam non dividens : iste naturas non confundens.* Adhuc melior erit responsio, si fateamur Legislatorem voluisse, ut duo essent panes primitiarum, in vaticinium mysteriorum Incarnationis, & Eucharistiæ. Incarnatio, & Eucharistia panes primitiarum sunt duo, si formam, & speciem eorum consideres. Uterque panis primitiarum est, panem Christi incarnati Virginitas protulit, fætum primum, quem Mater Virgo generavit : panem vero sacramenralem produxit Sapientia divina, & hę sint primę vices, quibus caro humana porrigitur ad manducandum, ideoque Eucharistia panis primitiarum est. Hic panis in ardentis charitatis clibano coctus est, quando Sacramētum instituit Christus, ut illud, institueret, *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Nec obstare debet, quod simila primitiarum fermentata libaretur: fermentum enim in priori pane inseparabilis unionis operationem connotat, in altero significat passionem Christi, cuius viva memoria, ac commemoratio Eucharistia est; cum dicitur: *Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur*, fermentata simila nobis describitur. Nec omittendum Nicolaum Cabasilam in Exposit. Liturgiæ Tom. 6. Biblioth. Patrum cap. 2. & 3. probare panem Eucharisticum esse panem primitiarum.

Panes primitiarum Euchari-stia.

Io. 13. 1

Panibus propositionis Eucharistia successit.

VII.

DIgna Principe conditio est, non tam accipere munera, quam semel accepta cum servis dividere ac distribuere: cum ergo Deus Principum omnium Rex sit, quæ accipiebat olim munera in templo, inter Levitas, & Sacerdotes partiebatur. Inter cæteras oblationes duodecim panum libatio celebris erat: hæc enim nomine duodecim Patriarcharum, & tribuum divinis aspectibus inferebatur, & cum se complacere in illa largitione demonstrasset, in mensam suorum ministrorum transferre iubebat, & indicabat quid futurum esset in Eucharistico pane, qui iam in illis

illis præferebatur. Prius quidem panis Eucharisticus oblatus est Patri, cum ad Deum Patrem suum omnipoteutem levavit oculos Christus, & post oblationem statim Deus Luc. 22. ait; *Accipite, & dividite inter vos.* Cũ panes propositionis ministris suis remittebat, prius illos apud se detinuerat aliquot dierum spatio: at in cæna panem non detinet, illico distribuit, ut innuat in veteri testamento se nonnihil tardum ad donorum largitionem fuisse, & in nouo liberalitatem suam ullas moras pati minimè posse. Commendatur 1. Machab. 1. Alexandri Regis liberalitas eximia, quod morti vicinus inter pueros suos regna mundi partitus fuerit: *Et post hac decidit in lectum, & cognovit, quia moreretur. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à iuventute, & divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret.* Noster Rex in qua nocte tradebatur, accepit panẽ, fregit, & distribuit inter Apostolos, quos pueros scriptura vocat, & in distributione locutus est: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam.* Alexander dũ adhuc viveret, pueris suis regnum, & imperium divisit: nec dubium, quin post mortem, si suscitatus fuisset, totum illud regnum semel iam divisum resumere, & recuperare tentasset. Christus, cum è mortuis resurrexit, dona oblata firmavit, tunc temporis confirmavit, cum discipuli *Cognoverunt eum in fractione panis*: quem sacramentalem fuisse plurimi docent.

Liberalitas Christi in Eucharistia.

Luc. 22. 19.

Luc. 24. 35.

Notandum arbitrarer hoc loco, quod cum nomine duodecim Patriarcharum totidem panes propositionis in mensa tabernaculi censerentur, illati panes non sunt nomine Abrahami, Isaaci, & Iacobi, quos præ cęteris Patriarchis Deus dilexit & adamavit. Profitebantur in panibus Patriarchę curam & providentiam, quam Deus habebat, ut eos aleret, ac nutriret terreno pane: pane vero sublimiori paverat Deus Abrahamum, Isaacum & Iacobum. Panis Deus Abrahamum de pane Melchisedeci, cuius maxima est cum Eucharistia consonantia: aluit Deus Isaacum esca, quam, cum non videret, comedebat, & mysticam nostram referebat: *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides*: Isaacus Iacobo impertiuit benedictionem Gen. 27. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei*: quæ quidem benedictio sacramentalis est: Unde & idem Patriarcha, cum esset in solitudine, ac benedictionis factæ vellet iam possessione frui, Genes. cap. 28. votum nuncupauit, *Si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem advescendum, & vestimentum ad induendum, &c. Erit mihi Dominus in Deum.* Quid in huius voti nuncupatione Jacob postulaverit, explicat Hieronym. a S. Fide lib. 10. contra Iudæos cap. 10. non solum ex mente sua, sed ex sententia magni cuiusdam Hebræi, quem cæteri Rabbini colebant summa reverentia: *Non imagineris*, inquit, *quod Iacob dumtaxat victum, & vestitum a Deo petierit, sed scire te oportet, quod Iacob dicebat sic: Dominus promisit mihi, quod erit mecum, & per totum sæculum bonum de me producturus est: quomodo ergo sciam, quod hoc debeat impleri, hoc erit, quando egredientur de me Sacerdotes, qui Dei sacrificium panem comedent, & sacerdotalibus vestibus induantur.*

Sublimitas panis Eucharistici.

Panis similaginis.

VIII. IN odorem suavitatis efferebatur olim super altare simila iuxta ritum solennem, quem Levit. cap. 6. Legislator intimavit: *Tollet Sacerdos pugillum simīlæ, quæ conspersa est oleo, & totum thus, quod super similam positum est, adolebitque illud in altari in monimentum odoris suavissimi Domino: reliquam*

autem

autem partem similæ comedit Aaron cum filiis suis, & comedit in loco sancto atrij tabernaculi Domini: ideo autem non fermentabitur, quia pars eius in Domini incensum offertur, sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato, atque delicto, legitimum, ac sempiternum est in generationibus vestris de sacrificijs Domini, omnis qui tetigerit ille sanctificabitur. Simila conspersa oleo Eucharistia est, plena oleo misericordiæ, ideo *misericors, & miserator Dominus* nuncupatur, cum se timentibus escam dedit. Super similam thuris abundantia ponitur, hæc enim mysteria plena sunt Spiritu sancto. In monimentum odoris suavissimi libatur, quia pro commemoratione passionis Christi consecratur. *Reliquam autem partem similæ comedit Aaron cum filiis suis.* Hoc ita intelligit Cellensis libr. de panibus cap. 10. pane similagineo, *ut*, nimirum, *Iesus dispensatione incarnationis suæ, cum suis discipulis in Ierusalem civitate sancta, panem, & vinum in substantiam corporis, & sanguinis sui commutando, vivificis altaris mysterijs compleat, & fidelibus suis salutari mysterio usque in finem sæculi tradat.* Ps. 110. *Symbolũ Spiritus sancti est incensum.*

Mares tantum stirpis Aaron comedent illud: Commentatur *Mollis & delicata resolutione malarum concupiscentiarum anima non contingit similam, id est, non se arbitretur posse apprehendere divinam sapientiam: non enim habitabit in corpore subdito peccatis. Sed mares subigentes scilicet adversarias potestates, subjicientes quidquid adversatur, & extollitur adversus scientiam Dei, calcantes super serpentes, & scorpiones comedent similam. Venter muliebris non recipit cibum similæ: quia corruptus sensus divinæ nequaquam idoneus est naturæ, sive scientiæ.* Commentemur & nos ab Eucharistiæ communione non arceri fæminas sexu, sed animo, mulieres non conditione naturæ, sed corruptione perfidię Discernat itaque comedentis sensus, non sexus: gratia non natura, discretio mentis, non membra corporis, habitus animi, non pilus faciei. Virtus quæritur, vitium respuitur, admittitur constantia, lascivia eliminatur, patientia recognoscitur, anathematizatur iracundia, vocatur anima, excluditur caro mollis, & delicata. *Nec minus hoc est annotandum,* ait Rupert. cap. 1. Levit. *quod eum, qui offert animal, hominem vocat Scriptura. Homo, inquit, ex vobis, qui obtulerit donum Domino ex armentis, bobus, & ouibus offeret: illum autem, qui similam offert, vocat animam. Si enim anima, inquit, offerat donum sacrificij Domino, simila erit donum eius.* *Euchari-stica simila virorũ est.*

Omnis, qui tetigerit illam, sanctificabitur. Qui tetigerit illam humilitate, quemadmodum illam tetigit mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, & curata est, humilitate tetigit, quia fimbriam apprehendit. Tetigit Judas, sed osculando nimirum vultum elatus est, & non est sanctificatus. Sanctificata est mulier, quæ erat in civitate peccatrix, quia non vultum & faciem, *osculabatur pedes eius, & unguento ungebat.* Hæc eadem mulier post Luc. 7. 35.
resurrectionem tangere tentavit vel fimbriam vel pedes, & tamen reiecta Ioa. 20. 17
est: *Noli me tangere:* cum tamen se Thomę manibus tractari sit passus: *infer* Io. 20. 27.
digitum tuum huc: & affer manum tuam in latus meum. Tangere volebat Magdalena, ut iam Christi gloria felix, & gloriosa ipsa frueretur, & meritò repulsa est: Thomę verò concessum est, ut solum tangeret passionis insignia, non ut frueretur, sed ut ad credendum, & simul patiendum instrueretur. Tange similam, tange hostiam, non quidem, ut in mundo felicitate cęlesti perfruaris, sed ut scias, quę sit passus Christus, & ad imitationẽ humiliationis & passionis eius exciteris. Cum calcitrarent boves, tetigit arcã Oza, nec gratias habuit, sed mortem. Putabat humanæ virtutis esse arcam tenere, ac sustentare, ne corrueret: deturbavit illum superbia, non cecidit arca, quæ subsidio non carebat alieno. Nõ indiget humanis viribus & industria

noui Testamenti arca: nos vero indigemus Eucharistia, ut eius attactu sanctificemur. Tange ergo sine vitio, accede cum fide, & humilitate ad Emundatorem animarum. Panis namque est in Sacramento suo similagius, mundus, candidus, sapidus, calidus, neque in ore laboriosus, nec ventre ponderosus.

Typus Eucharistiæ panis hordeacius.

IX. PRæludebat Ioannes in aqua, ut seipsum, & Israelitas suos componeret ad recipiendum nostri Servatoris baptisma. Præludia quoque fuerunt venerabilis Sacramēti quinque panes hordeacei, quos Christus in deserto multiplicavit & auxit, ut multa millia hominum satiaret. Panis hordeacius typus erat mysterij futuri, quod in pane frumenti conficiendum erat, præcessit in umbra, quod futurum erat in luce, & in figura quod futurum erat in veritate. Misertus super turbam parat illud convivium: misertus etiam nostri *Dominus escam dedit timentibus se.* (Ps. 110. 5.) Non defuerunt in deserto, qui desperarent parari posse convivium: fuerunt etiam, qui diffiderent posse conficere Sacramentum: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* (Ioa. 6. 11.) Ut ostenderet non impossibile apud Deum omne verbum, *accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus*: similiter cum daturus esset Eucharistiam, accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & cum gratias egisset distribuit: *Accipite, & manducate: Hoc est enim corpus meum.* Multiplicatus fuit panis hordeaceus: auctus fuit, & adhuc augetur triticeus. Post expletum epulum cum vidisset Iesus, quia venturi essent convivæ, *ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* (*Rex in Eucharistia Christus est.*) Noluit esse in convivio Rex, ubi panis hordeaceus ministrabatur, expectabat ut haberetur, & decantaretur Rex in mensa, quam meditabatur aliquando futuram. Hęc est mensa Sapientiæ, quam exornat panis Angelorum triticeus. *Pange lingua gloriosi corporis mysterium: sanguinisque pretiosi, quem in mundi pretium, fructus ventris generosi Rex effudit gentium.* Noluit in umbra, sed in veritate & luce Regem se coli & adorari. Quia panis ille hordeaceus typus erat Eucharistiæ, priusquam Christus promulgaret altaris mysteria, non sine mysterio quinque panum miraculum in deserto patravit, ut recenset Ioannes 6. eodem capite utrunque complectens epulum, celebratum in hordeo, & in pane frumenti postea celebrandum.

Panis lugentium.

LUgebat David, ut animam suam pasceret: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* (Psa. 41. 4.) Hunc panem lachrymarum Adamus in exilio comedit; Noe in diluvio: populus in deserto, Ezechias in lecto; Job in sterquilinio, David in adulterio; Petrus in negatione; Maria in prostitutione; Latro in Crucis suspensione. Conteritur farina, adiungitur aqua, & ex utraque panis conficitur. Conteritur Cor: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*; (Ps. 50. 29.) advenit aqua lachrymarum, & panis lugentium efficitur. Ut totus esset Christus panis doloris & luctus, *attritus est propter scelera nostra*, (Isai. 53. 9.) (*Christus est panis doloris.*) & pro eorum remissione *cum clamore valido, & lachrymis*, vitam & sanguinem fudit. In huius rei munimentum Eucharistia proponitur: viva enim memoria est attritionis, & lachrymarum panis

panis, quem in altari consecramus. Quod si mirabilia, & stupenda patrant in anima lachrymę, ut cernere licet in Davide, Petro, & Magdalena, quid præstabunt vel quid potius non prestabunt lachrymæ nostri Servatoris, quas æterno Patri toties in altari libamus? Sapienter dixit David. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes*, sibi proderant, sibi proficiebant. Habet peccator, quæ ploret, & lachrymetur, non habet luctus panes, quos alijs distribuat. Sibi plorabat David, sibi flebat amarè Petrus. Solus Christus habebat panem lachrymarum, quem distribuit discumbentibus, & dividit communicantibus. Monet Paulus: *Flere cum flentibus*, ut monenti pareamus, cũ Christus ploret in Sacramento, & nos cibat pane lachrymarum suarum: *Venite, procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, quoniam ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius & oves pascuæ eius*: oves pascuę eius sumus, quatenus hoc sacrosancto Lugentium sibo, ac pane sustentamur. Audio dicentem Augustinum in Ps. 65. *Melius est, cum Romam venerit Imperator, deposito diademate ploret ad memoriam piscatoris, quam ut piscator, ploret ad memoriam Imperatoris.* Melius quoque est venire peccatorem, ut ploret ad memoriam Eucharisticam Redemptoris, quam ut Redemptor lugeat ad memoriam peccatoris.

Ps. 44. Rom. 12. 15 Ps. 94. 3.

Lætantium panis.

X.

SUmma lætitia, summaque congratulatio, & exultatio fuit, cum mundi Servator in lucem productus est, dixit Angelus Pastoribus: *Annuncio vobis gaudium magnum. quia natus est vobis Salvator.* Quam magna alacritas ista sit, iam ante declararat Isaias: *Letabuntur coram te, sicut lætantur in messe.* Ex hac messe Lætantium panis Eucharisticus confectus est, in memoriam resurrectionis, in memoriam scilicet diei, cui debita est omnis lætitia, & exultatio: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Cũ mater Ecclesia sciat tantę alacritatis panem esse Eucharistiam, non immerito, sublatum feria sexta maioris hebdomadę sacris eam restituit altaribus, ne panis Lætantium desit, quo fideles reficiantur. Laudarem hoc loco consuetudinem aliquarum Ecclesiarum, quę diluculo Resurrectionis supplicationem faciunt, in qua sibi mutuo occurrant sanctissima Virgo & Eucharistia, ad huius aspectum Virgo, quæ tota tecta & atrata prius erat, deposita lugubri veste, apparet ornamentis gloriosis induta, plena gaudio, & hilaritate, quia filium suum, quem ante viderat panem Lugentium in Cruce, contemplatur panem sibi, & alijs esse Lętantium in Resurrectione. Hoc pane fruebantur nostri maiores in exordio nascentis Ecclesiæ, sicut scriptum est in Actis c. 2. *Quotidie perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.* Panis lætantium est gustui, pectori, ac menti: *Ob hanc enim causam*, ait Nyss. in c. 3. Ecclesiastæ, *in escam se nobis proponit is, qui semper est, ut accipientes illũ in nobis, id efficiamur, quod ipse est, caro siquidem Verbi, quæ in hoc cibo inest, non unam aliquam gratiam habet, quin potius dulcis efficitur gustantibus, appetenda capientibus, & diligentibus amabilis.* Credamus divino Dionysio Epist. 9. in cuius ore & calamo Eucharistia est *mæstitiæ omnis expultrix, lætitiæ vero, ac perfectionis inductrix.* Hoc pane recreata Ecclesia sancta præ lætitia, & exultatione canit, *Sit laus plena, sit sonora, sit iucunda, sit decora mentis iubilatio.*

Euchari-stia fit in memoriã Resurre-ctionis.

Panis filiorum.

XI. NObilis naturæ conditio velle sibi cuncta similia reddere : appetit ignis in ignem vertere, quidquid alienæ naturæ invenit, & hæc eadem appetentia cæteris elementis, & creaturis inest. Hanc conditionem habent à Deo, quem in prima rerum creatione misericordia deflexit, ut hominem sibi similem procrearet : *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, Ego dixi, Dij estis*. Vox illa, *faciamus* trium divinarum personarum est, quarum singulæ iuxta personales proprietates nos efformare, & sibi assimilare contendunt. Pater qui pluit super bonos & malos, & solem suum facit oriri super iustos & iniustos, appetit, ut sibi similes efficiamur, & affectu paterno complectentes omnes, omnium patres simus, omnibus benefaciamus: *Estote perfecti, sicut & Pater vester perfectus est*. Spiritus sanctus desiderat, ut omnes in se tàquam in ignem & spiritum transferamur: *Qui adhæret Domino unus spiritus est*. Unigenitus filius Dei maximè cupit & optat, ut omnes filij Dei nominemur, & simus, ob hāc causam è superis in terras descendit; *In propria venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Quod si filij sumus, negari nobis non potest filiorum panis : idcirco filius Dei, qui nobis adoptionem concessit, dedit simul animos, ut filialem alimoniam ab æterno Patre postularemus. Divina ergo institutione, & præceptis salutaribus moniti audemus dicere: *Pater noster, qui es in cælis, panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Panis iste quotidianus Eucharistia est, ut inter cæteros Aug. monet lib. 2. de verbis Domin. Serm. 5. *Quotidianus est iste panis*, inquit, *accipe ergò quotidie, quod quotidie prosit*: Concludit: *Quomodo Iob sanctus pro filiis offerebat quotidie sacrificium, ne fortè aliquid vel in sermone peccassent, ita & hoc sacrificium quotidie celebratur pro filiorum peccatis: Quotidie si accipis, quotidie est hodie, tibi hodie Christus passus est, tibi hodie resurgit*.

Gen. 1. 26. — *Mat. 5. 48* — *1. Cor. 6. 17.* — *Eucharistia filiorum Dei alimonia est.*

Verè panis filiorum, non mittendus canibus. Canes hæretici sunt, & diri canes: caninos enim mores, & ingenium imitantur. Canes oderunt baculum petram mordent, & ciborum umbras, quas in aqua vident, insequuntur. Hæretici crucis baculum oderunt, *inimici crucis Christi quorum Deus venter est*. Mordent caninis dentibus Ecclesiæ petram, & Vicarium Christi Anti-Christum nominant. Sequuntur umbras, negant enim veritatem corporis & sanguinis Domini, & recurrunt ad umbras, & imagines fictas. Vere panis filiorum, non mittendus canibus, sed filijs, quos baculus crucis delectat: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt : parasti in conspectu meo mensam*: qui petram fidei non mordent, sed inde dulcedinem sugunt, *de petra melle saturavit eos*: qui non insequuntur umbras, sed veritatem: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Hic est panis filiorum, qui de cælo descendit. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me*: Vivo ego propter Patrem, cum sim filius Dei naturalis, & qui manducat me, vivet & ipse propter me adoptiuus filius Dei. Nouit Ecclesia mysterium, novit esse panem filiorum, cuius beneficij magnitudinem admirata prorumpit in exclamationem: *O quam suavis est Domine, spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cælo præstito, esurientes reples bonis*.

Phi. 3. 19. — *Ps. 22. 4.*

Panis

Panis servorum.

SErvorum panis Eucharistia est, cum eadem exclamet Ecclesia: *O res mirabilis, manducat Dominum pauper, seruus, & humilis.* Quisquis in hoc mundo degit, seruus est, donec liberetur a servitute corruptionis. Dira hæc servitutis conditio est, quam vel ipse Apostolus Paulus portare nõ poterat: gemebat sub onere: *Omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc, sed & nos gemimus:* dolebat miseriam, & calamitatem suam, & edebat tristia suspiria: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* O res mirabilis! manducat seruus corruptibilis Dominum incorruptibilem, mortalis immortalem, temporalis ęternum. Manducat hunc panem divinum corruptionis seruus, ut servitutis corporeæ iugum, si non tollatur, saltem minuatur. Gravissimam reddunt servitutem hanc adversitates, tentationes, peccata, contra quæ tria se opponit venerabile Sacramẽtum: testis mihi est Alensis 4. p. q. 10. a 2. *Quantum ad tria augentur,* inquit, *in hoc Sacramento virtutes: primo quantum ad roborandum contra tentationem adversitatis, unde dicitur panis confirmans cor hominis. Secundo quantum ad efficaciam efficiendi animam sobriam contra incentiva voluptatis, unde glossa super illud Marc. 14. Accepit Iesus panem: Ebrietas felix, saultaris sacietas, quæ quanto copiosius sumitur, tanto sobrietatem mentibus dignare dignatur, Et quantum ad curationem venialium, unde Gregor. in Homil. paschal. Dedit nobis hoc Sacramentum salutis, ut quia nos quotidie peccamus, & ille iam mori non potest, per istud Sacramentum remissionem consequamur.* Non solum Eucharistia servitutem levat, & corruptionis nostræ minuit per virtutum harum incrementum difficultates, verum etiam nobis illam in signum libertatis Christus reliquit.

XII. *Servitus corruptio nis tollitur per Eucharistiã.*

Rom. 8. 22.

Ro. 7. 14.

Huc pertinet illa lex Deut. cap. 15. sancita, ac promulgata: *Quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus, & de area, & de torculari tuo.* Cum homo de mundo transit in cælum, libertate donatur, cuius insignia sunt agnus, panis, & vinum, quæ in una solum hostia pro viatico ministrãtur. Favet lex, & illius legis expositio. Cyr. lib. 7. de Adorat, *Liberavit nos gratis Dominus, postquam nos liberos fecit, id est, a peccatis absolvit, adiecit seipsum viaticum. Tanquam victima omnis mali expers concedens, ut vivificam benedictionem participaremus, sanctam dico carnem, & sanguinem. Hoc existimo quod ait lex oportere suppeditari viaticum de ouibus, & de frumento, ac vino vocatis ad libertatem.* Prouidetur itaque nobis tempore mortis de viatico Sacramenti, sed non ita libenter acceptamus, quia miseri ser vi nostram miseram & infelicem servitutem adamamus: *nolumus spoliari, sed supervestiri.* Recusamus carne privari, societatem eius deserere, nexum rumpere, destruere consortium. Voluit etiam huic occurrere difficultati bonus Dominus, ita composuit suum Sacramentum, & carnem sacram aptavit, ut transitus noster esset facilior, & facilius spiritus noster iniret cum carne divortium. Vide quid dicat Iustin. lib. de perfect. mon. conversat. c. 20. *Anima, & carnis affectio, nullo eventu, nullaque lege nec in præsenti, nec in futuro domatur: quin potius purius, ardentius, perfectiusque in anima, & corporis glorificatione perseverat. Proinde quia rationalis spiritus inclinatione quadam naturali, & non parum, quæ corpori utilia, & delectabilia sunt, cogitare cogitur, aliquo spirituali pabulo in ipso discubitu erigendus est, in quo quanto amplius fuerit occupatus, & illectus, tanto minus carnalia cogitabit.* Nullum pabulum spiritale præstantius, & efficacius potuit excogitari, quam Eucharisticum, ut tunc temporis a rebus terrenis, & mundanis liberius divertat animus.

2. Cor. 5. 4.

Panis Mercenariorum.

XIII. AUgust. Serm. de Orat. Dominic. *Operario duas res debet*, inquit, *qui illum conducit ad vineam; & cibum ne deficiat, & mercedem, unde gaudeat.* Cum ergo magnus Pater familias exierit primò manè, ut cõduceret nos operarios, providit de mercede: quia convenit ex denario diurno: & providit simul de cibo, quia dat panem de cælo verum. Proponit mercedem, unde gaudeamus: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Largitur panem, ne deficiamus: hic enim panis est cor humanum confirmans. Quam ob causam Dominic. Septuagesimæ parabola de vinea legitur, & mercenariorum denarius proponitur: statim vero sequenti Dominica de verbi divini semine Euangelica lectio est, quia sicut testatur eo loco Aug. *Cibus noster in hac terra est sermo Dei, qui semper erogatur, & post labores merces nostra, vita æterna nominatur.* Quam benè solvit, quæ debet conductor divinus, in una Eucharistia coniugit mercedem: & cibum: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* In hoc uno Sacramento *recolitur memoria passionis eius*: ut communicantes Christi passionibus cum illo patiamur, & instar mercenariorum laboremus. Conceditur simul sacrum convivium, ut ad laborandum in vinea Domini vires, & animos resumamus. Futuræ nobis glorię pignus datur, ut de mercede certi atque securi gaudeamus.

Luc. 6. 23.

Officium operary. Exposuit Augustin. quid mercenario debeat is, qui illum conducit ad vineam, quid autem teneatur facere operarius dicendum est. Qui conducitur, totus esse debet conductoris sicut David, qui magni Patris familias mercenarius erat: *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum propter retributionem*, & eodem Psalmo dicebat. *Tuus sum ego, saluum me fac.* Magna vox ista est, audi, si placet, quid in hæc verba dicat Ambros. *Satis rarus est, qui potest dicere, Tuus sum ego, ille ergo potest dicere, qui potest dicere, ecce nos reliquimus omnia; quid ergo erit nobis? Apostolorum itaque vox ista est, nec tamen omnium Apostolorum: nam & Iudas Apostolus fuit in cõvivio Christi: inter Apostolos recumbebat, dicebat & ipse. Tuus sum, sed voce, non corde. Venit, & introivit in eum Satanas, & cœpit dicere: Non est tuus, Iesu, sed meus est. Denique ea, quæ mea sunt, cogitat, quæ mea sunt, in pectore suo voluit: tecum epulatur, & mecum pascitur, a te panem accipit, a me pecuniam, tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vendit, tuus est Apostolus, & meus est mercenarius.* Conduxerat Iudam Christus, ut esset mercenarius in vinea: quid ille fecit? Accepit panem, & cum totus deberet esse Christi, quia conductus erat, & deberet in vinea suum laborem impendere; divertit a vinea, ac se Dæmoni tradidit. Fur erat, & loculos habebat, abstulit furto pecunias, imo & ipsam Eucharistiam, ut esset caput & princeps latronum, eorum videlicet, qui propter temporale lucrum, neglecta commissarum sibi animarum salute, intrant Ecclesiam, & sacerdotio abutuntur.

Ps. 118.

Panis subcineritius.

XIV. SEmel & iterum per subcineritium panem adumbratum est, qualis Eucharistia esset futura. Semel quidem Iud. cap. 7. *Vidi somnium*, inquit gregarius miles, *& videbatur mihi, quasi subcineritius panis ex hordeo volvi, & in castra Madian descendere, cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit*

sit illud, atque subvertit, & terræ funditus coæquavit. Communicavit somnium suum commilitoni, qui aderat, & ille somnium interpretatus est. *Respondit-que is qui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis.* Descendit subcineritius panis, *Hic est panis qui de cælo descendit.* Pervenit ad antiquum tabernaculum, & penitus subvertit, *& antiquum documentum novo cedat ritui.* Ubi est gladius Gedeonis? vivus est sermo consecratorius *penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens* usque ad mysticam divisionem corporis & sanguinis Christi in hoc sacrificio. Quia vero Eucharistia non solum est sacrificium, sed etiam cibus, quatenus in escam datur, per subcineritium panem declaratus est rursum 3. Reg. cap. 19. Cum præ tædio dormitasset anima Eliæ; *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Respondit que & ecce ad caput suum subcineritius panis & vas aquæ: comedit ergo, & bibit.* Quia vero non solum sacramentaliter, sed spiritualiter etiam comedendus erat subcineritius panis, dixit Angelus secundò: *Surge, comede: grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.*

Instar operientium cinerum accidentia sunt, quæ post consecrationem remanent. Subcineritium panem cooperire solent cineres, ne crudus existat. Crudum, & durum negotium videbatur non paucis, quod Christus Dominus suam carnem daturus esset in alimoniam: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Nesciebant mysterium, quod in eo positum est, ut sub cineribus panis veletur, & caro sub accidentibus recondatur, & hoc pacto componatur ad gustum. Sub cineribus panis est caro Christi: *Caro mea verè est cibus*; clarius, & expressius: *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Cælum extremum celsitudinis, & sublimitatis est, cinis verò humilitatis, & summissionis extremum, nisi de cælo ad cineres descendisset, non ederetur, nec manducaretur. Confirmat Aug. in Psalm. 32. *Nisi esset humilis, non manducaretur, nec biberetur.* Cupis nosse, quisnam sit ignis, cuius virtute panis subcineritus conficiatur? *Deus ignis consumens est.* Consumit totum substantiam panis, ut sub accedentibus caro Christi substituatur; cumque ignis consumens sit, mirabile est, quod infirma accidentia non lædat, & panis substantiam evertat. Cum fulmen ignoscere soleat vaginæ, non gladio, ignis divinitatis accidentia illæsa relinquit & demolitur substantiam. *Humilitas Christi in Eucharistia.*

Panis multarum specierum.

XV.

EST in Ezech. cap. 4. panis, qui de multis, & diversis efficitur speciebus: *Et tu*, inquit, *sume tibi frumentum, & hordeum, & fabam, & lentem, & millium, & viciam, & mittes eas in vas unum, & facies tibi panes.* Miratur, & iure miratur Petrus Cell. lib. de panib. cap. 18. iniunctum esse Prophetæ, ut panes conficiat, non solum ex frumento, & hordeo, sed etiam ex faba, lente, millio, & vicia, de quibus non panes, sed pulmenta sibi homines faciunt. Cum Dominus iusserit omnia in vas unum immitti arbitratur Cellens. hoc esse quod in Ecclesiæ symbolum ostensum est Petro, in cuius vasis amplitudine continentur diversæ species hominum, confluentium in unum corpus: *unum corpus multi sumus in Christo, singuli autem alterius membra.* Adhuc hoc ipsum expressius declarat Apost.: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum cor-* 1. Cor. 10. 17.

 pus

pus multi sumus omnes, qui & de uno pane participamus. Quia participamus de uno pane fideles omnes, conditione, linguis, & moribus discrepantes, componimus unum panem, & ut hunc ostenderet Deus Ezechieli, mandavit, ut ex tam discrepantibus speciebus conficeret unum panem.

Pro plenaria dictorum intelligentia scire oportet, quidnam innuant omnes species ex eiusdem Auctoris sententia. *Cùm Creatorem adorat quis in spiritu, & veritate, habet frumentum, cum pro temporalibus servit Deo: hordeum cum de divitiis suis, sive gloria, sive scientia sæculari gloriatur fabam; cum gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem hominis corruptibilis commutando hebetatur; lenticulam; cum supra quam decet subtilia de Deo investigando evanescit, millium: cum non intelligendo, se ad imaginem Dei factum, iumentis insipientibus comparatur; viciam, sive auenam*. Omnia hæc, si suis naturis relinquantur, sapiunt, quæ diximus, sed virtute cælestis panis referunt panem suavissimum. Frumentum, quod ante solum Deum colebat, iam colit Deum, & hominem, quia participat de pane, ubi Deus, & homo continetur. Hordeum, quod pro temporalibus serviebat Deo, pro vitæ æternæ mercede famulatur, quia communicat de pane, quod æternæ vitę, & felicitatis pignus est. Faba, quæ de divitijs, gloria, sive scientia superbiebat, gloriatur solum in Domino, quem humilem manducat in hoc Sacramento. Lenticula, quæ gloriam, & honorem Dei in similitudinem hominis commutando hebetabatur, melius iam sapit, quia particeps fit huius mysterij, ubi summus divinę majestatis cultus reperitur. Millium, quod subtilia de Deo tractando nimis evanescebat, in simplicitate procedit, quia manducat panem, quem in simplicitate cordis tota manducat Ecclesia. Denique vicia, & avena, quæ a primęva sua gloria degeneravit, ad pristinum honorem regreditur, quia participat de pane, qui sibi, & Deo similes homines reddit: *Sicut misit me vivens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me*. Hoc autem panis miraculum in solido, candido, & amplo Ecclesiæ vase patratur, nam extra Ecclesiam frumentum a se degenerat, quia nescit Christum, & cæteræ species ad pristinam naturam redeunt, ut videre licet in hæreticis, quorum misera conditio convenit cum hordeo, lente, millio, & vicia, quam descripsimus. Tu vero, qui de corpore Ecclesię es & pertines ad unum panem, cave ne vitæ factis, & moribus ab officio deficias. Quid igitur, Respondeat Cellens. Non superbiat frumentum de nobilitate generis: non desperet hordeum de grossitudine ignobilitatis; non infletur faba vento elationis: non elevet oculos, ut palpet in meridie lenticula terrenæ habitationis: non elevetur super se millium ingeniosę præsumptionis, non computrescat in corpore suo avena ultimę extremitatis. Si de stirpe Patriarcharum frumentum es, noli extolli? Quod si extolleris *non tu radicem* unitatis & gratiæ *portas, sed radix te. Si comparatus iumentis insipientibus*, hordeum es, non deijciaris, quia benignus est Spiritus Sapientiæ, & novit ferrum tollere de terra, & in argētum commutare, & humilem de stercore erigere, & cum principibus collocare. Si fama, & nobilitate carnis vel sensu carnis inflatus, detumesce & præsepis, & crucis Iesu recordare. Si lenticula es, propter quam Esau perdidit primogenita sua, visum fidei propter inanem philosophiam amittens, clama ad Iesum dicens: *Iesu præceptor miserere mei*, quia *lumen oculorum non est mecum*. Si millium es nimia ingenij tui præsumptione, plus quam iustum sit, elatus incurvare, & adora summitatem virgę Ioseph adorans, non discutiens Sacramentum Incarnationis eius, quia factus

Cultus divinus pendet ex Eucharistia.

Ps. 6. 58.

Rom. 11. 18.

Luc. 17. 3. Ps. 73. 11.

ctus est pro te, qui fecit te, ut reficeret te. Si vicia es, apprehende bonitatem, & scientiam, & disciplinam de lege Dei.

Panis communis.

COncionatus Christus est Pontificibus, Scribis, & Pharisæis, cum tamen promulgaturus esset mysterium Eucharistiæ, habuit sermonē ad turbas: *Dixit Iesus turbis Iudæorum. Caro mea vere est cibus.* Priora illa verba, *dixit Iesus turbis Iudæorum,* ex permissis accipit sancta mater Ecclesia, & monet, quales fuerint, & cuius conditionis primi sacrorum mysteriorum auditores. Etenim Rex noster alius est ab illo Monarcha, qui primores, & dynastas invitavit ad convivium, ut magnam potentiam suā & opulentiam iactaret. Non iactat potentiam, quamvis summa potentia vtatur, ut Sacramentum conficiat: non ostentat divitias, licet infinitos sapientiæ, & scientiæ suę thesauros in Eucharistia reponat. Parabat pro plebe convivium, & tamquam unus de plebe se gerebat. Communis sacri convivij panis est, de quo omnes participamus, & communicamus, & simul plebeius, qui turbis Iudęorum promittitur, & plebeijs hominibus in prima sui institutione porrigitur. In hac mensa Sapientiæ non est sedium prælatio, non est locorum distinctio, nec est personarum acceptio. Quisquis communicaturus accedit, licet Imperator & Rex sit, tanquam unus de medio populo, dignitatem non curat hoc Sacramentum, sed puritatem. Pro rei confirmatione sit nobis argumento historia Davidis 1. Reg. c. 21. *Venit autem David in Nobe ad Achimelech Sacerdotem, & obstupuit Achimelech eo quod venisset David. Et dixit ei. Quare tu solus, & nullus est tecum?* Omittamus responsum, & notemus, quid acciderit. Dixit David ad Achimelech: *Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi, aut quidquid inveneris. Et respondens Sacerdos ad David ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum, si mundi sunt pueri maximè a mulieribus. Et respondit David Sacerdoti: & dixit ei: Equidem si de mulieribus agitur; continuimus nos ab heri, & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta: porro hæc via polluta est, sed ipsa hodiè sanctificabitur in vasis. Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem.* Cui dedit? Dedit viro magno, qui veniebat solus tamquam unus de plebe. Cui dedit? Dedit Sacerdos sanctificatum panem inclyto Davidi, in quo non dignitas quærebatur, sed puritas requirebatur, & inveniebatur. Præcessit revera in umbra, quod in Eucharistia futurum erat, quod cum Eucharistia ex pane conficiatur communi, gaudet esse communis, nec tamen propterea opus conditoris desinit esse illustre, nam ut Philo. lib. *quis divinar. rerum hæres sit,* inquit, *Laudati artifices siue pretiosas materias, sive viles accipiant, ipsi non parcè insumunt operam, nec defuerunt, qui affectatè ostenderunt artem in vilibus contendentes cum pretiosis operibus arte supplentes, quod materia deerat.*

XVI.

Ioa. 6. 56

Procul ab Eucharistia iactantia.

Panis sanctificatus & Sacerdotalis.

QUis neget sanctificatum, & sacerdotalem panem Eucharistiā esse, cum eā Christus benedixerit, & sanctificaverit, & primis omnium Apostolis largitus sit? Priusquam illam ederent, præcipit Redemptor, *Hoc facite in meam commemorationē.* quæ quidem diriguntur ad Sacerdotes, quos tunc temporis constituebat, *uti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit:* sic enim decretum est in Concil. Trid. ss. 22. c. 1. Erat panis Christus in Incarnatione: *Hic est panis, qui de cælo descendit,* in matris vtero XVIII.

san-

Io. 6. 59. ſanctificabatur: *ideoque & quod naſcetur ex te, ſanctum vocabitur, filius Dei.*
Luc. 1. 35 Panis Sacerdotalis erat, quoniam deſumpſit carnem de Virgine, cognata Eliſabethę, quæ erat uxor magni Zachariæ. Novimus regio, & ſacerdotali genere nobilitatam Mariam, quę panem de cælo deſcendentem accipit prima. Licet fæmina Maria eſſet, ut pro dignitate panem ac-
Luc. 1. 38 ciperet, elevata in ordinem Sacerdotum, dicit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, nobiſque pręſtitit quod ſermone conſecratorio noſtri Sacerdotes efficiunt, Unde S. Epiph. Hom. de Marię laudibus vocat eam *Sacerdotem pariter, & altare.* Quia vero ſancta Virgo de regali ſtirpe erat, quæ panem conficiebat, opus erat, ut primitias novæ legis Sacerdotibus appenderet.

Maria pendit tributa Sacerdotibus.

Præcipit lex, Philo ait lib. de præmijs Sacerdot. *ut quotieſcunque panis a piſtoribus fermentatur, ac ſubigitur, totius primitiæ ſeparentur in uſum Sacerdotum: atque etiam hoc pacto etiam offerentium pietati proſpicitur. Dum enim aſſueſcunt ſemper alimenti partem Deo decidere, nunquam in eius oblivionem veniunt, quare nihil in vita poteſt contingere felicius homini. Cum autem hæc gens plurimum abundet numero virorum, neceſſe eſt primitias afferre in magnam copiam, ut nemo Sacerdos tam pauper ſit, quam dives videatur.* Cum in domo Virginis regiæ cæleſtis panis pinſeretur, primitiæ reſervatæ ſunt Sacerdotibus, quas tunc primum ſolvit in templo, quando Simeon Sacerdos accepit in ulnas infantem, ſed & modo pendit primitias, quando nouæ legis miniſtri in Euchariſtia panem accipiunt. Quanta dignitas, & honor Sacerdotalis eſt, ut Virgo ſit tributaria Sacerdotum! ſumma copia, & abundantia huius panis eſt apud matrem Dei, quę ſolvit primitias: ideo nullus Sacerdos pauper & egenus eſt, quin potius omnes ex hac ſolũ penſione ſunt divites, & opulẽti.

Panis coctus in clibano.

XIX. LEx erat de pane clibani, ſartaginis, & craticulæ promulgata. Levit. cap. 7. *Omne ſacrificium ſimila, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel in ſartagine præparatur, erit Sacerdotis, a quo offertur.* Agimus nunc de pane, qui coquitur in clibano, acturi poſtea de ſimila craticulę, & ſartaginis. De clibani pane philoſophatur optimè lib. de pane cap. 21. Petrus Cell cuius hæc maiori ex parte Annotatio futura erit: nos autem pro noſtro inſtituto pauca ſubiungemus. Tria quędam exponenda ſunt, quis ſit clibanus, quis panis, & quo igne, vel clibano ſuccendatur, ut panis decoquatur. *Clibanus vterus eſt virginalis, ignis gratia ſancti Spiritus, panis, Incarnatio filij Dei:* A nobis eſt Virgo, a ſumma Trinitate Spiritus ſancti obumbratio, ab utraque partium, tam Patris ſcilicet, quam Virginis Filij generatio. Virgo igitur Virginum clibanus eſt ad panem ſuſcipiendum, vel concipiendum, non conſumendum, vel vrendum: Ignem enim vrentem nunquam admiſit, quæ carnis concupiſcentiam non ſenſit. Ignem fumantem non ſuſcepit, quæ non concepit iniquitatem. Ignem conſumentem non novit, quę rorem de cęlis in corde, & ventre pleniſſimè accepit. Adſtat Ioſeph clibano, flammam gravidati vteri videns, ſed ignem imprægnantis cuiuſmodi ſit non intelligens. Panem quis intromiſerit, obſtupeſcit: cum ſigna virginitatis undique clauſa, & illibata ſolicitè ſatagens reperit. Januis clauſis perſentit panem Angelorum in clibano incepiſſe, iam decoqui, ſed quomodo, miratur; & quis ſine via apertionis intulerit. Pauca dictis ſubiungamus, inſtar huius clibani virginalis pius Euchariſtiæ eſſe docet communicator, ut pura panem mente percipiat, ut

deco-

ctus in corde cibus proficiat. Cum accipis cibum materialem, & in stomachum mittis, non solum decoquitur, sed uritur calore stomachi, & illum consumis: at cum in clibano collocas panem, non uritur, nec consumitur. Divinus cum capitur panis, non est in stomacho tanquam in stomacho, cum non uratur nec consumatur, ut in capientis convertatur substantiam, sed est in pectore nostro velut in accensa fornace, qui decoquitur in animæ salutem, ubi totus integer & illæsus manet, ac perseverat: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Hæc de clibano. Io. 6. 57.

Veniamus ad ignem clibani virginalis, Spiritum sanctum. Hic ignis fornacem illam illustravit, & confirmavit, panem coxit & confortavit: sed nullo modo deseruit, dum ab eo, & a Patre semper procedens, in eo ab ipsa conceptione totus interminabiliter requievit. *A calore adhuc huius ignis tam odorem, quam saporem suum panis iste mutuavit; adeò ut si ignem gratiæ senseris, quasi pane fidei gustato reficiantur animæ viscera; Et rursum. Si panem humilitatis sumpseris, recalescant, velut si ignem tetigerint interiora sua. Suavissimus odor tam ignis, quam panis, unus & indifferens corruptiones quasque huius aeris, malitia principum tenebrarum harum infecti, non dissimiliter medicatur.* Si fide percipias, invenies, quomodo panis hic sanctum Spiritum referat, cũ sit totus ignis: S. Ephræm Tract. de natura Dei non curiosè scrutanda. *Participa immaculatum corpus,* inquit, *& sanguinem Domini tui fide plenissima certus, quod agnum ipsum integrè comedes. Ignis immortalis sunt mysteria Christi: cave ne temere scruteris, ac ne in ipsorum participatione comburaris.* Spiritus quidem sanctus in Eucharistia panem sapit, & olet, percipit Ecclesia, & exclamat: *O quam suavis est Domine, Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane de cælo præstito esurientes reples bonis.* *Eucharistia et Spiritus sancti consonantia.*

Post clibanum, & ignem restat inspiciendus panis, qui de cęlo descendit. Descendit in clibanum igne sancti Spiritus incensum, & apparuit cãdidus & rubicundus, candidus, quia candor erat lucis ęternæ, rubicundus, quia Verbum factum est caro. Panis exterius rubet, & candidat interius, rubor apparet, & candor absconditur, sed non ita absconditur, quin & panis candor in rubicundo cortice fulgeat. *Verè tu es Deus absconditus,* sed quia panis es in carnis rubore, velut in cortice divinitas micat. Hic idem panis latet in altaris mysterio, sed non ita latet, quin etiam seipsum indicet: panis est, qui de se loquitur, dum ait: *Hoc est enim corpus meum.* Panis fuerat in Virginis clibano, & renovatur in nobis, fornacem postulat, & fornacem accensum, unde Damasc. lib. de Fide, *Accedamus,* ait, *desiderio ardenti manus in crucis modum formantes, Crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes oculos & labia, & frontem divinum carbonem suscipiamus, & ignis in nobis desiderio eo ex carbone ignitione comburat peccata nostra, & participatione divini ignis igniamur.* Fornax, & clibanus, qui concepit calorem, & ignem, ut panem decoqueret, non solum ab igne, sed etiam ab ignito pane flagrat, & ardet. Ardebat ab igne Spiritus sancti Maria, quæ per panem flagrabat, quem gestabat in utero: accendamur ergo & nos amore Spiritus sancti, capiamus panem, a quo similiter inflammemur. Isai. 45. 15.

Panis

Panis frixus in sartagine.

XX. PAnis nonnunquam in sartagine torrebatur, quemadmodum constat ex lege Levit. quam nuper allegavimus; & videre oportet, quidnam sit illa sartago. Idem Cell. cap. 22. *Crux* Iesu, inquit, *sartago ferrea est.*

Crux & Eucharistia.

Sartago illa prius impinguabatur oleo, ne litam laganam consumeret, sed coqueret utiliter. Attende igitur supercrescens & effervens oleum Dominicæ crucis, vel sartaginis. Pungebatur, impinguebatur, cruentabatur, crucifigebatur, flagellabatur, conspuebatur simila carnis Redemptoris in sartagine Crucis, & quid ebulliebat, nisi verbum patientiæ tanquam oleũ olivæ. Quó enim acrius fremebat Iudęorum, quasi carbonum sæviens flamma, eó abundantius respergebat adstantes bullientis olei unda. Aspice denique undam resilientem de sartagine, non præ impatientis murmure, sed prę amantis desiderio. *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciũt.*

Luc. 23. 34. Torrebatur in oleo, torrebatur in sartagine, & ideo satis opportunè modulatur Ecclesia: *Ad cænam Agni providi, & stolis albis candidi, post transitum maris Rubri, Christo canamus Principi, cuius corpus sanctissimum, in ara crucis torridum. Cruore eius roseo, Gustando vivimus Deo.* Non solum Ecclesia sancta nos invitat ad sanctissimi torridi corporis contemplationem, sed ad eius cęnam, & epulum, nam ideo torretur in cruce, ut gustemus sacram in altari similam, cuius virtute vitam cælestem transigamus. Cum in altari consecratur panis cęlestis, præceptum est, ne crux in illo deficiat, ut totum hoc crucis esse mysterium censeatur. Ne quis autem arbitretur oleũ in Eucharistia desiderari, vox eiusdem Ecclesiæ est: *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus:* pinguis scilicet propter oleum patientiæ, ac misericordię, quod in eo redundat, unde S. Isaac cum in benedictione Iacob hæc mysteria describere vellet, precatur, ut de rore cæli, & *de pingue-*

Gen. 27. 28. *dine terræ* copiam Eucharistici frumenti, & vini possideat. Cum autem

1. Cor. 10 17. omnes, qui de hoc pane participamus, secundum Apost, simus *unus panis,* ne desit in nobis oleum misericordiæ, prævenit nos idem Paulus & ait:

Heb. 13. 16 *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostijs promeretur Deus:* tunc temporis promerebitur, quando sicut novellę olivarum Ecclesiæ filij sint in circuitu mensæ Domini, pietatisque ac misericordiæ instar olivarum producant opera.

Panis assus in craticula.

XXI. COnstat ex relata constitutione Levitici coctum esse panem in clibano, frixum in sartagine, & assum in craticula: quæ tria, quatenus referuntur ad Christum, clibanus nativitati, sartago passioni, *Craticula morti Christi* aptantur, ut uno verbo monuit Cellens. Cum superponebatur panis craticulę, craticula erat perforata, panis, & calor aderant. Cum moritur Christus multis plagis, ac vulneribus totus perforabatur: e-

Ier. 11. 19 rat panis in craticula: *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viventium:* erat calor magnus ex amore, & charitate profectus, siquidem non ex peccato, nec ex necessitate, sed ex mera erga nos dilectione moriebatur. Hoc annunciamus in altaris Sacramento, annunciamus qua-

1. Cor. 11 26 lis craticula fuerit, qualis panis, & ignis: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Habes

bes quidem in Eucharistia craticulæ foramina, habes vulnera Christi, quæ tibi repræsentantur, ut instar boni canis lambere queas. Spectaculum, o Christe bone, factus es etiam nunc mundo, & Angelis, & hominibus, & tam Angeli, quam homines tua vulnera meditantur. *Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Lingua hominum; *lingua canum tuorum*, non tam id rogat, quam lambit in communione pretiosissima vulnera tua. Habes in hoc venerando Sacramento panem assum in craticula, qui tollit peccata mundi, cuius typus erat agnus, quem assum manducari lex iubebat. Quod si nobis in Sacramento, assus agnus comedendus proponitur, consequenter nobis iniungitur, ut ad eius epulas veniamus habentes crucis baculum, castitatis cingulum, humilitatis calceos, mortificationem Christi in corpore nostro circumferentes. Habes etiam in hoc venerabili mysterio calorem & ignem, quo panis assatur, cum discessurus Christus ad Patrem in Eucharistia divitias & opes divini sui amoris velut effuderit. Historia autem Pliniana est illa lib. 18. cap. 2. *Numa instituit deos fruge colere. & mola salsa supplicare, atque (ut auctor est & Hemina) farre torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset.* Dæmon vel ab eo tempore pani Christi asso invidebat. Zac. 13. 6

Oportebat, vt Martyrum Rex quasi panis in craticula esset, cum moreretur, ut præiret exemplo Martyres, sed præcipue maximum Levitam Laurentium, qui panis instar erat torrendus, & assandus in craticula. Contemplatus est Laurentius panem assum in morte, tractavit sæpe, ac divisit fidelibus in Eucharistia, novit, quem imitari deberet, didicit assari, didicit in craticula torreri, immo & seipsum in cibum communicare: siquidem ad impium tyrannum dixit; *Assatum est, versa, & manduca.* Huc accedit Hieronym. in Psalm. 43. *Sicut Dominus tanquam ouis ad occisionem ductus datus est esca populis, cum dicit Ioann. cap. 6. Nisi manducaveritis carnem filij hominis: ita & sancti in multis tribulationibus dati facti sunt pabulum Gentibus.* Pabulum se ostendebat Laurentius in craticula, & uni dicebat Decio: *Assatum est, versa, & manduca*, sed Christus Dominus in Sacramento suo non impio tyranno, sed pio populo suo clamat: *Assatum est, versa, manduca*: Assus fui panis in mortis craticula, versa, ac repete corpus meum in Eucharistia, proderit, proficiet, manduca. Addiderim ex S. Thoma Opusc. 58. cap. 21. qui cum recitasset illud Levit. cap. 2. *Si de craticula fuerit oblatio simila conspersa oleo, tollet memoriale de ipso, & adolebit super altare in odorem suavitatis Domino.* Explicat in hunc modum. *Panis in craticula coctus & oblatus, & aspersus oleo Christus in Cruce pro nobis passus, & totus tostus Spiritu sancto, huius sacrificij memoriale est hostia, quæ offert in memoriam passionis Dominicæ.*

Didicit assari Laurentius ex Eucharistia.

Panis inunctus oleo.

Cum panis Christus sit, qui de cælo descenderit, negare non possumus, quin sit oleo divinitatis inunctus: *Vnxit te* (inquit Psalmista) *Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Petrus quoque in Actibus Apostolorum ait: *Vnxit eum Deus in Spiritu sancto.* Quia tanta copia & abundantia olei fuerat communicata Christo, nomen accepit ab illo: Cantic. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* Quidem oleum lætitiæ, quo erat inunctus, effudit, & statim diffundebat, XXII.

in Matrem : *Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.* In utero materno erat, & inde oleum, & lætitiam effudit in Ioannem, ut eum ungeret Sacerdotem suum, & simul exhilararet: *Exultavit infans præ gaudio in utero meo.* Luc. 1. 47. Negare non possumus Eucharisticum panem inunctum esse oleo lętitiæ, cũ ibi Divinitas verbi resideat, & efficiat lætitiam, & exultationem in ijs, qui pro dignitate communicant. Iust. Sermon. de Eucharist. concionatur hoc magnum esse Spiritus sancti testimonium, quo sacrorum mysteriorum veritas comprobatur; *Spiritus sancti testimonium vis nosse? Lege cap. 2. act. sic enim habes: quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo & frangentes circa domos panes sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis: Experientia igitur devotionis sancta, & exultatio Spiritus, quæ in Sacramenti huius perceptione gustatur, notissimum almi Spiritus noscitur esse testimonium.*

Panis inunctus oleo Spiritus sancti est Eucharistia.

Sacratus hic panis imbutus oleo cupit adhuc oleo conspergi; conspergitur autem ab ijs, qui sacri panis communionem ornant oleo misericordiæ: *Frange esurienti panem tuum*, ut panis ornetur a pane, & oleum decoretur ab oleo. Conspergitur etiam oleo, cum panem inunctum divinitate credimus, & confitemur, & cum B. Petro testificamur: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Conspergé subcineritium panem humilitatis cinere, & hominem confitere, sed simul unguento divinitatis imbutum, ut non solum hominem, sed Deum simul esse credas corde, & ore fatearis. Felices Martyres, qui & hoc mysterium proprio sanguine consperserunt, si sanguine non possumus, conspergamus saltem lachrymis, quibus devotionis oleum misceamus & pietate, ac devotione panis Eucharistię conspersus sibi consecret animas.

Isai. 58. 7.

Matth. 16 17.

Panis frigidus & calidus.

XXIII. *Calida & frigida est Eucharistia.*

CONtra carnis incendium, & flammas concupiscentiæ necessarium frigus est, & contra teporem animarum necessarius est fervidus calor. Providit autem divina Sapientia de pane, cuius vis in eo sita est, ut ardorem in corpore extinguat, & excitet in corde fervorem. Missi in fornacem sunt tres iuvenes, quos intactos ignis reliquit; cum enim supra fornacem misisset Deus è cælo rorem, totum deferbuit incendium. Noster animus dum corpori adhæret, tot flammas, quot appetentias, & cupiditates patitur, ac in media fornace moratur, quid remedij ne lædat ignis, & defervescat ardor accensus? De superis ros cęlestis descendat: Hoc epulum Sapientiæ est. *Hic est panis, qui de cælo descendit,* totus roridus est, & ideo de rore cæli panem hunc deprecatus est Isaacus filio, & cæleste illud manna descendebat per modum roris, ut ros Eucharistiæ describeretur. Nec dubium quin ros iste cælestis flammas concupiscentiæ reddat enerues, & inermes. Credo Cyrillo lib. 4. in Ioann. cap. 17. *Sedat, cum in nobis maneat, Christus sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.* Credo Bernardin. Sermon. 1. in cæna Domin. *Si quis vestrum non tam sæpè modo acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, aut cæterorum huiusmodi; gratias agat, corpori, & sanguini Domini: quoniam virtus Domini operatur in eo.* Novit Deus ex christallo Sacræ Eucharistiæ buccellas conficere, in quarum præsentia nec ignis nec calor consistant: *Mittet christallum suum sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit?* Ante

Ioã. 6 54.

Ante buccellas sacramentales ardor concupiscentiæ, immo nec ipsius gehennæ poterit sustinere?

Cum sit instar frigidi panis ad consopiendum ignis ardorem, calidus etiam est ad excitandum in corde fervorem: est enim panis cor hominis confirmans. Confirmavit iam olim vel huius calidi panis umbra S. Eliam: cum enim dormitaret præ tędio, peteretque animæ suę, ut moreretur, calidum accepit panem, revixit, ac vires resumpsit, & in fortitudine cibi totus fortis, & robustus usque ad divinum montem progressus est. Mutatus est in alterum virum, qui solam figuram accepit: qui veritatem corporis sumit, necesse est, ut fortior, ac robustior reddatur, & infirmus, alius a se ipso fiat: *Huius sumptione* Iustinian. ait Serm. de Euch. *efficitur homo alius, non per naturam, sed gratiam.* Alius à se ipso erat Ionathas, cum gustàverat mellis fauum, siquidem post eius degustationem totus animosus irruit in acies hostiles, ac mirabilem de illis triumphum reportavit, homo se hominem infirmum, ac debilem experitur, gustatque hoc mel suavissimum ac calidissimum de Christi petra, ac infirmitatis prioris oblitus, animose aggreditur hostem, cum eo confligit, & gloriosus victor comparat sibi triumphum.

Retulimus varias ac diversas panum species, quas memorat Petrus Abbas Cellens. lib. de panibus, & accommodat in varios usus: nos autem omnes illas reduximus ad Eucharistiam, ut sciamus quam varius ac diversus sit panis, quem nobis in mensa Sapientia proponit. Ex quibus cellarijs Petrus Cellensis tantam varietatem panum deduxerit, cap. 2. declarat his verbis: *De agro ventris Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, tanquam de acervo tritici vallato lilijs viginti quatuor panes ad compescendam omnem famem, ad sanandam omnem pestem, & ad removendum omnem languorum collegi.* Colligere etiam potuisset ex eodem Christi agro varium, & multiplex vinum, ad cuius potum nos etiam inuitat Sapientia.

BIBITE VINVM, quod miscui vobis.

DE *Potu Sapientiæ Eucharistico.*

ECTE monet Philo lib. de Plantat. Noe prope finem, quod *Sapientia non est res dura, & tetrica, devincta cogitationibus tristibus, sed perpetua tranquillitate hilaris, plena gaudio lititiaque.* Elicit rē hanc vel ex eo maxime, quod vinum noverit propinare, cuius usus valde diversus est pro conditione potantium: vino enim *relaxatur insipientium ratio, ad peccandum licentius: sapientium verò ad fruendum tranquillitate hilaritateque: fit enim vir sapiens vino maceratus se ipso suavior.* Iuxta conditionem suam invitat nos Sapientia Patris læta & hilaris ad vinum pretiosum, ac generosum, quod miscuit, *deditque tristibus sanguinis poculum.* Vini nomine sanguinem suum pretiosum indicavit: est enim vinum sanguis vuæ, quemadmodum Iacob in Iudæ benedictione præmonstravit: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Explicat hunc locum Ambros. lib de benedict. Patriarch. c. 4. *Bona stola est*, inquit, *caro Christi, quæ omnium peccata operuit, omnium delicta* I.

 suscepit,

suscepit, omnium errores texit. Bona stola, quæ vniuersos induit veste iucunditatis. Lavit hanc stolam in vino, quando cum baptizaretur in Iordane, descendit Spiritus sanctus sicut columba, & mansit super eum. Si placeat obiter nosse, quare Iordanis aqua vini nomine declaretur, respondendum arbitror baptismum Christi typum alterius fuisse, qui cruentus futurus erat in Cruce,
Luc. 12. 50 iuxta illud: *Baptismo habeo baptizari?* baptismo nimirum sanguinis, de quo hæc verba intelligenda sunt, *& in sanguine uvæ pallium suum,* Addit Ambros. *Benè uvam dixit, quia sicut vua pependit in ligno. Ipse est vitis, ipse uva. Vitis ligno adhærens. Vva, quia lancea militis apertum latus emisit aquam, & sanguinem: sic enim dixit Ioannes: quia exivit sanguis, & aqua; aqua ad lavacrum,
Io. 19. sanguis ad pretium; aqua nos abluit, sanguis nos redemit.*

Christus Dominus est simul vitis & uva, quæ vinum fundit, non solum in passione sua, sed etiam in Eucharistia. Uva quidem, dum in torculari calcatur, vel dum manibus tractatur, in mustum solvitur. Christus Dominus passionis tempore, cum torqueretur, in torculari erat, & san-
Isai. 63. 2. guinem fundebat: *Torcular calcavi solus.* Similiter etiam postquam cęnatum est, accepit calicem in sanctas, & mirabiles manus suas, manibus tractabatur uva, & sanguinem qnoque dabat ad verborum prolationem: *Hic
Isai. 53. 7. est calix sanguinis mei.* Cum in torculari Crucis erat, *oblatus est, quia ipse voluit,* ideo racemus ille divinus sui ipsius calcator erat: botrus communis, qui calcatur ab homine, non tam sponte sua vinum largitur, quam ab eo extorqueatur: Non extorquetur a Christo, cum sit ipse sibi racemus, & seipsum in torculari calcaverit. Similiter etiam cum uva manibus alienis exprimitur, patitur necessariò violentiam: ut autem sciamus nullam vim esse, nullam violentiam, cum sanguis in altari libatur, seipsum Christus, qui botrus est de vineis cęlestibus, exprimit, unde cum Sacerdos calicem accipit, ut in eo sanguis fundatur, manibus potius Christi, quam suis vtitur, ait. *Similiter postquam cænatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas, ac venerabiles manus suas benedixit, &c.* Promissionibus igitur suis Chri-
Ps. 53. 8. stus stetit: pollicitus enim erat Patri, *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine.*

Sacrificiũ voluntariũ Eucharistia. Cum voluntariè se offerret Sapientia Patris, non erat res dura, & tetrica, devincta cogitationibus tristibus, sed perpetua tranquillitate hilaris, plena gaudio & lætitia. Siquidem Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, nobis omnibus vinum, & in vino suum proprium sanguinem propinavit. Si quis autem biberet calicem Domini indignè, vinum sumit, quo relaxatur insipiens ratio ad peccandum licentius. Ad omne malum licentiosa conscientia redditur, quæ ausu temerario semel sanguinem filij Dei conculcaverit. At verò divini calicis haustu sapientium animus relaxatur ad fruitionem cum magna tranquillitate, & hilaritate coniunctam: fit enim vir sapiens, hoc vino maceratus, seipso suavior. Certum hoc assumptum est, & confirmandum exemplo sapientis Isaaci, qui tunc temporis maius dulcedinis, ac suavitatis suæ dedit indicium, cum vinum hausit, quod sibi a Iacobo filio præbeba-
Gen. 27. 26. tur: *Obtulit ei etiam vinum, quo hausto, dixit ad eum: Accede ad mi, & da mihi osculum, fili mi.* Cæcus erat, non videbat quisnam esset, qui cibos, & vinum porrigeret, nec cernebat epulum, & poculum, quod sibi proponebatur, repræsentatio hæc erat mysteriorum, ubi Christus nobis porrigit Eucharistiam, & non cernitur, præbet corpus, & sanguinem suum, & tamẽ sub aspectum minime cadunt. Cadunt autẽ sub aspe-

aspectum fidei, cuius oculis orbatus erat Isaacus, & perspicaci visu iam contemplabatur, immo sentiebat, quid commodi & utilitatis, quid lætitiæ & hilaritatis futurum esset Ecclesię, cum reficeretur hoc cibo, & generoso vino recrearetur. Bonus quidem Isaacus, sed multò melior Christus, qui macerabatur in vino sanguinis sui, dum pateretur, & reddebatur in Cruce suavior ac dulcior. Dulcis erat ac suavis ante Crucem amicis & inimicis, sed tunc dulcior ac suavior, cum è ligno penderet, & cruore se suo inebriaret: dulcior matri, *Mulier ecce filius tuus*. Dulcior Ioanni: *Ecce mater tua*: suavior diris tortoribus: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*: suavior latroni. *Hodie mecum eris in paradiso*. Dulcior & suavior extitit omnibus, cum in extremo halitu, *inclinato capite, emisit spiritum*: omnibus enim inclinati capitis ritu simul obtulit, instar Isaaci osculum petijt, omnibus, & singulis ait: *Accede ad me, & da mihi osculum*. Hoc efficit in Cruce pretiosi sanguinis vinum, quod efficit in Eucharistia.

Io. 19. 27. Luc. 23. 24. Ioa. 19. 30

Sumitur in mensa Sapientiæ, vinum de vite.

II. Ministratur in hac mensa non fictitium neque ficitium vinum, sed verum, & naturale, quale de vite depromitur, & exprimitur. Consecravit Christus in hoc vino, quemadmodum liquet ex testimonio, & oraculo veritatis evangelicæ: facta enim consecratione dixit Veritas. *Non bibam a modo de hoc genimine vitis*, quibus verbis allusit ad vinum de vite, quod in pretiosum sanguinem suum commutauerat. Unde in Cōcilio Aurelian. 4. cap. 4. definitum est vinum esse necessarium pro consecratione, quod ex fructu vineæ nascitur; & in Concilio Florent. Eug. 4. in Decreto fidei vinum de vite debitam materiam Dominici calicis esse decernit. Christus Dominus ex fructibus suis cognoscitur in Eucharistia. Comparavit se grano frumenti. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*: contulit quoque seipsum cum vite: *Ego sum vitis, vos palmites*. Fructus frumenti panis triticeus est, & vinum est vitis proventus: & ad hoc, ut in utroque fructu cognoscatur Christus, in pane de tritico, & vino de vite consecratio peragitur. Hæc vitis, quæ vertit in calicem vinum, suipsius dedit indicium in illa, quam vidit in somnis primarius Pharaonis pincerna Genes. cap. 40. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere, calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni*. Mirabilis hęc vitis est, quæ sine temporis mora producit propagines, & gemmas, ornatur floribus, decoratur uvis, ex quibus exprimitur mustum, & ubi primum expressum est, datur in potum Regibus. Vidit ille somnium, nos quidem veritatem cernimus, vitem Christum, & in eo tres propagines, tres nimirum substantias, corpus, animam, divinitatem; crescere quidem in gemmas veritatis, & gratiæ: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis*. Post gemmas vitis floruit in Resurrectione: *refloruit caro mea*: post flores statim uvę de altitudine vitis appensæ, cum Christus in altum ascendit, inde exprimitur vinum, quod æterno Patri libatur, & quoties offertur, Christus, qui vitis est, non in somnis, sed veritate simul cernitur cum propagine, gēmis, floribus, fructibus, & sanguinis vino. Hæc vitis, quæ loquitur apud Ecclesiasticum c. 24. *Ego sicut vitis fructificavi suavitatem odoris, & fructus mei flores honoris, & honestatis*.

Mat. 26. 29

Ex fructibus Eucharistia Christus cognoscitur.

Io. 12. 24. Io. 15. 5

Io. 1. 14. Psa. 27. 7.

Vitis illa, quam vidit, dum somniaret Pharaonis pincerna, fructus, & flores honoris humani, ac mundani ferebat, quia terrenus honor erat, per somnium non incongruè repræsentabatur, ut monet Ambros. lib. de Ioseph Patriarcha cap. 6. *De isto prius dicamus, qui sibi beatus videbatur, cum esset vini præpositus: & hunc summum credebat apicem omnis potentiæ, quod Regi calicem dabat. Hæc gloria illius, hæc magnificentia in hoc sæculo: hac defraudatus dolebat, huic redditus gratulabatur. Sed hoc somnium est, & omnis potentia sæculi somnium, non veritas est.* Veritas non in illa, sed in nostra vite est, cuius fructus veri & magni honoris sunt, divinus pincerna, qui vinum de vite consecrat, & summo Dei offert. Hæc gloria Sacerdotis est, hæc singularis ministri cælestis magnificentia. Addit Ambros. ex Isaia. cap. 29. somniantibus esse similes, qui prosperis, ac secundis rerum humanarum eventibus gloriantur. Concludit tandem: *Sicut, qui in somnis manducat & bibit, videtur sibi cibo, & potu, dum dormit, repleri, sed cum evigilaverit, incipit esurire amplius, & tunc intelligit, quam inanis ille cibus, & potus fuerit somniantis: sic qui dormit in hoc sæculo, nec oculos aperit ad mysteria divina, quandiu somno gravatur corporis, putat alicuius momenti esse hanc sæcularem potentiam. Quasi in somnis eã videt: ubi evigilaverit, deprehendit quam inanis huius sæculi voluptas sit.* Non est somniantium, non est dormientium cibus, & potus Sapientiæ, cum impleat accipientem, & ita repleat, ut in perpetuum famem auferat, ac sitim extinguat, si cum fide debita suscipiatur: *Ego sum panis vitæ,* Dominus ait, *qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet.* Non est igitur panis, nec potus inanis, quem solet fingere somnium, verus cibus est & verus potus, quia de vera nascitur vite: *Ego sum vitis vera,* longè diversa ab ea, quam aulicus ille pincerna somniavit.

Vanitas humanæ potentiæ.

Ioã. 6. 35

Io. 15. 1.

Gen. 40. 14.

Omittendum tamen non est, quod S. Ioseph pro fausta ac fortunata somniatę illius vitis interpretatione mercedem hanc postulavit: *Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit.* Cum audit hanc vocem, non tam antiquũ Iosephum, quam nouum recole de cęlo venientem, immo & loquentem. *Considera nunc,* Ambros. ait, *Illum verum Hebræum, illum non somnij, sed veritatis, & præclaræ visionis interpretem, qui de divinitatis illa plenitudine, ac libertate cælestis gratiæ, in hunc corporeum carcerem venerat, quem non potuit sæculi huius illecebra mutare, nec ulla corruptela mundanæ voluptatis evertere: qui tentatus nõ decidit, appetitus nõ appetivit, postremo adulterina quadã Synagogæ manu veste corporis apprehensus carnẽ exuit, liber mortis ascendit. Calũniata est meretrix, ubi eum tenere non potuit, quem carcere non terruit, non inferni tenuerunt: quin etiam quò veluti puniendus descenderat, inde alios liberavit. Considera ergò istum Hebræum dicentem illi, quem contraxerat offensam regiam: quem restituerat muneri suo. Memor esto per temetipsum, cum tibi bene fuerit.* Sacerdotalibus pincernis dicit hoc nouus Ioseph: cum enim non somnium sed *Mysterium fidei* declaraverit in Calicis consecratione, ac simul restaurationem gratiæ prioris annunciaverit: instar Iosephi nobis illud commendat: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Iuxta commendationem memores esse debemus: *Unde & nos memores servi tui tam beatæ passionis, nec non & ab inferis resurrectionis, & in cælos gloriosæ ascensionis, offerimus de tuis donis ac datis hostiam puram, sanctam, & immaculatam,* in altari.

Memoria Christi.

Cur

Cur solum vinum de vite datur in mensa Sapientiæ.

INterrogationis factæ tres invenio responsiones apud S. Thom. 3. p. q. 74. a. 5. quarum prima est desumpta ex institutione Christi, *qui in vino vitis hoc Sacramentum instituit, ut patet ex eo, quod ipse dicit Matth. 26. circa institutionem huius Sacramentis. Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Novimus ex Evangelio, quod Christus Dominus vocabatur *potator vini*: cumque in materia vini passus esset iniuriam, hanc eandem speciem elegit, ut ex ea conficeret Sacramentum suum, quod esset vini decus, & ornamentum. Novimus per contumeliam dictum fuisse Ioseph filium, & propterea miris modis illustravit hunc sanctum Patriarcham. Improperatum est, quod foret ex Maria natus, quam extulerit Mariam, quis non cernat? Vel ipsas res inanimas, quibus tentarunt eum adversarij denigrare magna reverentia ac veneratione dignas reddidit, testis Crux, & etiam vinum, cuius species summo cultu, & adoratione in Eucharistia reveremur. Præterea legimus, quo pacto Servator noster in honorem matris suæ primum miraculum patraverit, & aquam in vinum verterit. Illud de vite erat, & hoc idem secundum speciem convertit in proprium sanguinē ut dignum æterno Patri sacrificium offerat. Cæpit a Maria vinum, quod est immolatum Patri: cæpit a Maria sanguis, qui postea cessit, & adhuc in victimam, & sacrificium altaris cedit.

III. *Christus consecravit in vino vitis.* Matth. 11. 19.

Assumitur præterea vinum de vite, quoniam ad materiam Sacramentorum accipitur id, *quod propriè, & communiter habet talem speciem. Proprie autem vinum dicitur, quod de vite sumitur: alij vero liquores vinum dicuntur, secundum quandam similitudinem ad vinum vitis.* Hæc est prioris quæsiti responsio, quam secundo loco præbet Angelicus Doctor. Eligit Deus c ōmunia, ut opera rara, ac peregrina efficiat. Baculus, quē in manu Moyses gestabat, communis erat, & mirabilis effectus est. Lapis, quo David Philisthæum percussit, abiectus & vilis erat, & tamen post victoriam gloriosus habitus est. Pallium quoque Eliæ non erat ex auro, vel ex purpura confectum, seb ex vulgari materia contextum, & summa veneratione ac reverentia, tamquam quid rarum, & peregrinum, ab omnibus colebatur, & ęstimabatur. Accipitur ergo vinum propriè, & communiter habens talem speciem, ut in eo mirabilia Deus per consecrationem efficiat. Peregrinum hoc opus est, ut vinum in sanguinem convertatur, res inaudita, & rara, cuius principium materia communis est, sed eius exitus, & finis per omnia mirabilis existit.

Commune vinum pro consecratione accipitur.

Assumitur etiam, *quia vinum vitis, magis competit ad effectum huius Sacramenti, qui est spiritualis lætitia, quia scriptum est, quod vinum lætificat cor hominis*: & hæc est tertia S. Thomæ responsio. Habemus in libro Iud. cap. 9. quod cum arbores sibi Regem constituere decrevissent, vitis repudiaverit oblatam sibi dignitatem, & hanc causam assignaverit: *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, ut inter cætera ligna promovear?* Ante passionem vocabatur Christus ad regnum, cum *dedit ei omnia Pater in manus*, nec opus erat, ut veniret ad imperium sanguinem fundere: nihilominus tamen oblatum sibi regnum recusavit, donec perageret, & consummaret sacrificium, cuius decreti causa hæc est, vitis erat: *Ego sum vitis vera*, & instar vitis respondebat: *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines?* Deseram vinum meum in calice, vel

Vinum cor hominis lætificat. Iud. 9. 12 Ioa. 15.

etiam in Cruce fundendum, quod lætificat Deum & homines? Non possum id ullo modo præstare, compellit me charitas, ut vino sanguinis mei gaudium, & exultationem Deo, & omnibus impertiar. Cum vinum sanguinis effundebat in ligno, gaudebat Deus, sed simul dolebat de offensa, & crimine, quod in morte Christi patrabant Iudęi: & cum offerebatur sanguis in calice, nulla erat iniuria, nulla offensa, & propterea nulla męrendi occasio erat, tota erat causa gaudendi. Mærebant etiam, & dolebant homines, ac pectora sua percutiebant, plorabant prę dolore filię in Crucis sacrificiò, dum contemplarētur iniurias, quas Agnus innocens tolerabat: at in Sacramento datur, & offertur vinum, cui nulla adhæret iniuria nulla læsio & nulla offensio, quæ possit esse causa mæstitiæ & idcirco puro nos gaudio recreat, pura nos lætitia alacres, & excitatos reddit.

Consonant inter se Calix Christi, & Scyphus Iosephi.

IV. CAlix, in quo vinum consecratum porrigit Sapientia, maximè congruit cum antiquo Scypho Patriarchę Iosephi, cuius Scriptura meminit Genes. c. 44. Cum penes Iosephum esset Ægypti gubernaculum, coacti penuria frumenti venerunt fratres ad ignotum fratrem semel, & iterum, ut pro pecunia sibi frumentum compararent. Postrema vice venit etiam Beniamin quem & fratres ignotus adhuc Iosephus lauta mensa, & regio convivio recreavit. Peracta mensa dispensatori domus iniunxit, ut saccos fratrum frumento impleret, & pretium in ore saccorum reponeret. *Scyphum autem meum, argenteum*, inquit, *& pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci iunioris.* Præstitit iussa dispensator, & multó manè revertebantur in Palæstinam, & ecce iuxta monita S. Iosephi properat dispensator, ut arguat furti eum, penes quem deprehensus scyphus fuerit. Ubi primum norunt fratres adventus illius causam, permittunt lustrandos saccos suos, postquam lustravit omnes, *invenit scyphum in sacco Beniamin.* Omittamus nunc cętera, & videamus, quid annotet S. Ambros. lib. de Ioseph. cap. 11. *Triticum multis datur, scyphus uni, qui prophetico, & sacerdotali donatur munere. Non enim omnes, sed Propheta dicit; Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.*

Calix convenit sacerdotibus

Habes ex Ambrosio Iosephi Patriarchæ scyphum esse sacerdotalem, illud videlicet vas argenteum, quo Iosephus utebatur in potum, & vaticinium: *Scyphus quem furati estis*, dispensator ille dixerat, *ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* Monet nos Iacobus Apostolus in divina Missa, quod divinus noster Iosephus de consecrato calice sumpserit potũ, & nobis in remissionem peccatorum propinaverit, Sumebat potum, & simul vaticinabatur instare tempus, quo de torrente biberet in via, & calicem passionis imminentis hauriret, sicut duobus fratribus prædixerat: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Hic quidem calix, in quo bibit Christus, & vaticinatus est, idem ipse est, qui ponitur in Sapientiæ mensa, Unde Sacerdos ait: *Accipiens & hunc præclarum calicem.* Iosephus & dispensator duæ erant distinctæ personæ: at vero cum idem Christus sit, qui calicem bibit, & in eo futura prædicit, ac simul bibendum dispensat: *Accipite & bibite ex eo omnes*, Iosephus & dispensator divinus in ęandem personam coalescunt.

Mat. 20. 22

Cum vitam mortalem degimus, saccum portamus, & tandem illum deponemus, quando corporeis vinculis absolvamur, & absoluti cantemus

Can-

Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. In saccis corporeis imponit Iosephus frumentum & pretium, quoties fidelibus communio porrigitur: triticum autem plurimis exhibetur, sed scyphus solum conceditur Sacerdotibus. Si saccos illos respiceres, æquale pretium in omnibus reperires, etiam in sacco Beniamini cui superpositus scyphus est, ut noveris non esse in redemptione inæquales, qui vel sub una, vel sub utraque specie communicant. Reposuit Ioseph scyphum, cum de illo inquirebat, quasi per ludum agebat, & nihilominus maxima conturbatio fuit in cordibus excitatus. Quid futurum esse arbitramur, cum non per jocum, sed serió nobiscum agatur, & cælestis Ioseph requirat a nobis munus sacerdotale, quod nobis est demandatum? Videmus nonnunquam in funere ministros altaris iam mortuos gestare in manibus calicem, non solum ut ostendant se functos esse sacerdotio, sed etiam ut declarent post vitam se sisti iudicio divino, & causam de calice serio tractari. Cum essent coram Iosepho filij Iacob, audiissentque: *Cur sic agere voluistis? an ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Non habuit quæ responderet Beniaminus, *Quid respondebimus*, inquit solus Iudas, *Domino meo, vel quid loquemur aut iustè poterimus obtendere?* Valde durum ac grave verbum Sacerdotibus erit, cum Iudex dicat: Cur sic agere voluistis, an nesciebatis mihi notum, quam indignè mysteria mei calicis tractaretis? Tunc silebunt omnes, erit una omnium confusio, tacita hæc omnium confessio: *Quid respondebimus Domino meo, vel quid loquemur, aut iustè poterimus obtendere? Deus invenit iniquitatem servorum suorum.*

Si forte velis æterni Patris typum esse S. Iosephum, & Spiritum sanctum esse dispensatorem Incarnationis, quo usus Pater Beniaminum, id est, filium dexteræ, carne vestivit, mihi non displicet, quia cum Filius Dei mitteretur in mundum, simul saccum, & sanguinis pretium secum detulit. Unde August. in Psalm. 146. dicere potuit: *Misit Deus ad captivitatem nostram redemptorem filium suum: Porta, inquit, tecum saccum, forte ibi pretium captivorum. Induit enim se ille mortalitatem carnis, & ibi erat sanguis, quo fuso redimeremur.* Nota, quod cum detectus esset calix apud Beniaminum, etsi alienus esset a furto, nihilominus causa illius tanquam furis agebatur, & tractabatur, in quo mirum in modum assimilatus est Filio Dei. Cum ventum est ad cœnam, detectus est Calix in manibus Christi, & deinde tamquam latro rapitur ad supplicium: *Tanquam ad latronem exiistis comprehendere me*, & inter latrones duos Crucifixus est Beniaminus Patris Dei, qui pro suæ innocentiæ defensione clamat: *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Quam etiam ob causam cum Angelus è cælo descendit, ut Christum in horto confortaret, præfert calicem in manu, ut significet reum furti habendum Christum, sicut & habitus est Beniaminus, oratque propterea ipse; *Pater si possibile est, transeat a me calix iste.* Respondit oranti Pater, & quidem per Angelum placere hoc sibi, ut instar Beniamini, cui impositus calix fuit, Crucem & mortem patiatur. Extat apud nos imago Crucifixi, ex cuius latere accipit in calice sacrum cruorem Angelus, accipitque reipsa sanguinem, quoties Sacerdos celebrat, qui & Angelus est, ut testetur quam carò steterit mystico Beniamino furtum, quod ei falsò fuit impositum. Cum autem de antiquo Iosepho dixerit dispensator inaugurari solere dominum suum, sic accipiēdum est, ut fuerit inter calices disertus, doctasque ac disertas moverit, dulces, & amænas proposuerit quæstiones Convivales. Præ sapientibus septem Greciæ inter pocula S. Iosephus philo-

Mysticus Beniaminus est Christus.

Matt. 26. 55.

Matt. 25. 39.

Philosophatus est inauguratus,& vaticinatus è cælo non solum terræ sterilitatem,sed etiam abundantiam panis futuram, adveniente Christo in Ægyptum. Pręit ille, nos sequemur, & de hoc ipso pane dato in Sacrificium, Communionem & Viaticum per sacras quęstiones Convivales Dissertatione proxima differemus.

DE SACRO VIATICO.

Prou.6.9. *Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ.*

SACRVM Viaticum viros quęrit,non infantes,monetque propterea Sapientia Patris eos,qui de hoc mundo profecturi sunt, *Relinquite infantiam.* Viaticum vitæ est,ijs,qui viam universæ carnis ingrediuntur,& tendunt ad eam regionem,de qua David ait; *Placebo Domino in regione vivorum,* &idcirco dicitur ab-
Ps.114.9. euntibus, *Vivite.* Viaticum pro via vitę exigit sapientes atque prudentes, quales erant providæ Virgines, de quibus loquitur Sapientia Patris in Euangelio,quapropter commonentur, *ambulate per vias prudentiæ.* Hæc tria propria viatorum sunt.Deserit factor itineris locum, a quo recedit, ingreditur viam,& prosequitur suum iter:homo deserit mundum, in cuius egressu humanam deponit infantiam, intrat vitę viam, progreditur tam provide,quàm prudenter sacro sibi commeatu parato, ac comparato.Cum viros pro se quærat,& petat, non infantilis, sed virilis commeatus est:cum afferat secum & simul conferat vitam, planè vitalis est; cum sit Viaticum sapientiæ,Sapientes atque prudentes amat. Quæ tria suo ordine exponenda,& ostendenda breviter sunt.

Virile Viaticum.

1. *Dotes infantiæ.* AMabilis infantia est,nobiles habens dotes,ac conditiones, quarum meminit Chrysolog. Serm. 158. *Natura docet omnes, quid valeat, quid mereatur infantia. Infantia quam barbariem non vincit, quam feritatem non mitigat, quam crudelitatem non comprimit, quem non compescit furorem,quam non potestatem deponit,quam duritiam non resolvit, quid non amoris expostulat,quid non affectionis extorquet,quam non imponit gratiam, quam non impetrat charitatem?* Amabilis propter easdem dotes Sapientiæ Patris infantia, ut docet Leo Sermon. 7.de Epiph. *Amat Christus infantiam humilitatis magistram, innocentiæ regulam,mansuetudinis formam. Amat Christus infantiam,qui maiorum dirigit mores,ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum,quos ad regnum sublimat æternum.* Cum ita sit chara,& ac-
Matt.19.14. cepta Christo infantia,ut dixerit in Euangelio, *Sinite paruulos venire ad me,* & ex

& ex earum consensu fuerit ita recreatus, ut usurpaverit illud Davidis; *Ex ore infantium perfecisti laudem*, satis hoc mirabile est, ut nunc deponendam esse infantiam moneat, & iubeat; *Relinquite infantiam*, præsertim cum ipsa Sapientia in solenni invitatione, quam per suas ancillas fecerat, dixerit ipsa, *Si quis est paruulus, veniat ad me.* Psa. 8. 3. Prhu. 9. 4.

Tota vita humana quid nisi infantia est? cum quis moritur, illam deponit. Tempus nativitatis tempus infantiæ est, quod usque ad mortem durat, & idcirco Salomon coniunxit *tempus nascendi & tempus moriendi.* Coniunxerat illa prius S. Iobus, cum dixit ipse de se, *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Nudus nascitur infans, & infantis instar nudus moritur homo. Et quidem ipse S. Iobus illum quasi infantem describit. *Homo*, inquit, *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodē statu permanet.* Homo natus de muliere infans est, brevi vivens tempore infans est, repletur multis miserijs, quas semper plorat more infantili, quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & non permanet in eodem statu, qui ratione suæ mortalitatis infans est. Hæc tota infantia, & eius partes deponuntur virtute sacri viatici, infantem in virum convertentis ac commutantis. *Tota vita humana est infantilis.* Eccl. 3. 2. Iob. 1. 20. Iob. 14. 1.

Relinquite infantiam. Prou 9. 6.

HOmo natus de muliere. Virtute sacri Viatici desinit homo filius esse mulieris. Dixit Chrysost. de nato Christo homil. 7. in Matth. *Natus est secundum carnem, ut tu nascerere Spiritu, natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.* Vocata est Eva, *mater cunctorum viventium*, quoniam, dum vita durat, semper homines permanent filij Evæ, ex qua erga carnem suam naturalem affectum, eundemque ardentem & ferventem habent, in cuius remedium providit Deus de sacro commeatu, ut notat S. Laur. Iustinian. lib. de perfect. Monastic. Conversat. *Quia rationalis spiritus inclinatione quadam naturali, & non parum, quæ corpori utilia & delectabilia sunt cogitare cogitur, aliquo spirituali pabulo in ipso discubitu erigendus, in quo quanto amplius fuerit occupatus & illectus; tanto minus carnalia cogitabit.* Hic effectus sacri Viatici est, pro cuius confirmatione adiungo testimonium S. Greg. Niss. Hom. 8 in Eccles. *Qui hanc amat carnem, non est amicus suæ carnis, & qui in hunc sanguinem est affectus, mundus erit a sensili sanguine.* Verumenimverò cum tempore sacri commeatus sic deponatur nativitas ex muliere, videbitur alicui, quod Christus non in Cruce, sed potius in cænaculo debuisset matri suæ renuntiare, & tradere illam Ioanni. Commodius & melius Christus hoc præstitit, cum in eo statu erat, ut dicere posset ac diceret, *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Nuditas illa plane infantilis erat, qua non obscure præ se ferebat velle se deserere infantiam naturę humanæ, quam assumpserat ex muliere, & cuius in morte viuus esse filius desinebat. *Infantia vitæ humana, et eius partes.* Iob. 14. 1. Iob. 1. 20.

Brevi vivens tempore. Brevitas humanæ vitę satis declarat nonnihil productam & extensam infantiam esse vitam humanam. Adhuc in Christo ipso, qui more infantis brevi spatio temporis mortuus in Cruce est. Ea propter in Symbolo confitemur ac profitemur. *Homo factus est, Crucifixus etiam pro nobis, passus & sepultus est.* Cum credis hominem factum, credis esse infantem illum, de quo Angelus pastoribus, *Invenietis infantem, pannis involutum.* Luc. 2. 21.

lutum. Sacra eius crucifixio immediata in utroque Symbolo eius nativitati est,ut quasi continuatam eius infantiam esse credamus. Non longa, sed brevis productio mortalis vitę, cuius finis cum principio connexus
Iob. 24.5. est,mors scilicet cum infantia, ideoque verè dicere possit Iobus, *Breves dies hominis sunt*. Loco huius brevitatis tam vitæ, quam dierum, *quis est*
Ps. 33. 13. *homo,qui vult vitam*,non temporalem sed perpetuam,& *dies videre bonos* &
Io. 6 59. longos? responsum a Christo accipiat, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Ne doleremus, cum brevis hæc vita esset deserenda, providit Christus de Sacro Viatico,certo pignore ęternæ gloriæ, ac vitæ futuræ,
Phi. 1. 21. cuius consideratione dicere posset ęger, *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*.

Repletur multis miseriis. Miseriæ humanæ maximè apparent & patent in ortu & in obitu,in ortu saccus miseriarum impletur,in obitu totus effunditur,& tales sumus,ut amemus miserias nostras. Hæc vis,hæc virtus sacri viatici est,ut impleat nos bonis,quorum amor excludat affectum hu-
Luc. 1. 13. manorum malorum, *Esurientes implevit bonis*. Repletus multis miseriarum malis miser & infelix est,& hic ipse dum ęgrotat,ita impletur bonis post Sacræ Eucharistię susceptionem,ut eum beatum appellet David Psalm. 40. *Beatus,qui intelligit super egenum & pauperem*. Ambros. in hunc Psalm. arbitratur esse Christum consecratum egenum & pauperem. *Beatus*, inquit, *qui intelligit super Christi inopiam & paupertatem,qui propter nos pauper factus est,cum dives esset. Sed fortè dices, Quomodo dives in paupertate Christus? quæ est ergò ista paupertas, quæ divites facit? Consideremus eam, intendamus in ipsum venerabile Sacramentum*. Beatus igitur æger, qui intelligit super egenum,& pauperem in venerabili Sacramento,habebit enim levamina omnium miseriarum, quas ægri patiuntur in statu suarum infirmitatum, ut ipse David testatur; *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: universum stratum eius versasti in infirmitate eius*. Ita favet Deus suo misero ægro, quem reficit sacro Viatico.

Quasi flos egreditur & conteritur. Admonet hominem flos, qui citò marcescit, & perit, quam fragilis ac labilis sit natura humana, *Manè floreat, &*
Ps. 89. 6. *transeat, vespere decidat, induret & arescat*. Sanctus erat Ezechias,& in flore
Isai. 38. 12 ætatis suæ,hic ipse dixit Deo: *De manè usque ad vesperam finies me*. Hanc naturę humanæ conditionem alta voce jussus est publicare Isaias, cum
Isai. 40. 6. clamaret, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri*. In defectum florentis suæ carnis habet homo,unde perpetuo niteat, & resplendeat,habet unde perpetuò floreat, si accipiat, cum deflorescit in morbo, atteritur & conteritur in morte, sanctissimum Sacramentum, in quo quid suscipiat æger,monet peropportune S. Ambros. in Psalm. 118. *Carpis illic rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem: Carpis illic lilium, in quo est splendor æternitatis: carpis illic nouum florem,qui nouum odorem dedit resurrectionis*. Hanc rosam,lilium & florem cupiebat,& appetebat anima, quæ
Cant. 2. 5 in sua dicebat ęgritudine; *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Et moriturus Isaacus perceperat suavitatem eius,qui dicit de se,
Ps 49. 11. *Pulchritudo agri mecum est*,cuius suave olentia recreatus dixit per vatici-
Gen. 27. 27. nium, *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Felix, qui sic deflorescit in se,sic marcescit, ut in Christo floreat & splendeat.

Fugit velut umbra: Monet quoque hominem umbra, qualis vita mortalis sit.

sit. Pendet a corpore umbra, & si corpus deficiat, illa perit. Corpus humanum quotidie languescit, quod in morbo corrumpitur, in morte destruitur, & vita mortalis perit. Occurrit huic damno Christus, & providit de immortali corpore suo, quo vita non temporalis, sed perpetua protegeretur. Hanc æternę vitę protectionem adstruit, cum Christus ait; *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ioa. 6. 58. Hæc causa est, propter quam viri sancti malunt vivere in corpore Christi, quam in corpore suo: in sua namque carne sciunt se mortales esse, dicuntque cum Paulo; *Quis me liberabit de corpore mortis huius!* Rom. 7. 24. in carne vero Christi norunt se esse immortales & æternos. Nemo autem est, qui non magis appetat, & curet æternitatem, quam mortalitatem.

Nunquam in eodem statu permanet. Nunquam viator permanet in eodem statu, cum iter facit. Et quidem omnis homo ab infantia sua viator est, nec vel uno puncto quiescit in itinere, donec ex hoc mundo recedat, & abeat. Solummodo in cælo quies, quam Christus paravit ijs, quibus cum loquitur excessurus, *Vado parare vobis locum.* Ubinam? *in domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Ioan. 14. 2. Ejsdem ipsis præscribitur ac præcipitur; *Relinquite infantiam.* Hic effectus sacri Viatici est, ut in mansiones Dei nos transferat, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Ioa. 6. 57. Habuit mansiones suas populus Hebræorum veniens in Palęstinam, comedebant typicum agnum in memoriam datæ & acceptæ patriæ perpetuam. Habet quoque Ecclesia, quoties communicat, mansiones suas, cum maneat in eo, qui dicit. *In me manet*, & ut illa patriæ cælestis possessionem consecrato Dei agno adscribat, & attribuat, inquit Christus cap. 26. Matt. *Dico autem vobis: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.* Dies ille planè est, in quo, relicta ætatis humanæ infantia, proficiemus, & procedemus *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Eph. 4. 13. Qualis hic status virtute sacrosancti Viatici comparatus est, talis & vita, ad quam nos vocat Sapientia Patris. *Relinquite infantiam, & vivite.*

Vitale Viaticum.

II. HOmo mortalis non tam ex vivis, quam ex mortuis alimentis pascitur, & nutritur, unde efficitur, ut non tam de illis ipse, quam illa de ipso accipiant vitam: hanc enim emortua alimenta acquirunt post nutrimentum. Longè alius panis Eucharistię est, cum sit viuus & vitalis, *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Ioa. 6. 57. Canit Ecclesia idcirco, *Laudis thema specialis, Panis vivus, & vitalis, Hodie proponitur.* Huc etiam pertinet, quod dixit Augustino Christus ipse libr. 10. Confess. *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me, nec enim tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Panis vivus & vitalis. Prævideraт hoc ac prædixerat Rex David, cum Psalm. 22. cecinit; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ illic me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.* Notandus est ordo, quem in suis verbis servat, & observat David, Dominus ita regit, ut nihil desit; ita pascit, ut nihil desideretur ad hoc, ut animã in se cõvertat.

 Con-

Convertitur anima in Christum, cum pascitur, & in eum transmutatur, & ab ipso vivificatur. Hæc autem conversio tunc absolvitur, tunc perficitur, cum ęger extremam accipit Communionem, ut vivat secundum ritum, & formam beatorum, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur,* quibus dicit Sapientia Patris, *Vivite, & ambulate per vias prudentiæ.*

Io. 14. 13.

VIATICVM
Exeuntium.

III. MAgna prudentia est cogitare de exitu vitæ, & prævenire ea omnia, quæ necessaria sunt pro re tanti momenti, cuius immemores fuerunt Hebræi, cum quibus, & de quibus agens Moyses suo Cantico inquit Deuteron. 32. *Gens absque consilio est, & sine prudentia: utinam saperent & intelligerent, ac nouissima providerent.* Ab hac prudentia commendantur prudentes Virgines, in Evangelio, quæ *exierunt obviam sponso & sponsæ,* sed non omnes, quoniam *quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Sic providere sibi, est plane cum prudentibus virginibus per vias prudentiæ ambulare.

Matth. 25. 1.

Mortis præventio

Nulla anima sic ambulat sine lampade & oleo, cuius præventionem, quam Christus amat, & quærit, expertæ sunt providæ Virgines, quæ *intraverunt cum eo ad nuptias:* exclusis fatuis, quæ pulsarunt januam, & clamarunt: *Domine, Domine aperi nobis: at ille respondens ait, Amen dico vobis, nescio vos,* & concludit Sapientia Patris; *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* Hoc idem est ac dicere, *Ambulate per vias prudentiæ.* Hanc esse causam inter alias putandum est, quod eadem Sapientia Patris sacrum suum Sacramentum per omnia templa honorari atque illustrari accensis oleo lampadibus velit, ut moneantur animę celebrantes, communicantes, & exeuntes è mundo, esse debere prudentibus virginibus similes, ut & cum illis lampades & oleum accipiant;

Duces itaque & indices viarum prudentiæ sunt Virgines sacræ, proles venerabilis Sacramenti, *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Hæ sunt Virgines, quas in 3. Part. Sacri nostri Oratorij delineavimus, & quæ suis insignibus exponunt mysteria Eucharistiæ, & simul declarant soboles eius esse, cuius gestant insignia, ducuntque per vias prudentię animam, ut sacro se præveniat Viatico, & præventa occurrat Sponso, cum media nocte clametur; *Ecce sponsus venit, exite obviam ei:* Occurrunt ei, qui ambulant per vias prudentiæ, & cum eo cęlum petunt.

Zach. 9. 17.

Cum autem dixerit paulo ante Sapientia Patris, invitans ad epulum & Convivium, ut insipientes accederent, *Insipientibus locuta est; Venite, Comedite panem meum,* quomodo nunc ad sacrum Viaticum prudentes atque sapientes vocat: *Ambulate per vias prudentiæ?* Discordant multum inter se insipientia atque prudentia. Latet sub summa insipientia summa prudentia. Quo pertinet monitum S. Gregorij libr. 27. Moral. cap. 27. *Si veraciter sapientes esse, atque ipsam Dei Sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus: relinquamus noxiam Sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem. Hinc quippe scriptum est: Stulta mundi elegit*

Prov. 9. 6.

Docta ignorantia.

git Deus, ut confundat sapientes. Hinc rursus dicitur: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Latuit sub stultitia Davidis, quando mutavit vultum suum coram Achis, sacræ Eucharistię sacrificium, communio & Viaticum, in quibus splendet Sapientia Patris. Huc pertinet illud testimonium Algeri in Prologo lib. de Sacram. *Videtur enim stultum, sed stultis, Christum in specie panis & vini tantilla formula tantam maiestatem contineri. Sed quis in Deo reprehendere debeat, quod in ipso pium, nobis autem est necessarium. Congruere autem non videtur eius dignitati, ut corruptibilis substantia panis incorruptibile eius corpus fiat: sed congruit nostræ saluti, ut tali Sacramento, pane Angelorum pio reficiat, sapientissimè quidem, ut occulto mysterio fides exerceatur ad meritum: fortissimè autem, ut mens tali cibo roborata, hoste devicto, fortius nitatur ad regnum. Sapientissime, inquam & fortissimè, ut tanti sui operis de re minima & maxima nec comprehendi possit potentia, nec artificium.*

Nec quidem hoc præter ordinem cæterarum artium ac scientiarum est, in quibus accidit id quod refert Philo. libr. de Plantat. Noë; *Quemadmodum*, inquit, *quidam fossores puteorum quæsitam aquam sæpè non inveniunt: ita qui ulterius progrediuntur in scientiis, & diutius in eis inambulant, non possunt finem attingere. Certè admodum doctos aiunt accusare suam magnam ignorantiam. Hoc enim tantum sentiunt, quam longè absint a veritate. Ex his unus olim usque ad miraculum sapiens dicere solebat, homines meritò seipsos mirari, qui hoc tantum sciret, scire se nihil.* Et lib. de Somnijs, *Breuis enim vita, ut quidam inquit, ars longa: cuius amplitudinem ut optimè cognoscit, qui in eam descendit profundius, tamquam puteum fodiens: qualis quidam iam canus, decrepitus, capularis senex illachrymasse fertur, non ob ignaviam, metumve mortis, sed scientiæ desiderio, quasi tum primum eam adiret, quando relinquenda erat.* Qui fodit puteum, aquam quærit, artiumque & scientiarum professor agit, & agitat quæstiones pro veritatis indagatione, in quem nos quoque finem Convivales quæstiones moveamus circa Sacrificium, Communionem, & Viaticum ardenti desiderio fidei: quasi nunc primùm agere de sacro Convivio Sapientiæ Patris incipiamus, quippe qui nihil nos scire sciamus, & ideo ad quærendum de novo, & quidem de eisdem ipsis mysterijs, & eodem ordine, ut supra procedamus, ita tamen, ut more & exemplo immaculatæ Mariæ quærentis ab Angelo. *Quomodo fiet illud quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. 34. nostra quæsita faciamus, non ritu, nec usu & simul abusu Hebræorum, qui cum Christus divina Sapientia Patris de condendo, edendoque Solenni suo Convivio ageret cap. 6. Ioannis, non minus maliciosè, quàm fastidiosé interrogarunt, *Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum?* Ioa. 6. 54. Quærunt Hebræi de modo & forma Consecrationis, & suam ostendunt perfidiam, quęrit Virgo de methodo Incarnationis, & summam suam ostendit fidem, a qua laudata & commendata est a cognata Elizabetha, *Beata, quæ credidisti.* Luc. 1. 45.

Quæsierunt perfidi Israelitæ de forma, & modo Eucharistię, negantes divinæ potentiæ posse ab ea fieri, ut caro Christi ederetur & manducaretur. Quod autem res illis esset cum divina omnipotentia, sua ipsorum eos verba produnt. *Quomodo potest hic nobis carnem dare suam ad manducandum?* Hoc ipso morbo laborāt, hoc vitio hæretici Sacramētarij, qui ex sacrilego ore Hebræorum resumentes eandem quęstionē adhuc rogant & inquirūt *Quomodo potest hic nobis carnem suā dare ad manducandū?* Mos esse solet in Academicis Scholis, ut præcedant studiosi argumentatores, ad quorum argu-

 menta

menta replicēt eximij Magiſtri & Doctores. Ad hanc formam conveniunt hæretici cum Hebręis; Hebræi argumentum proponunt, hęretici replicāt more doctorum, quos eximios ſuos magiſtros eſſe cenſent, qui eorum ec-
Matt. 10. cleſias reformatas colunt & frequentant. *Non eſt Diſcipulus ſuper magiſtrum,*
24. nec Iudæi ſuper hæreticos, penes quos magiſterium huius erroris eſt, & proſecutio erroneę quæſtionis, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Sciſcitantibus Iudęis reſpondit Chriſtus, & quidem ipſe rogatus, neque enim illum rogarunt, ſed ſeipſos interrogarunt deſperantes
Io.6 54. de poteſtate dicentis, *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus,* quod & nunc faciunt hæretici, ſibiipſis tamquam oraculis credentes, non divinis verbis Chriſti, ad cuius reſponſiones claras & evidentes datas primis argumentatoribus habent ſemper, quod malè clament, reclamentque ac peius replicent.

Luc.1 34. Abſit, ut B. Virgo, cum quæſivit, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* in potentiam Dei inquiſierit, egit partes ſuæ virginitatis, quam intactam & illęſam ſervari cupiebat, & volebat informari de forma & modo, quo ipſa deberet ſe gerere, ut myſterio Incarnationis cum Deo cooperaretur. Longè aberat, ut Dei potentiam offenderet, quæ ita pro illa ſtetit tempore maternæ ſuę conceptionis, cum enim dixiſſet Angelus, *Non*
Luc. 1.37 *erit impoſſibile apud Deum omne verbum,* acquievit, & reſpondit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Firma, & fida ſtetit pro omnipotentia Dei, quæ cecinit, *Fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius,* & iterum modulata eſt, *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente*
Luc.1.51. *cordis ſui. Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes.* Canit & cantat in honorem & gloriam divinæ potentię, & Euchariſtię, ac proinde ſancta mater Eccleſia in Feſto Corporis Chriſti clamat in hæc ipſa verba & exclamat; *O quam ſuavis eſt Domine Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſſimo de cælo præſtito eſurientes reples bonis, faſtidioſos divites dimittens inanes.*

Eſth.1.2. *Fecit* itaque *potentiam in brachio ſuo* Sapientia Patris, *cum eſurientes implevit bonis,* aſſimilatuſque eſt Chriſto Aſſuerus, qui *tertio anno imperij ſui fecit grande Convivium cunctis principibus & pueris ſuis fortiſſimis Perſarum & Medorum inclytis & præfectis provinciarum coram ſe, ut oſtenderet divitias gloriæ regni ſui, atque iactantiam potentiæ ſuę,* Hæc humana potētia eſt, divina Chriſti, qui omnem ſuam potentiam, quam ſparſerat ac diviſerat per omnia
Pſ.110.4. ſua miracula, collegit in Euchariſtiam, *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Qui timent poteſtatem, recognoſcunt, & hanc dignè celebrantes, & pro dignitate communicantes colere ac venerari debemus, cuius cultui ac reverentię Quæſtiones Convivales deſervient, quippe quę ſimiles quęſito Mariano erunt grato & accepto Deo, Angelis & hominibus: Deo, qui cupit quæri, Ange-
Matt.7.7. lis, qui quæſierunt, *Quis ut Deus?* hominibus, qui invenire optant, *Quærite, & invenietis:* & ſapere affectant.

Prou.9.9. *Da occaſionem Sapienti, & addetur ei Sapientia.*

SACRARVM

QVÆSTIONVM

CONVIVALIVM

DE SACRIFICIO,

COMMVNIONE

ET

VIATICO,

CVM

HYMNO

Sanctæ Ecclesiæ, altaris, & mensæ.

Lauda Sion Salvatorem.
Lauda Ducem & Pastorem.

DISSERTATIO TERTIA.

SUMMARIUM SACRARUM QUÆSTIONUM CONVIVALIUM ET SELECTORUM ARGUMENTORUM. DE SACRIFICIO EUCHARISTICO.

Quæstiones prohæmiales.

Quæst. 1. *AN conveniant quæstiones Convivales sacro Sapientiæ & Eucharistiæ Convivio.*

2. *An deceant sacrum hoc Convivium festivæ considerationes.*

3. *De quibus rebus præcipuè agendum in sacro Convivio Eucharistiæ.*

4. *An quæstiones Convivales debeant esse longæ vel breves!*

Sacræ Quæstiones Convivales de sacro Eucharistiæ sacrificio.

Quæst. 1. *QUi fieri potest, ut caro humana oblata in sacrificium Deo placeat?*

2. *Cur sacræ passioni, & non consecrationi affuisse fœminæ dicuntur?*

3. *Cur in cultum acerbæ passionis institutum est sacrificium?*

4. *Cur sedens se offert Christus in mensa, stans in Cruce?*

5. *Cur de nocte in mensa, & de die in Cruce immolatio Christi facta est?*

6. *Cur Christus de nocte, Ecclesia de die celebrat?*

7. *Cur in sacrificio Crucis extinguuntur luminaria cæli, & in Sacro accenduntur lumina?*

8. *Cur de sapore cælestis manna & non de odore eius fit mentio?*

9. *Cur in altari, in quo sacrificium Eucharistiæ, celebratur, sunt sacræ imagines?*

10. *Cur Deus pro Eucharistia habere multa templa velit?*

11. *Cur nullus usus salis in sacrificio altaris?*

12. *Cur in sacro debeat esse silentium?*

13. *Cur in sacro tot ritus, & cæremoniæ?*

14. *Cur tantus usus incensi in solennitate sacrificij?*

15. *Cur in Sacro Sacerdotes manus lavant?*

16. *Cur Petrus & Ioannes eliguntur præcursores Eucharistiæ?*

17. *Cur in aliena domo Christus consecrat?*

18. *Cur non in civitate Bethleem, sed Ierusalem Christus se immolavit, & consecravit?*

19. *Cur variatur color in ornamentis altarium & Sacerdotum?*

20. *Cur Sacerdos singulariter in oblatione hostiæ loquitur, pluraliter vero cum calicem offert?*

21. *Cur sacrificium sacrificiorum est Eucharistia?*

22. *Cur mulieres electæ non sunt, ut conficiant Eucharistiam?*
23. *Cur Christus in Cruce se obtulit, & non in fructu arboris se consecravit?*
24. *Quare Christus in hoc sacrificio se exposuit infortunijs panis?*
25. *Quare beatæ passionis sacrificium Eucharisticum est?*
26. *Quid lotio pedum cum sacrificio Eucharistiæ?*
27. *Cur gregarij homines pro tanto sacrificio assumuntur?*
28. *Cur sacrificium altaris vocatur sacrificium laudis?*
29. *Quidnam sit vinum nouum, cuius meminit Christus in cæna?*
30. *Quare Christus extra portam passus est, & intra civitatem fecit de se sacrificium?*
31. *Quomodo sacrificium Eucharistiæ, cum sit ita admirabile, possit esse imitabile?*
32. *Cur in subsidium fecundæ matris Ecclesiæ sit sacra hostia?*
33. *Quomodo cum tanta prolium effusione consistat temperantia Ecclesiæ?*
34. *An sacra hostia sit pinguis victima?*
35. *An duo verba,* sustine & abstine *sacra & Eucharistica sint?*
36. *An per solum tactum sanctificet animam Eucharistiæ hostia?*
37. *An sit aurea Eucharistiæ hostia?*
38. *Quomodo ex pane & vino Eucharistico mysticum aurum confici possit?*
39. *An in sacra hostia sit vellus aureum?*
40. *Cur Christus pretiosum thesaurum abscondit in Eucharistia?*
41. *Cur Christus pretiosum aurum Eucharistiæ ita commune fecit?*
42. *Cum Christus in Cruce non iniecerit sibi manus, cur in mensa proprijs se manibus sacrificavit?*
43. *Quæ principia idololatriæ, & quomodo ablata per Eucharistiam?*
44. *Cur Eucharisticum munus sponsæ suæ Ecclesiæ Christus dedit?*
45. *Quare pro celebranda Eucharistia candidis ornamentis vtitur Ecclesia?*
46. *Quomodo Eucharistia sacrificium adversetur Bacchanalibus?*
47. *Quare Ecclesiæ hostia sit extremum Ecclesiæ adiutorium?*

QVÆSTIONES PROHÆMIALES.

Quæst. I.

An conveniant Quæstiones Convivales sacro Sapientiæ, & Eucharistiæ Convivio?

PLUTARCH. lib. 1. Sympos. rogat; *Sitne inter pocula philosophandum?* Eandem quoque quęstionem movet Macrob. lib. 7. Saturnal. cap. 1. Ambo versant in utramque partem dubium; argumentantur imprimis non esse ex honore & dignitate Philosophię, ut mensis prophanis assistat, sed oportere, ut tamquam verecunda materfamilias contineat se intra sua penetralia, nec se immisceat libero, cui tumultus sunt familiares, alieni prorsus ab ea, quæ strepitum non modo verborum, sed ne cogitationum quidem in suæ quietis sacrario admittere debet. Hoc assumptum confirmant exemplo deducto a Persis, & Parthis, ut quemadmodum illi non cum coniugibus sed cum concubinis seu pellicibus suis Convivia inire, ebrietati, tripudijsque indulgere solebant, illas honoris gratia intra domum servare, atque tueri, nec pati in vulgus prodire, sic & Philosophiam tuendam & observandam inidoneam planè ad similes nugas, vanas & ludicras. Ex hac Persarum consuetudine ortum habuit, ut cum Vasthi esset Persica Regina, vocata a rege Assuero, & iussa exire in publicum Convivium, imperanti sponso non obedierit, & regnum amiserit. Cum vero in eius locum suffecta esset Edissa, appellata est *Esther*, id est, *occulta*, quippe quæ esset electa vxor, & pro dignitate abdita domi ageret, & viveret. Cum hæc parasset Convivium, noluit, ut esset publicum, sed privatum, cui secum solus Assuerus, & Amanus adessent. Et quidem Isocrates Philosophus erat, & cum in Convivio a sodalibus rogaretur, ut aliquid in medium proferret, respondit; *Quæ præsens locus & tempus exigit, ego non calleo, quæ ego calleo, nec loco præsenti sunt apta nec tempori.*

Sitne in mensa philosophandum.

Esth. 1.7.

Hæc Plutarchus & Macrobius objecta parum curantes adstruunt inter pocula philosophandum. Absit, ut Philosophia, quæ vitæ magistra est, exulet a Convivio, in quo temperantia atque iustitia servanda est. Et si desit Philosophia, eius alumnæ honestas & modestia, pietas & sobrietas in mensis non habebunt locum, ac proindè non humanum, sed potius inhumanum Convivium erit.

Habet in mensa locum humana Philosophia.

Philosophiam non solum humanam, sed etiam divinam arcendam non esse è convivijs, exemplo suo nos docuit Christus, qui invitatus a Matthæo propositæ Discipulis quæstioni: *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* respondit. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Nec solum quæstioni respondit, sed & subiunxit. *Ite & discite quid est; Misericordiam volo & non sacrificium.* Rursum, cum esset in domo Simo-

Habet et divina.

Matt. 9. 11.

Simonis Leprosi, per modum quęstionis Convivalis dixit in mensa, *Si-*
Luc. 7. 40 *mon habeo tibi aliquid dicere*, & cum annuisset ille, dixissetque sibi gratum fore audire, quæ proponeret, statim Christus quæstionem de duobus debitoribus proposuit, & exposuit. Similis profecto sibi, qui cum antea fuisset invitatus ad nuptias, & suggereret Mater in mensa, *Vinum non ha-*
Ioan. 2. 3. *bent*, quæsivit simul ac respondit: *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.*

Licebit igitur in sacro Sapientiæ & Eucharistiæ Convivio divinitus Philosophari, ad cuius epulum non admittuntur concubinę & meretri-
Zac. 9. 17 ces, sed Virgines, *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans Virgines?* Admittitur sponsa Christi
1. Cor. 11. 28. Ecclesia, & pura hominis anima. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Non sunt ab hoc sacro Convivio alienæ sed propriæ quęstiones, siquidem eius vetus simulachrum, quod erat manna signat *quid hoc?* in formam admirabilis quęstionis accipiebatur & gustabatur. Et cum Samson leonem interemisset, & in eius ore favum mellis deprehendisset, typum & imaginem Eucharistiæ, mysticum problema proposuit in Solen-
Iud. 14. 14 ni Convivio: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.*

Accedit Clemens Alexand. lib. 4. Stromat. & concludit; *de Deo ergo quærere, si non ad litem, sed ad inventionem tendat, est salutare. Scriptum est enim in David; Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Deum qui requirunt eum. Qui enim quærunt vera inquisitione laudantes Dominum, implebuntur dono, quod à Deo proficiscitur, hoc hest, cognitione & vivet anima eorum.* Non ad litem, sed ad inquisitionem Christi sub accidentibus panis & vini agendum est. Egerunt olim Hebræi de Eucharistia, sed per litem, sicut scriptum est, Psal. 77. *Malè locuti sunt de Deo: dixerunt; Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ: & torrentes inundaverunt. Numquid & panem poterit dare: aut parare mensam populo suo?* Nec extincta, nec sopita lis illa fuit, in promulgatione facta de Eucharistia per Christum cap. 6. Ioann. *Litigabant Iudæi dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Facessant hinc litigatores, accedant pacifici contemplatores, non vana, sed humili curiositate tacti, & excitati amore discendi arcana & sublimia mysteria: teste enim Philone lib. de Migrat. Abrahami, *Amor discendi est res suopte ingenio curiosa, quovis modo vadens impigrè, introspiciens omnia, nulla corpora, nulla negocia relinquenda inscrutata iudicans.*

Quæst. II.

An deceant sacrum hoc Convivium Festiuæ considerationes.

Symbola Convivalia. QUęrebantur olim in mensis & Convivijs non nimis gravia neque seria, sed quædam lepida & iucunda animos convivantium recreantia. Quærebatur quando moriens moreretur, cum iam in morte esset: an tum etiam cum in vita foret. Et quando surgens surgeret, cum jam staret: aut tum etiam cum jam esset, ac cum jam non esset. Hæc & alia id genus symbola proponebantur. Huiusmodi Philosophorum Convivia acroamatica dicta sunt: cuiusmodi fuit illud Agathonis apud Plot. & Socraticum Xenophantis. Acroamata autem sunt festivæ recitationes,

tiones, ludicræque narrationes. Cicero in Oratore agēs de signis; *Hic quasi festiuum acroama, ne sine corollario de convivio discederet, ibidem conviviis inspectantibus, emblemata euellenda curavit.*

Cum Christus æterni Patris Sapientia suum promulgat convivium; seriò agit, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* cum illud instruit in cęnaculo, seriò dicit, *Hoc est enim corpus meum, &, Hic est Calix sanguinis mei.* Ferre non potuit tantę veritatis hostis, ut ita magnam præse ferret auctoritatem, ac maiestatem Eucharistia, ac proinde invenit nugas, quibus certitudinem corporis & sanguinis Christi sub formis panis & vini destrueret. Nugatur cum esse non posse Christum in cælo & in altari jactitat. Nugatur, cum justę staturæ hominem, qualis Christus est, non posse esse sub minima particula hostię diuulgat. Nugatur cum meram imaginem Christi in pane & vino comminiscitur. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona,* & impedit, quominus res eximiæ, quæ latent in Eucharistia, ab hęreticis delusis per dæmonem cognoscantur. Ioa. 6. 56. *Nugæ aliena ab hoc mysterio.* Sap. 4. 12.

Nihilominus hoc convivium, licet ita grave ac serium sit, nec amet, sed oderit istas nugas, non reijcit acroamata dicta, nec festiva, canitque propterea Ecclesia, *Sacris solennis iuncta sint gauda, & ex præcordiis sonent præconia, Recedant vetera, nova sint omnia, corda, voces, & opera:* & dum ad mensam est altaris, dicit, *Sit laus plena, sit sonora, sit iucunda, sit decora mentis iubilatio.* Ad hanc excitandam in animo alacritatem, non minus mysticas quam pulchras resuscitat illa sententias. Satis festiuum acroama illud est; *Caro cibus, sanguis potus; manet Christus tamen totus sub utraque specie. A sumente non concisus, non confractus, non divisus, integer accipitur. Sumit unus, sumunt mille, quantum iste, tantum ille, nec sumptus consumitur.* Et cum olim Sampson egit de Eucharistia, non sine lepore dixit, *De comedente exivit cibus,* & cum David mutavit vultum suum coram Abimelecho repræsentans Christum sub hoc Sacramento, ut notant Patres, lusit, & illusit Regi. Habet, & amat suos laudos Sapientia Patris, quæ de se dicit, *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* *Festiuitas seria.* Prou. 8. 30.

Serius, ac gravis hic ludus est, sicut & convivium Eucharistiæ, quod decent graves & festivæ considerationes, quibus præditus David usque ad invidiam Micholis coram arca saltabat, & dum esset inter regales epulas monebat; *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Hoc loco sanctè veteres Hebræorum sapientes dixerunt, eos, qui in convivijs sermonem de rebus divinis non habent, perinde se habere, ac si de sacrificijs mortuorum comederent. Contra vero, qui Dei verbum, legem & divinę sapientiæ opera celebrant, super hos quiescere divinitatem & non secus se habere, atque si de mensa ipsius Dei comederent. Psa. 33. 9.

Quæst. III.

De quibus rebus præcipuè agendum in sacro Convivio Eucharistiæ.

VBi Philosophia, inquit Macrobius sibi locum patere viderit, non de ipsis profunditatis suæ inter pocula secretis loquitur, nec nudosas & anxias, sed utiles quidem, facilesque quęstiones movebit. Sensit quoque Plutarch. de rebus subtilibus quæstiones esse nō oportere *Importunæ quæsita*

in

in convivijs, ne rudiores mentes opprimantur. Quis ferat in lætitia Convivali medicum convivijs legem præscribentem ciborum aut potuum? quis Philosophum de materia prima & substantijs separatis disserentem? quis Iurisperitum de varijs legum textibus argumentantem? quis Mathematicum de mensuris, & Astrologum de Epicyclis? Quis Theologum de prædestinatione arguentem?

Opportuna quæstio nes de Sacrificio, Sacramento & Viatico. Ergò cum ita abstrusum sit ac reconditum id, quod est in Eucharistia, alienum forsitan videbitur a materia convivali. *Hoc Sacramentum*, ut scribit S. Thom. 3. p. quæst. 73. a. 4. *habet triplicem significationem. Vnam quidem respectu præteriti, in quantum scilicet est commemoratiuum Dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium. Aliam autem significationem habet respectu rei præsentis, scilicet Ecclesiasticæ unitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum, & secundum hoc nominatur Communio, vel Synaxis. Tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum scilicet hoc Sacramentum est præfiguratiuum fruitionis Dei, quæ erit in patria, & secundum hoc dicitur Viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi. Et secundum hoc dicitur etiam Eucharistia, id est, bona gratia Dei quia gratia vita æterna, ut dicitur Rom.* 6. Tria hæc Sacrificiũ, Sacramentum, & Viaticum a Theologis tractantur, & controvertuntur in Scholis, & viderentur a mensis aliena, nisi Sapientia Patris mensam suam *Prov. 9. 3.* proposuisset, in qua *immolavit victimas suas*, & in eis Sacrificium suum confecisset, dixissetque, *Venite, comedite, panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*, hoc est, venite ad meum venerabile Sacramentum, quod & vobis ambulantibus in cælum pro Viatico sit, concluditque propterea. *Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ*, in quæ verba desinit Convivium Sapientię.

Moris fuisse olim in Convivijs inter Philosophos & litteratos homines, ut eruditos literatosque sermones conferrent, auctor est Gellius lib. 6. ca. 13. ubi de Tauri Convivio disserit. *Factitatum*, inquit, *observatumque hoc Athenis est ab iis, qui erant Philosopho Tauro iunctiores, cum domum suam nos vocaret, ne omninò (ut dicitur) immunes & asymboli veniremus, coniectabamus ad cœnam, non cupedias ciborum, sed argutias quæstionum.* Non excitandæ ex vili mensa illa Philosophica quæstiones occurrebant, aliundeque propterea accersendę atque advocandæ erant. Longè alia est sacra Sapientiæ mensa, pretiosa propter altaris Sacrificium, *Immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam*: pretiosa propter Sacramentum Eucharistiæ, *Venite & comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis*: pretiosa propter sacrosanctum Viaticum, *Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ.* Hæc mensa est, quæ reddit sanctiores eos, qui ad mysticas eius epulas veniunt, reddet & sapientiores per argumenta sacrarum quæstionum Convivalium, pertinentium primò ad Sacrificium, secundò ad Communionum Sacramentalem, tertiò tandem ad sacrum Viaticum, de quibus suo ordine controvertemus.

Quæst. IV.

An quæstiones Convivales debeant esse longæ, vel breves?

CUm nimis ad se trahant mentem & animam fercula & pocula, quæ prę oculis sunt in splendida mensa, inventæ sunt Convivales quæstiones, quarum argumenta teneant, atque contineant animum, ne nimia

nimia dulcedine ciborum rapiatur, sed ad alia instituta meliora divertat cogitationem. Vim vi repellere oportet, vim poculorum & ciborum vi doctrinę per interrogata, & responsa, quæ inter convivas esse consueverunt. Cum vero tanta sit vis in esca & potu ad animum alliciendum, non poterit illa labefactari brevi aliqua quæstione, sed opus erit, ut longa sit atque protracta.

Non est in hoc Convivio periculum, ut animus à Deo, hostia, & Calice distrahatur, cum hanc vim habeat in se sacra Eucharistia, ut ad se cor & mentem trahat, & pertrahat ad eum, cui dicit Sponsa, *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Assonat & ipse Sponsus Oseæ cap. 11. dum ait, *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, & ero quasi exaltans iugum super maxillas eorum, & declinavi ad eum, ut vesceretur.* Cibus in manu Evæ positus & oblatus Adamo irretivit, & illaqueavit eius animum, ut tota eius mens caperetur & deciperetur: at Sacra Eucharistia collata per sacram Ecclesiæ dexteram, in Deum totam animam rapit, ac proinde dicit Christus, *in funiculis Adam traham eos.* Hoc fieri vi & virtute venerabilis Sacramenti declarant verba sequentia, *declinavi ad eum, ut vesceretur.* Præscius huius virtutis Sacerdos vel ante ipsam consecrationem monet astantes, *Sursum corda*, & illi respondent, *Habemus ad Dominum.*

Trahit ad Deum Eucharistia.

Cant. 1. 3

Affixa ergo Domino corda convivantium in mensa Sapientiæ non egent longis ac prolixis, quæstionibus, quibus indigere videbantur ij, qui prophanis mensis assistunt. Adhuc in præfatis mensis viri sapientes esse noluerunt productas in longum quæstiones, sed redactas in compendium, ut a modesto & honesto convivio molestia omnis, quam sermonum prolixitas parit, omnino arceretur. Ea propter Plutarchus, qui egit de Convivio Sapientum, non longas, sed breves quæstiones Convivales ad honestā recreationem, & instructionem comparatas adduxit, & introduxit. Laudabilis Sanctus Thomas, qui omnes Theologicas quæstiones ad Summam trium Partium reduxit, sed tunc magis laudabilis, cum sacrum officium ita composuit in honorem Corporis Christi, ut in illo brevi Rhitmo & Hymno; *Lauda Sion Salvatorem*, totam suam de Sacra Eucharistia Theologiam pro altari, & mensa Sapientiæ comprehenderit: commendatus tunc ab ipsa Sapientia Patris, *Bene scripsisti de me Thoma.* Ducebatur ac regebatur tanti, ac tam Sancti Doctoris calamus a Spiritu sancto, qui & movit linguam Sampsonis, ut quæstiunculam illam, *De comedente exivit cibus & de forti egressa est dulcedo* in mensa proponeret.

Exod. 14. 14.

Igitur Deo duce & comite Maria brevitatis cultores & amatores nonnulla quæremus. Deo, inquam duce, qui Matth. 9. assidens mensę brevem illam quęstionem movit; *Discite, quid est misericordiam volo & non sacrificium:* & comite Maria, qui ea ipsa hora, qua panis de cælo descendit, breviter interrogavit; *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Deo duce & comite Maria scripsit sanctus Cyrillus Alexandrinus, cui & nos in scriptis nostris adhæremus, ac dicimus, quod tantus Doctor ait, in Præfat. pro Levitico; *Occasiones potius intelligentiæ auditoribus damus, quam expositionum latitudinem, persequimur secundum illud, quod scriptum est.*

Luc. 1. 14.

Da occasionem Sapienti, & addetur ei Sapientia.

SAPIENTIA

Immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Proverb. 9.

DE SANCTO EVCHARISTIÆ SACRIFICIO.

Quæst. I.

Qui fieri potest, ut caro humana oblata in sacrificium Deo placeat?

Sacrificiũ carnis humana.

E testamur, & meritò, hominum Ethnicorum barbariem, & horremus falsorum suorum deorum sævitiam, cum legimus, vel audimus cultus ac Religionis ergò induxisse, non solum animalium irrationalium, sed hominum etiam sacrificia, vsitata satis apud varias, diversasque nationes. Arnobius libr. 8. adversus Gentiles summo vitio illis vertit, quod Saturno suos infantes immolarent. Et Cicero in Orat. pro Fonteio; *Quis ignorat*, inquit, *Gallos usque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum?* Quin ètiam Lazedæmonij, teste Theodoreto, hominem Marti immolabant, & Græci cum ad bella progrederentur, ab humana cæde auspicabantur. Et ut omittam cætera, tempore Iustiniani Imperatoris perniciosus hic mos in insulis Thulis invaluit, ut victimarum potissima esset primus homo in prælio captus, quem prius in arbore viuum suspendebant, indeque depositum, inter vespres & sentes proiectum excruciabant, & conficiebant. Adhuc sub imperio Caroli V. ab Hispanis nautis orbem lustrantibus insula reperta est, & Carolina dicta, in qua frequentes videbantur statuæ æneæ suorum Numinum, intrinsecus cavæ, in quibus infantes & pueruli includebantur, & apposito ad statuas igne torrebantur, & absumebantur. *Non est Deus noster, ut dij eorum*, cum barbaros istos mores carpat, & redarguat ore Davidico. *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum & servierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Et immolaverunt filios suos & filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. Et infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum, & fornicati sunt in adinventionibus suis. Et iratus est furore Dominus in populum suum: & abominatus est hæreditatem suam.*

Deut. 32. 31. Ps. 105. 35

Qui

Quí fieri poteſt,ut huic clementiſſimo ac benigniſſimo Deo caro humana oblata in ſacrificium placeat? Scio dixiſſe Abrahamo,ut Iſaacum filium ſuum in monte ſacrificaret, ſed ſcio etiam, quod cum iam eſſet cædendus, & occidendus filius, iuſſus ſit pater ſubſiſtere. Quod ſi Iepte filiam ſuam Deo immolavit, ſunt, qui exiſtiment illum graviter erraſſe, id vero certum, quod propterea non habeat in ſacra Scriptura laudem.

Placet ſententia, quam de Deo pronunciavit Tertullianus libr. 1. adverſus Marcionem, *Deus tunc maximè optimus, cum homini non bonus.* Ita quidem fit, ut cum non videatur bonus, cum *proprio filio ſuo non pepercit*, tunc maximè bonus ſit, quia *pro nobis omnibus tradidit illum.* Ita quidem fit, ut cum homini non videatur bonus,cum petit ſibi carnem Chriſti ac ſanguinem in Sacramento immolari,maximè bonus exiſtat. Dixit Chriſtus, dum corpus ſuum offerret. *Hoc eſt corpus meum*, ſed addidit, *quod pro vobis tradetur*,ut bonitas inde appareret. Dixit Chriſtus,cum ſanguinem ſuum conſecraret,*Hic eſt enim Calix ſanguinis mei*,ſubiunxit vero *qui pro vobis & pro multis,effundetur*,ut inde conſtaret,quanta Dei bonitas in oblatione ſacri altaris contineretur.

Placet ſacrificium Euchariſticum Deo. Rom. 8. 32.

Adde,quod in ſacra paſſione crudeliter actum eſt,cum Chriſtus viuus ſuſpenſus fuerit, vexatus & cruciatus & torridus in Crucis ara apparuerit. Totum hoc ex decreto Patris,& ut eius conſilium ſanctum ac pium eſſe ſtatueret, inſtituit Chriſtus hoc ſuum incruentum ſacrificium, ut noſſent ex eo omnes, quid Deo, quid hominibus eſſet tribuendum. Eadem res,quæ offertur in Euchariſtia, offertur etiam in Cruce, in Euchariſtia quidem cum magna ſapientia ac prouidentia: ſicut etiam in paſſione, cui mira crudelitas, & barbara ſævitia acceſſit, non Deo, ſed hominibus tribuenda. Quod fuit ſęuum atque barbarum de eſſentia cruenti ſacrificij,non erat,cum viva eius imago,incruenta hoſtia nihil ſimile in ſe exprimat,ac repræſentet.

Quæſt. II.

Cur ſacræ paſſioni, & non conſecrationi affuiſſe fœminæ dicuntur?

RES notatu digna eſt, quod dum Chriſtus pateretur, mulieres patienti aſſiſterent. *Stabant autem iuxta Crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius,Maria Cleophæ & Maria Magdalene*: erant & alię pię fæminæ,& ſi non ita propinquę forent. De his nulla in cænaculo mentio, & ſi piè credatur, Beata Virgo ea nocte,qua Chriſtus tradebatur, etiam communicaſſe. Satis mirabile fuit,quod ſexus fæmineus abeſſet,quę cultu ſuæ devotionis tanti ſacrificij inſtitutionem celebraret. Et quidem nunc in ſanctis templis,in quibus ſacra fiunt, maiore ex parte ſunt fæminę,quæ illa colunt ac frequentant. Quid ergo cauſæ eſt, quod tunc admiſſæ non ſunt? Numquid tunc Chriſtus primos Sacerdotes voluit docere, ut a conſortio & colloquio feminarum abſtinerent?

Ioa. 19. 25

Chriſtus, in qua nocte tradebatur, magnos oſtendit animos tunc *de comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*: cum vero ad

Virtus Euchariſtica virilis.

ad sacram venit passionem, suam confessus est infirmitatem, *Spiritus* Matt. 26. 41. *quidem promptus est, caro autem infirma*, cui infirmitati, ut Pater succurreret, missus è cælo Angelus *confortans eum*. Accessit ad Cru- Luc. 22. 43. cem infirmus, & ita æger, ut *ex infirmitate* Crucifixus fuerit, quemadmodum scribit Apostolus. Ergò cum totus esset fortis & animosus ea 2. Cor. 13. 4. nocte, qua seipsum consecravit, nihil esse voluit in cænaculo fæmineum, Habuit hoc in monte Calvariæ locum, cum affixus lecto Crucis languores nostros Christus tulit, & ex summa infirmitate obijt. Oportebat etiam, ut natæ ad compassionem fæminę ibi essent, ubi tanta erat causa condolentiæ, qua tactæ patienti Christo compassæ sunt. Cum autem in cænaculo ageretur de Consecratione corporis & sanguinis Dominici, quæ non agitur a fæminis, sed a viris solis, præsentes illæ non fuerunt. Consecratio propria Sacerdotum est, passio vero communis viris & fæminis: *Viro*, inquit Clem. Alexand. libr. 4. Stromat. *pulchrum & honestum pro virtute & pro libertate & proseipso mori, ita etiam mulieri. Non est enim hoc proprium masculorum naturæ sed bonorum.* Adde quod cum consecratio exultandi occasio sit, non plorandi, qualis est passio, ad hanc, non ad illam convocandæ fęminæ erant, de quibus Chrysolog. Sermon. 79. Mulieres *mancipantur mæroribus, gemitibus addicuntur, & in lamentis tantum fortes sunt, quantum viribus inveniuntur infirmæ.*

Quæst. III.

Cur in cultum acerbæ passionis institutum est sacrificium?

INter cæteros alios errores, quibus antiquitas laborabat, unus erat, in cultum non solum bonorum, sed etiam malorum Numina sibi constituisse: Adorabant non solum sanitatem & salutem, sed etiam mala corporis, ut morbos, omnesque affectus contrarios sanitati venerabantur ut Febrim, Timorem sive Pavorem & similes alias affectiones. De Febri Dea ita scribit Valerius Maximus. *Febrim ad minus nocendum templis colebant, & Tull.* lib. 3. de natura Deorum; *Tantus error fuit, ut perniciosis etiam rebus non modo nomen Deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Febris enim phanum in palatio. & ædem Larum, & etiam malæ fortunæ Esquiliis consecratam videmus. Omnis igitur talis a Philosophia pellatur error, ut cum de Dijs immortalibus disputemus, dicamus digna Dijs immortalibus.*

Cultus laborum Christi. Colimus in Eucharistia bona, quæ in Christo patiente sunt, ipse enim est nostra iustitia, sanctificatio & redemptio, nostra salus est & nostra salvatio, quæ digna Deo sunt, de quo David; *Deus noster, Deus sal-* Ps. 67. 21. *vos faciendi.* Mirum autem illud est, quod cum in eodem Crucifixo tot miseriarum mala confluxerint, languores, labores, timor & pavor, & id genus alia, institutum sit Eucharisticum sacrificium, ut in eo religiose illa colamus.

Bona & mala Christi patientis connectuntur inter se, & mutuò a seipsis ita dependent, ut nec bona sine malis, nec mala sine bonis consistere queant. Hinc fit, ut Eucharistia utraque illa respi-

respiciat. In quorum cultum condita ipsa est, & eius cultor collimare debeat eò, ut tam bona, quam mala Christi putet esse divina, & illa suspiciat, quemadmodum Sermon. de Eucharistia admonet S. Laurent. Iustinian, & concludit, *Mira divinæ Sapientiæ dispensatio, miraque prudentia, ut illius tentationes a tentatione te liberent, eius te sanet infirmitas, ipsius obedientia te obtemperantem faciat, te vivificet mors, te spiritualem eius efficiat caro.* Providit hoc natura, sicut in Exameron advertit Ambrosius, ut quæ horremus in terris, amemus in aquis, leo dulcis in fluctibus, sicut & in aquis taurus & lupus. Habet hanc vim passio Christi, ut similis sit mari, in quo omnia dulcescunt, quæ dira & crudelia videbantur: *Dulce lignum, dulces clavi.* Hæc autem dulcedo nullibi melius, quam in Eucharistia percipitur.

Quæst. IV.

Cur sedens se offert Christus in mensa, stans in Cruce?

IMperatorem stantem mori oportere dixit Imperator Romanus, & Christus in Cruce stans per mortem se Patri obtulit, & de se fecit & confecit cruentum sacrificium. Hic idem ritus servabatur olim etiam in vanis sacrificijs, iuxta illud Virgilianum. *Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram*; Ubi Servius: *Stabit*, pro *placebit* interpretatur: tunc enim etiam apud verum Numen, aptum sacrificium est, cum animal dedicatum victimæ patiens invenitur. Quæ sunt animalia, nec habere possunt virtutem patientiæ, sed solum eius typum & umbram, & tamen Deus tanti facit patientiam, ut eius saltem speciem & imaginem requirat in victimis immolandis. Adde quod hoc ipso, quod hostia stans ad aram subito ictu percussa statim caderet, monebat homines cunctas res humanas, licet firmiter stare viderentur, subito & ex improviso cadere iuxta illud Ouidij; *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo, Et subito casu, quæ valuere, ruunt.* Moritur igitur Christus stans, tum ut doceat patientiam, tum etiam ut ostendat nihil esse posse stabile, cum & ipse cadat. Cur igitur Christus sedens & non stans se in Eucharistia immolavit, cum in ea mortis & passionis memoria recolatur?

Christus in Cruce stat per modum viatoris transeuntis, qui transit de hoc mundo ad Patrem, ac proinde habitus illi stantis convenit: cum vero se offert in Sacramento, æternum de se condit holocaustum, & idcirco per modum manentis & quiescentis illud instituit. Qui dicit, *Hic est Calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti*, firmiter sedet, & qui ait; Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, stare in consecratione non debet.

Sed quid dicemus de Sacerdotibus, qui stantes & non sedentes Sacrum faciunt? Stant tamquam ministri summi illius Sacerdotis, qui sedet a dextris Dei, & inde adhuc seipsum consecrat, adhuc dicit, *Hoc est enim corpus meum*, &, *Hic est Calix sanguinis mei*. Quamobrem Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*, & postquam sedisset, inquit, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Sacerdos Christi in æternū est, ministri vero tamquā viatores celebrant, & suæ memores mor

talitatis adhuc in uno situ altaris non consistunt, sed sępius moventur loco, manet Christus, qui æternum Patrem oravit, ut calix passionis transiret; consecrationis in æternum duraret, ideoque *novi & æterni testamenti* calix asseritur.

Cum autem cap. 22. Luc. Christus rogaverit. *Quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat?* maior est stantibus suis ministris. Quod si nocte cænę sederunt cum Christo ipsi, factum est ideo, ut scirent perpetuo eos non in mundo, sed in cęlo insigniẽdos sacerdostio. Subiungit propterea, *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Qui statis in altari celebrantes, sedebitis in regno meo præditi & insigniti sempiterno sacerdotij charactere è statu viatorum evecti ad culmen comprehensorum.

Quæst. V.

Cur de nocte in mensa, & de die in Cruce immolatio Christi facta est?

1. Cor. 11. 23. CHristus, *in qua nocte tradebatur,* tradidit seipsum in sacrificium altaris, & medio planè die seipsum immolavit, & suam oblationem in cruce consummavit. Quid nocti cum Eucharistia? quid diei cum sacrificio passionis?

Describit diem & noctem David Psalm. 103. *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. Catuli leonum rugientes, ut rapiãt, & quærant a Deo escam sibi. Ortus est sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperã.* Nocte illa postrema quasi bestię egressi è silvis Hebręi, & quasi catuli leonum rugientes prodierunt, ut Christum Dominum vorarent ac deglutirent? Dixerunt cap. 1. Proverb. *Deglutiamus eum, sicut infernus vivẽtem, & integrum quasi descendentem in lacum.* Dixissent melius. Ecce panis Angelorum, hac ipsa nocte factus cibus viatorũ, deglutiamus eum vivẽtem, more cælesti, ut vivamus, experti verum esse, quod promisit, *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Dixissent melius, *Hic est panis, qui de cælo descendit,* inde descendentem, & ad nos venientem integrum, vel post factam accidentium divisionem, comedamus: *Non confractus, non divisus integer accipitur.* Plus amor offerebat, quam ferale odium Hebręis promittebat. Offerebat de nocte, quo tempore animæ magis paratæ, magisque dispositæ sunt ad divina contemplanda. *Tunc anima,* inquit Clem. Alexand. lib. 4. Stromat. *cessans a sensibus convertitur ad seipsam, & est magis prudentiæ particeps. Propterea ergò sacra quoque mysteria maximè noctu fiunt, significantia eam, quæ noctu fit, animæ à corpore contractionem.*

Devoratores Christi Hebræi

Ioa. 6. 58.

Ioa. 6. 59.

Quies animæ in nocte.

Qui se de nocte offerebat, natus homo ad laborem erat, & *ad opus suum exiens* laboravit de die, & de die sacrùm vitæ suę holocaustum in cruce fecit & perfecit. Nec detrectavit diem, ut videretur, sed illum desideravit, ut eius improperia, probra & contumelias homines contemplarentur & simul in fide crescerent & augerentur. Fides est, ut Paulus dẽfinit. cap. 11. ad Heb. *sperandarum substantia, rerum argumentum non apparentium,* sed cum dicit Ecclesia, *Fides sit velut meridies, crepusculum mens nesciat,* de die, & in

& in meridie Christus moritur, ut nocturna fides, quæ est *argumentum non apparentium*, illustretur & illuminetur, & pariter consummetur. Consummata illa est per Christum offerentem se de die, idcirco Apostolus monet fideles cap. 12. ad Hebr. ut aspiciant *in Auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Erat Petrus in nocte fidei cum cap. 16. Matth. respondit. *Tu es Christus filius Dei vivi;* statim fuit ille in die cum cap. 17. *resplenduit facies eius sicut sol.* Erat Ioannes cum cap. 1. diceret, *In principio erat verbum*, & subiungeret, *lux lucet in tenebris* tunc in die, cum conclusit; *Vidimus gloriam eius.*

Quæst. VI.

Cur Christus de nocte, Ecclesia de die celebrat?

SEmel in anno celebrat de nocte Ecclesia, nimirum cum natus est Christus, descendit in mundum panis, & in civitate Bethleem apparuit. Quæ sic se accommodat vivi panis generationi, ut illum celebret eo tempore, quo editus ex Virgine est, cur non se aptat Consecrationi, ut & noctu sacrum faciat, sicut Christus fecit, siquidem tunc temporis nata est Eucharistia?

Christus natus est de nocte, sed apud Synagogam, cuius pastoribus revelatus est tunc panis Angelorum, & idcirco nocturnam hanc revelationem celebrat de nocte populus Christianus. Manifestatio vero Christi nati non de nocte, sed de die in civitate Bethleem, quæ domum panis signat, exhibita sibi est, & ideo solennem Epiphaniæ diem agit & colit, in eodemque memor tanti favoris rem divinam facit. Christus quoque adhuc in Synagoga degens *in qua nocte tradebatur*, accepit panem & seipsum immolavit, & idem ipse cum sua Ecclesia agens dicit c. vlt. Matth. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Non meminit noctium sed dierum, cum de sua in Eucharistia existentia loquatur, ac proinde congruum est, ut diurnum potius quam nocturnum hoc sacrificium habeatur & colatur. Accedit & ipsius Sanctę Ecclesię testimonium canentis in die festo corporis Christi: *Dies enim solennis agitur, in qua primò mensa recolitur huius institutio. In hac mensa novi Regis, nouum pascha nouæ legis phase vetus terminat. Vetustatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat.* Lux splendida Eucharistię noctem expellit, inducit diem, quem Dominus fecit festivum, lętum & fortunatum sacrę suæ merito passionis.

Dies Ecclesiæ.

1. Cor. 11. 23.

Celebrat de die Ecclesia, ut accedentes ad sacram Communionem iuxta monitum Apostoli cap. 15. ad Rom. *Sicut in die honeste ambulemus*: & 1. ad Cor. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Hæc dispositio pro antiquo agno paschali non requirebatur, quoniam noctu sumebatur. Quod si manna de nocte dabatur, & de die manducabatur, nihilominus, cum cibus esset corporalis & materialis, præparatione hac spiritali non indigebat, quam exigit Eucharistia, quæ spiritus & animæ rationalis mysticum & spiritale alimentum est, & simul sacrificium.

Quæst. VII.

Cur in Sacrificio Crucis extinguuntur luminaria cæli, & in Sacro accenduntur lumina?

CAndelarum & lucernarum usus, vel potius abusus pro statuis idolorum, eorumque obsequijs, & sacrificijs fuisse meminit Ieremias in Epistola, quam scripsit ad Iudæos, qui erant capti Babylone. *Lucernas*, inquit, *accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam videre possunt: sunt autem sicut trabes in domo.* Huius vsus, vel potius abusus, qui invaluit apud omnes gentes, causæ multæ esse possunt. Sit prima, quod cum sacra illorũ essent nocturna: & nõ diurna; in obscurioribus & penitioribus templorum partibus fieri solerent. Secunda pertinet ad vota, ad munera & donaria, quę dijs suis devovebant. Tertia pertinet ad ornatum templorum, quę accensis lucernis & cereis illustrantur & decorantur. Sit denique quarta causa, ut uterentur accensis lampadibus, ac facibus tamquam mysticis symbolis, quibus naturam deorum suorum significarent. *Quæ societas luci ad tenebras?* Qui malus abusus erat, usus laudabilis est lampadum, cereorum & candelarum pro aris & altaribus Ecclesiasticis, tum propter vota, & ornamenta, tum etiam propter symbola Christi se de nocte ad lumen candelabri immolantis & consecrantis.

2. Cor. 6. 14.

Adhuc autem manet quæstio, cur in sacrificio Crucis extincta sint luminaria cæli, & tamen in Missa, quæ est sacræ passionis repræsentatio, lumina accendantur. Christus sol est, *Ego sum*, inquit, *lux mundi*, stella est, *orietur stella ex Iacob*, & apud Davidem *luna perfecta est*: cum igitur sol, stella & luna occiderent in Sacrificio Crucis, oportebat, ut omnia cæli luminaria extinguerentur. Verumenimvero cum in Eucharistia nec mori nec extingui queat, oportet, ut coram venerabili Sacramento lampades, faces & cerei ardeant.

Ioa. 8. 12. Num. 24. 17. Ps. 88.

Cæli, enarrant gloriam Dei, per Symbola superiorum luminarium, & altaria per symbola suorum luminum indicant excellentiam sacrosanctæ Eucharistiæ, ut sicut astra lucem, quam in se habent, in terras refundunt, sic & ex alto suam Deus communicet nobis gloriam, idcirco gratias agentes dicimus: *Gratias agimus tibi propter magnã gloriam tuam*: Sic & cerei conceptum semel lumen spargunt, & declarant Christum in Eucharistia, quicquid in se habet, affluenter elargiri. Nihil habet quod Patri non offerat, nihil offert, quod nobis non conferat.

Psa. 18. 1. *De gloria Eucharistia sunt candela.*

Erit nescio quis curiosus, ut dicat præstare sacram oblationem fieri in conspectu solis & luminarium cælestium, cum illa non consumantur, cerei autem & candelæ luceant, diffluant & evanescant, Christus vero in hoc sacrificio nunquam esse desinit, sed semper perseverat, *Sumit unus, sumunt mille: quantum isti, tantum ille, nec sumptus cõsumitur.* Quo pertinet magnificum testimonium, quod de hoc sacrificio dedit S. Andreas Apostolus coram Proconsule Ægea, *Ego*, inquit, *omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cuius carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit; Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat.* Si Deo placuisset, facere potuisset, ut candelę non consumerentur, sicut & Atrebati candela est, quæ

sæpe

sæpe ardet, & integra semper & eadem permanet. Cum autem in Eucharistia agatur memoria passionis, in qua vel ipsa luminaria quasi consumpta sunt, non dedecent, sed decent potius hoc sacrificium lucernæ, lampades, candelæ, & cerei, qui dum in altari ardent, extenuantur, & consumuntur, declarant, quomodo Christus in hoc sacrificio *exinanivit semetipsum*, iuxta sensum Apostoli scribentis ad Philipp. & in hunc sensum exponentis Dionysij Alexand. in Epist. ad Paulum Samosat. *Hæc est*, inquit, *Dei exinanitio, ut admittamur ad capiendum eum.* Declarat quoque ardens candela, qualis sit unio inter Eucharistiam & animam. Huc pertinet id, quod ait Cyrill. Alexand. lib. 4. in Ioan. cap. 17. *Sicut enim si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera commisceat, necesse est: sic qui carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inveniatur.* Liquefit Christus amore, liquescat & anima, ut perfecta unio fiat, sicut liquefiebat David cum diceret Psalm. 21. *Factum est cor meum sicut cera liquescens in medio ventris mei.*

Phil. 2. 7.

Quæst. VIII.

Cur de sapore cælestis manna & non de odore eius sit mentio?

SAtis frequens mentio est in sacris literis de dulcedine & sapore cælestis illius manna, quo Deus Israelitas suos in deserto aluit & sustentavit, nescio tamen quod in tota divina scriptura vel minima mentio fiat, cuius nam esset odoris & fragrantię, ut recrearet olfactum. Nec dubium quin suaveolentia in epulis grata sit atque iucunda. Quapropter Iacobus instructus magisterio matris suæ Rebeccę, ut epulum suum magis gratum redderet Isaaco patri, vestes odoriferas induit, quarum fragrantiam quam primum sensit Isaacus, exclamavit; *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

Gen. 27. 27.

Nullum Deo sacrificium placet, in quo suaveolentia desit, & omnia sacrificia, quæ olim fuerunt, in odorem suavitatis Deo immolabantur, & ab eo sic oblata & immolata acceptabantur. Et nūc quoque in Sacræ Eucharistiæ oblatione dicimus; *Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuā deprecātes clementiam: ut in conspectu divinæ maiestatis tuæ pro nostra & totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.* Nulla igitur de odore in manna mentio, quia non erat victima nec hostia, sed tantum cibus & alimentum. Christus, cui assimilatus est patriarcha Iacobus, cęlesti Patri suo manna corporis & sanguinis sui ita obtulit, ut & esset sacrificium oblatum in odorem suavitatis, quo recreatus Pater diceret, *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni.* Quanti hoc æstimet Pater, declarat Synagogæ. Psalm. 49. *Non accipiam*, inquit, *de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, iumenta in montibus & boves. Cognovi omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est.* Hęc pulchritudo agri tota sacramentalis est, quæ antiquis victimis & holocaustis præstat, ac pręvalet.

Sacrificiū in odorem suavitatis

Verus Iacobus Christus est, qui vestimentorum fragrantiam in sacrificio diffundit ita longè, ut dixerit David Psalm. 44. *Myrrha, gutta & casia a vestimentis tuis a domibus eburneis, in quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo*: & Sponsa Cant. 1. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.*

tuorum. Ita quidem currunt animę Fidelium ad templa, ut sacrum audiant, in quo tanti suavitate sacrificij pascuntur ac recreantur. Non ita trahebat manna, cum esset in arca veteris testamenti. Semel in anno Sancta Sanctorum, ubi manna erat, Sacerdos ingrediebatur, ut accepti illius beneficij memoriam ageret, non sacrificij. Agitur nunc de Christo vero Iosia, quem prospiciens Ecclesiasticus cap. 51. inquit; *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & ut musica in convivio vini.*

Quæst. IX.

Cur in altari, in quo sacrificium Eucharistiæ celebratur, sunt sanctæ imagines?

ERat manna in arca veteris Testamenti, & in eo templo, in quo ipsa erat, nulla apparebat imago, non modo prophana, sed nec sancta sive Prophetę, sive Patriarchæ, cum tamen magna esset copia Divorum in illo populo. Erant Abrahamus, Isaacus & Iacobus, erant Reges David, Ezechias & Iosias, erant vates Isaias, Ieremias, & complures alij, quorum effigies dignæ sunt, ut in templis constituantur, & colantur. Quod si nulla similis imago ibi apparebat, ubi erat manna typus sacræ Eucharistiæ, quæ causa est, ut ubi nunc ipsa veritas est, tot statuæ, & tot Sanctorum icones collocentur?

Viua Christi repræsentatio.

Cum Deus in imagine erat, nullas admittebat effigies, ne ulla esset statua in templo, cuius cultu debiles in fide animi Iudæorum ita traherentur ut Dei sui obliviscerentur, & arbitrarentur, more gentium, quid divinum esse in simulacris maiorum, & divinos illis exhiberent honores. Deus nunc in templo sancto est non in effigie, sed in veritate suę divinitatis & humanitatis, & ubi veritas est, nullum patitur nocumentum ab imaginibus suorum Sanctorum. Cessat in Ecclesia periculum, quod erat in Synagoga, quoniam longe alia est unius & alterius fides. Ecclesiastica fides fortis & animosa, & ita colit, ac veneratur imagines Sanctorum, ut non minuant, sed augeant obsequium, & reverentiam debitam Christo in sacra Eucharistia. Hęresis Calviniana, quæ aberrat a tanti mysterij veritate, & comminiscitur in cæna Dominica solum fuisse & esse per figuram Christum consecratum, similes imagines non patitur, & earum cultores idololatras esse statuit. Hic error eorum, qui reformatam sectantur ecclesiam a vera Ecclesia deficientem & accedentem ad antiquam Synagogam, cuius religio tota in figuris & umbris posita erat. Et quidem in templo Synagogę Deus tunc per sacrificia & alia sancta ministeria colebatur & honorabatur, nunc autem in templis vanis & prophanis hęreticorum nullus Dei cultus est, solum in eis errantes oves inani vento prædicantium alliciuntur, & reficiuntur, similes ouibus, quarũ meminit lib. 1. Valerius Max. prope fin. Cum illæ sitiunt, ad aquas non recurrunt, ascendunt vero montem, in cuius culmine aperto ore ventum hauriunt, cuius flatu se refrigerant, & suam sitim extinguunt. Erat instar ovis David, nec ille vento pascebatur, sed aqua, cum dixerit Ps. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me.* Quod si Psa. 118. ait, *Os meum aperui & attraxi spiritum: hic spiritus vocem divinitatis secum affert, quæsitis extinguitur.*

Quęst.

Quæst. X.

Cur Deus pro Eucharistia habere multa templa velit?

DEus olim uno gaudebat templo,in quo multa sacrificia fiebant,& nunc cum una sit hostia,una victima multa vult habere sanctuaria, & illa habet magnifica in toto terrarum orbe,Numquid dissimilis sibi Deus,ut modò unum,modò plura exigat templa? Quod si Deus, ut unum se esse ostenderet,unam sibi sacram domum elegit,cum unum sit sacrificium post mortem Christi,& hoc Eucharisticum sit,in uno solo templo celebrandum videri possit.

Verumenimverò cum unum sit sacrificium, & hoc ita multiplicetur, oportebat,ut & sacraria,in quibus fieret panis & vini consecratio, augerentur,atque multiplicarentur. Cum unum sit holocaustum uni Deo dedicatum,eius unitas divina per hanc multiplicationem non destruitur,sed adstruitur,non infirmatur,sed confirmatur & roboratur. *Multiplicatio Eucharistiæ.*

Apud Philonem lib. de Somnis templum Dei est *hic mundus,cuius sacerdotium est penes Dei sermonem primogenitum.* Verbum, quod erat apud Deum venit in mundum,ut illud sacraret Deo,& quidem totum illum sacrum fecit per tot templa,quę in toto planè universo constructa & fabricata sunt,& in quibus una hostia pura & immaculata Deo immolatur, & de qua Deus ipse gloriatur cap. 1. Malachiæ, *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus omnipotens.*

Construxit de se humanitas Christi pro divinitate templum unum, unum & pro suo more Deus sacram sibi datam ædem compensavit. Hic divinus mos est,ut Deus centuplum pro vno reddat;& sacræ suæ humanitati pro una sibi collata habitatione, centena & centena templa habeat, in quibus consecretur, colatur,& adoretur. Ille de quo cap. 1. Ioan. *In propria venit, & sui eum non receperunt*, quinimmo eiecerunt extra vineam,ut eum occiderent, non reijcitur,sed recipitur ab Ecclesia, in cuius templis consecratur.

Quæst. XI.

Cur nullus usus salis in sacrificio altaris?

QUam serio Deus præcipiat,ne sal desit in Sacrificijs satis constat. cap 2. Levit. in quo Deus ipse loquitur in hæc verba; *Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.* Nec solum apud verum Deum tanti habitum est pro Sacrificijs sal,sed etiam apud falsorum Numinum veneratores, ut tradit lib. 31. c. 7. Plinius, qui cum varijs encomijs naturam salis exornasset; hanc esse salis laudem præcipuam voluit,quod tantus eius usus in sacrificijs foret: *Vita*, inquit, *humana sine sale nequit degere, adeoque necessarium elementum est, ut transierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita*

ita sales appellantur: omnisque vita lepos, & summa hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo constat. Honoribus etiam militiaeque interponitur salariis inde dictis, magna apud antiquos auctoritate, maxime autem in sacris. Tantam habuit æstimationem, ut sal divinum apud Homer. Iliad. 10. nuncupetur. Qua super re multa legi possunt apud Plutarch. Sympofior. lib. 5. quæst. 10. Sal igitur non solum in prophanis, sed etiam in sacris hostijs auctoritatem habuit, & satis mirabile est, quod a sacrificio Eucharistiæ sic arceatur.

Sapor Eucharistiæ. Antiqua sacrificia insulsa & insipida erant, & indigebant magno condimento salis, ita insuavia erant divino palato, ut dixerit Deus. *Psa. 49. 13* *Numquid manducabo carnes taurorum, & sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis.* Hoc sacrificium Eucharisticum est, unde & in Canone Missæ dicimus, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui offerunt tibi hoc sacrificium laudis.* Hoc suavissimum, hoc per se dulcissimum est, nec eget vel minimo sapore salis, ac proinde exulat ab illius oblatione. Sal excitat sitim, & antiqua sacrificia sale condiebantur, ut appeterẽtur. Eucharistica hostia, quæ sola & unica sufficit, nec est cur aliam hostiam offerendam sitiamus, nec Deus ipse aliam imposterum victimam postulet & exigat.

Adde, quod ut ait Philo lib. de somnis, *Sal res est parum solida.* Adhibebatur igitur olim sal veteris sacrificijs legis, ut indicaret quam illa parum solida essent. Nihil magis firmum, nihil magis stabile, quam oblatio sacramẽtalis, ac proinde facessat hinc inanis & vana natura salis, adsit firma & stabilis petra typus & imago stabilitatis, *Psa. 15. 80* *Cibavit eos ex adipe frumenti & de petra melle saturavit eos.* Petra solida est, ex qua altaria sacra conficiuntur in nouo testamento, in antiquo vero vana erant & inania non exterius aspicientibus, sed interius penetrantibus. Mandavit Moysi Deus Exod. 27. quale esse deberet altare, *Non solidum,* inquit, *sed inane & cauum intrinsecus facies illud, sicut tibi in monte monstratũ est.* Quale erat altare, tale & sacrificiũ, intus vacuum & inane. Scio D. Petrum Apostolum in simili altari consecrasse, & hoc ideo factum est, ut Synagoga cum honore sepeliretur. Accessit, quod cum Apostolus necdum fixam ac firmam haberet sedem, pro commoditate itinerum cavo in formam arcę altari uteretur.

Quæst. XII.

Cur in sacro debeat esse silentium?

CUm Christus perageret in Cruce sacrificium, quantus esset ibi clamor, nemo est, qui nesciat: & tamen dum colitur Sacrificium in Missa summum exigitur silentium. Solennis olim mos erat, ut in templis cum victimæ immolarentur, non liceret loqui. Hinc illud Virgilij *Fide silentia sacris.* Hinc illud Tull. li. 1. de Divin. *Maiores nostri omnibus rebus agendis quod bonũ, faustum, felix, fortunatũque esset precabantur, rebusque divinis, quæ publicè fierent, ut faverent linguis, imperabatur.* Linguis favere, idem quod silere, & qui Christo in sacra Crucis oblatione favebant, omnino tacebant: illi vero, qui Christo adversabantur, dicaces & loquaces erant. Aderat imprimis B. Maria, aderat Ioannes, aderant & sanctæ mulieres, nec tamen vel unum proferebant verbum, & silentio suo docebant, quomodo esset favẽdum sacris mysterijs Redemptoris, amatoris, & zelatoris silentij in Cruce, & in mensa, ubi tempore etiam institutionis, qui aderant Apostoli, nec verbum quidem locuti sunt.

Quan-

Quando hostia cædebatur, nephas olim erat fari, ut tradit Macrobius, & hoc quidē apud prophanos, & magis multo apud Christianos. Dolendū tamen est, quod contra omne phas ita in templis, dum Sacra celebrantur, loquaces & dicaces, pręsertim aulici ita garriant, & garriendo eos imitētur qui Christo offerenti se in Cruce conabantur sermonū, & clamorū strepitu imponere impedimentū, quominus celebraret. Longè aliter se habent devoti silentiarij imitatores planè B. Virg. & Apostol. qui tacendo promovebant sacrificium, quod tunc celebravit, & nunc adhuc celebrat in altari. ***Cultus silentij.***

Qui ad Sacrum venis, Tace & audi. *Præceptum pulcherrimum*, ut ait Philo li. de Rerum divin. hæred, *Inscitia res mala temeraria que, cuius primum remedium est auditoris silentium, secundum attentio ad ea, quæ auditu digna sunt. Cave autem, putes aliquid nihili docere hac verba, Tace & audi; maius quiddam est, quod monent. Non enim solum linguæ silentium postulat, & auditum aurium, sed utrumque ab anima exigit: nam multi aures, non mentem afferunt in auditorium, ipsi foris interim vagantur, & multa de multis apud se ipsos agitant, ad cognatos, alienosve, aut etiam ad ipsos pertinentia, quæ præstaret ad tempus missa facere.* Faveat igitur linguis, corporis & animæ, qui venit, ut audiat Sacrum, cuius initia celebrata sunt, cum panis descendit è cælo, & Angeli cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo.* Tunc Pastores & Reges adstantes Christo summum silentinm servarunt, & cætera, quæ ad se & suos pertinebant, planè missa fecerunt. Huc pertinet vaticinium & oraculum Isa. c. 32. *Et erit opus iustitiæ pax & cultus iustitiæ silentium. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Hic populus Christianus est, qui in silentio colit Deum. Magnus Alexander erat, & ut scribitur Machab. c. 1. *siluit in conspectu eius universa terra.* Nec illi nec cæteris, Regibus debetur ex iustitia cultus similis, debetur Deo, debetur incarnato & consecrato *Cultus iustitiæ silentium.*

Quæst. XIII.

Cur in Sacro tot ritus & ceremoniæ?

HUmana & prophana aula plena ritibus ac ceremonijs est, unde & orta tanta superstitio, quanta in ritibus & ceremonijs, in cultu falsorum deorum visa est. Nec quidem apud veteres ulla sine ceremonijs religio: *Religio est*, inquit Cicero de Invent. *quæ Dei curam, ceremoniamque affert:* & rursus, *Religionem eam, quæ in metu & ceremonia Deorum sit, appellant.* Cum idola nihil aliud essent, quam id quod foris ostendebant, mirum non est, quod exterioribus ceremonijs ac ritibus celebrarentur, & convenit in hac parte cum idolatria aula, quæ in specie externa consistit, habetque præterea nil, consequenter gaudet usque ad superstitionem reverentijs exterioribus. Longè alius Deus est, longè alia eius aula, ubi veri adoratores in spiritu & veritate Deum colunt, cur igitur tot ritus, & ceremonię in Sacro exhibentur, & usurpantur?

S. Th. 1. 2. q. 99. a. 3. refert quosdam fuisse, qui ceremonias existimarent dictas a Cerere, quasi Cereris munia, sive ut uno verbo dicā Ceremunialia quod Ceres frugum dea prima ferè omnium fuerit culta, & quod sacra illa cerealia omnium sint antiquissima & sanctissima habita: Unde & Cicero pro Cornelio Balbo, Sacra Cereris summa dixit religione ceremoniaque confici fuisse solita. Christus verum panem invenit non Ceres, a qua gloriā immeritam & simul ceremonias captivas abstulit, & per illas in Eucharistia triumphat. Quo maior est numerus captivorum, eo gloriosior triumphus ***Ceremonia, unde dicta.***

umphus est,& quo plures sint in Ecclesia ceremoniæ, eo illustrior est victoria summi Sacerdotis Christi. Adde, quod cum pateretur in Cruce Christus, plurima improperia toleravit,& oportebat, ut eorum loco externi ritus cultus & reverentiæ succederent.

Cum dicat David de Ecclesia, Psalm. 44. *Omnis gloria filia eius Regis ab intus circumamicta varietatibus*, externas omnes ceremonias existimarem aurearum fimbriarum instar esse, quibus omnibus superior est gloria, quam intus apud se habet, cum in spiritu & veritate Deum colit & adorat. Ubi spiritus est, ibi & vivificatio est. Spiritus est, qui externas illas ceremonias vivificat, sine quo plane emortuæ sunt. Quæ causa est, ut in Sancta Ecclesia ritus & ceremoniæ adhuc vigeant,& apud hæreticos sint extinctę. Defuit quippe illis Spiritus, quo alebantur & vivificabantur. Ceremoniæ autem mundanæ & prophanę differunt ab Ecclesiasticis, non secus quam ignis & fumus. Calefacit ignis,& ritus Ecclesiastici ignei sunt, quibus calor Christianæ devotionis alitur & fovetur. Fumosę ceremoniæ sunt aulę & aulicorum, quæ in nihilum abeunt,& sępè eos, quos nihili interius faciunt, exterius cum maiore ambitione colunt & adorant. Qui adorantur sic & coluntur, inani fumo pascuntur.

Quæst. XIV.

Cur tantus usus incensi in solennitate Sacrificij.

NUlla erat in antiquis sacrificijs solennitas sine thure & sine incenso, cuius usus pręcipitur & pręscribitur a Deo Levit. ca. 2. & cuius abusus multa sunt argumenta apud ethnicos in suis vanis hostijs ac victimis. Et quidem Augustus, teste Suetonio, instituit ut Patres Curiam ingressi, priusquam sederent, thure & vino sacrificarent. Ad quod alludens Plinius lib. 22. c. 24. *Odorum*, inquit, *causa, unguentorumque & deliciarum, si placet etiam superstitionis causa emantur* (scilicet Indicæ, Arabicæque merces) *quoniam thure supplicamus*. Erravit Augustus, nec errare Christus potuit, qui non incensum & vinum, sed panem & calicem consecravit, priusquam ingrederetur passionem, in qua ascensurus tribunal Crucis erat, ut de mun-
Ioa. 12 31 do,& de eius principe decerneret, ac definiret; *Nunc iudicium est mundi*, & eadem opera, *de peccato damnavit peccatum in carne sua.* Antequam ad hanc sententiam procederet, panem & vinum obtulit, sed sine thure & sine incenso, cur ergo opus est in Eucharistico sacrificio thure vti, quo Christus ipse usus non est?

Testificatio divinitatis. Matt. 2. 11

Christus idem est in Eucharistia, qui fuit in Epiphania Regum,& idem illi debetur cultus, qui exhibitus est a Magis, cum, *procidentes adoraverunt eum,& apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus & myrrham.* Triplicis oblationis mysteria nota sunt, ut myrrha hominem, aurum Regem, & thus Deum esse Christum indicaret. Igitur, quoties in Sacro fit thurificatio, toties fit protestatio ac manifestatio deitatis ac divinitatis, quæ est in altaris sacrificio. Quod si non solum super oblata ceremonia thuris fiat sed etiam interdum super assistentes personas, illę monentur sublimis dignitatis & conditionis acceptæ beneficio Christi, qui *dedit eis potestatem filios*
Ioan. 1. 12 *Dei fieri*, ut huius divini sacrificij participes, cōsortes divinę naturę evadāt.

Thus masculum & fæmineū est,& ut ait Plin. li. 12. c. 14. Religioni fuit tributū ne sexus alter, nisi masculus usurparetur, quod etiā probari ait *candore, amplitudine, fragilitate, carbone, ut statim ardeat.* Quale incensum, tale & sacri-

sacrificium, masculum propter virtutem, candidum propter deitatem, amplum propter efficaciam, fragile propter passionem, ardens propter charitatem, qua Christus, *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos,* suum sacrificium instituens. Quale & sacrificium, tales & eius cultores, masculi virtute, candidi moribus, profusi donis, dociles conditione, accensi dilectione. Qui tales sunt, mysticum secum portant ad altare incensum, quod statim ardet, sicut ostensum legimus in magno Basilio, qui dum celebraret, supra sacrum eius verticem globus igneus apparebat. Ioa. 13. 1.

Quæst. XV.

Cur in sacro Sacerdotes manus lavant?

Ritus Pharisaicus erat, ut illotis manibus nemo ad mensam sederet, & magno piaculo ducebant Scribæ & Pharisæi, ut Apostoli non prius lavarent manus, quam cibum sumerent. Hinc illa apud Christum criminatio Matth. 15. *Quare discipuli tui non lavant manus, cum panem manducant?* Hæc accusatio non solum pertinuit ad discipulos, sed ètiam ad ipsum Christum, qui similia in schola sua facere permittebat. Ludicram & frivolam Christus censuit obiectionem illam esse, ac proinde recurrit ad seria, docens accusatores non in nitore manuum, sed in munditia cordis & animæ curam omnem esse ponendam. Cur ergo nunc in Ecclesia quoties celebrant Sacerdotes post factam hostię & calicis oblationem manus abluunt?

Sacerdos in altari non simpliciter lavans manus, sed in earũ ablutione satis declarat mysticum quid in ea ceremonia contineri, cum unusquisque eorum dicat cum Davide Psal. 72. *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.* Unus ex innocentibus esse cupit, ut mundo corde & animo sanctum peragat sacrificium. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius,* ut in eo digne sacrificet? *Innocens manibus, & mundo corde.* Huius ablutionis auidus præmisit Psalm. 50. David. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me:* præmisit. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Si hæc duo præmittantur, certus de grata immolatione concludit David, *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.* *Ministrorum puritas.* Ps. 23. 4.

Quod si indignus Sacerdos sit, & indignè celebret, *reus erit corporis & sanguinis Domini*: & cum lavat in altari manus & dicit; *Lavabo inter innocentes manus meas,* similis erit Christicidæ Pilato, qui cum eum morti addiceret, lavit manus, dixitque Matth. 27. *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Hæc ficta, hæc ementita innocentia ad omnes pertinet peccatores, inter quos vix unus esse deprehendetur, qui se innocentem esse non sentiat, etiam cum delinquit, & in Deum peccat. Dum vivimus, in carcere sumus, & captivorum more fatemur ac profitemur innoxios nos omnes esse. Talis erat Pharisęus, talis & Pilatus, sed ut ait David Ps. 9. *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Hier. in hunc locum, *Vnusquisque peccator ipse sibi secum portat & funes & vincula & tormentum, unde sustineat mala, nam ab alijs non est necesse præparari, cum ipsi sibi præparet, quæ ad pœnam pertinent.*

Quæst. XVI.

Cur Petrus & Ioannes eliguntur Præcursores Eucharistiæ?

ANtequam Christus se immolaret in mensa & in Cruce; præmisit Petrum & Ioannem, ut essent præcursores utriusque sacrificij, ait enim D. Lucas, cap. 22. *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha, & misit Petrum & Ioannem dicens: Euntes parate nobis pascha, ut manducemus.* Cur potius Petrus & Ioannes, quam alij Apostoli ad hanc legationem mittuntur? Agitur de mensa cæna, apti ad illius ministerium videri possent Philippus & Andreas. Philippus, cui dixit in deserto Christus, *Vnde ememus panes, ut manducent hi,* Andreas, qui septem panum a puero servatorum notitiam dedit. Quod si mittendi forent Petrus & Ioannes, videretur è re esse, ut non omitteretur Iacobus, qui individuus fuit utriusque socius in Archisynagogi domo, in transfiguratione montis Thabor, & dein in oratione horti: cur omittitur iste, illi mittuntur?

Ioa. 6. 5.

Assonat Eucharistia Ioannes.

Pro natura & conditione Dominici Sacrificij designantur Petrus & Ioannes præcursores. Christus duo fecit sacrificia, cruentum unum, alterum vero incruentum: cruentum in Cruce, incruentum vero in mensa. Pro duplici immolatione duo præcursores eliguntur, & sufficiunt, ac proinde Iacobus omittitur, Præferuntur alijs Apostolis Petrus & Ioannes, quorum exitus ac fines conveniunt cum fine & exitu Christi, qui cruentus & incruentus discessit. Discessit in Cruce cruentus, cuius martyr & testis Petrus Apostolus est, qui proprio sanguine cruentatus per Crucem Deum glorificavit. Christus ante se obtulit incruentum, totum in amore positum, cuius index & testis Ioannes, nec Cruce Petri, nec Iacobi gladio peremptus est, elanguit amore, & extrema voce prolata, *Filioli diligite alterutrum* sine sanguinis effusione feliciter obijt. Vterque itaque Ioannes Baptista & Evangelista Procursor Christi fuit, unus incarnati, alter consecrati, unus ostendit visibilem Deum, alter invisibilem; ambo Dei Agno servierunt, & nobis illum, sed diverso modo, indicarunt, ac ministrarunt.

Quæst. XVII.

Cur in aliena domo Christus consecrat?

PRæcepit Christus Petro & Ioanni cap. 22. Lucæ, ut quærerent domum, in qua celebrare pascha posset, cumque illi rogarent, *Vbi vis paremus?* Respondit Christus, *Ecce introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum, in quam intrat, & dicite patri familias domus; dicit tibi Magister, ubi est diversorium, ubi pascha cum Discipulis meis manducem?* Hæc aliena domus erat, & in hac Christus seipsum consecravit, cur non in templo, quę domus paterna erat, & ad ipsum pertinebat? Hoc tunc ipse testatus est Luc. 2. cum dixit Matri; *Quid est quod me quærebatis, nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?* Quæ verba non solum de negotijs Patris, sed etiam de eius ædibus accipienda sunt. Adhuc clarius domum Patris suam appellavit domum

domum, cum dixit, *Domus mea domus orationis est*. Oporteret igitur in sacra sua æde celebrare, & non in aliena domo seipsum consecrare.

Templum Ierosolymitanum, quod erat sub Synagoga, Christi erat, sed ab illo proximus passioni per vim expulsus est, Ioan. 8. *Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exivit de templo.* Cum esset expulsus a propria domo, quærebat alienam, & in ea suum sacrificium fecit pro sua nobili conditione favens domui, in quam tamquam in alienam admissus est. Sic admissus a Zachæo & Matthęo, a Martha & Maria, domesticis benè voluit & fecit.

Non sine mysterio datur pro signo domus inveniendæ, *homo quidam amphoram aquæ portans*, aqua quippe lustralis in illa amphora pręfigurabatur. Certum prognosticō per sacrum Baptismum aperiendam fore ianuā in Ecclesia, ut Christus in ea seipsum consecraret & immolaret, reiecta Synagoga, quæ per vim a propria domo expulit Dominum, & coegit, ut fugeret, & ad Ecclesiam confugeret. Huc pertinet id, quod refert Marc. cap. 14. accidisse tempore sacræ passionis, *Adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille reiecta sindone profugit ab eis.* Credendum est id non casu contigisse, sed ex consilio, ut sub illo adolescente Christus intelligeretur, qui profugit a Iudæa, & se in Ecclesiam recepit. Qui fugit, terga vertit, & Christus non converso sed auerso vultu a civitate Ierosolymitana crucifixus est. Et quidem satis mirum est, quod cum clavis in Cruce teneretur, fugere a Iudęa posset, fugit tamen ad Ecclesiam, secum trahens nexus & vincula simul cum Cruce, cui fuerat alligatus. Alligatus erat Sampson nexibus, & vinculis Dalilæ, & tamē manus Philisthęorum effugit. Fregit ille vincula, Christus non fregit, sed illa secum rapuit, integra retinuit & servavit, & evasit. Hæc est Ecclesiæ felicitas, ut ita sit vinctus, ut semper apud illam maneat sine ullo periculo fugæ, cum dixerit ipse c. 28. Matt. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Manet nobiscum, & manebit perpetuò in Eucharistia,

Quæst. XVIII.

Cur non in civitate Bethleem, sed Ierusalem Christus se immolavit & consecravit?

CHristus deditus passioni è cælis in terras venit, & appulit in civitatē Bethleem, quę domus panis est, nec locus aptior pro illo, qui dicit de se, Ioan. 6. *Ego sum panis vivus:* & iterum, *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Tota vita Christi quid ni sancta immolatio, & sacra quædam Missa fuit? Tunc illa inchoata est, cum Christus ex utero Matris egrediens sacris ornamentis indutus intravit stabuli templum, & ascendit ad præsepe altaris. Cecinerunt Angeli Sacrum, cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo.* Non alibi, sed ibi videretur consecrandum, ubi inchoatum fuerat sacrificium. Cur ergo Christus Bethleem pro nativitate, & pro sui consecratione & immolatione Ierosolymam elegit?

Magnum prælium commissum est Ierosolymis, *Mors & vita duello conflixere mirando*, stetitque pro vita victoria, stetit pro Christo, qui sua morte mortem superavit & debellavit. Solennis est in prælio mos, ut eo loco, quo parta victoria est, erigantur trophæa, ac triumphalia monumenta, *Locus prælij & triumphi.*

 pro

pro gloria & memoria triumphi atque triumphatoris. Cum igitur Christus de morte & eius confœderatis, nimirum peccato dęmone, insignem victoriam Ierosolymis comparaverit, in ipsamet civitate gloriosi trophæi instar erexit sacrosanctam Eucharistiam, quæ esset memoria passionis suæ, unde & dicit, *Hac quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Unde & memores tantæ victorię, statim post consecrationem hostiæ & calicis erigimus & elevamus in altum calicem & hostiam, ut erectum trophæū totus videat populus, & applaudat victori, qui & suis virtute sui sacrificij promittit de morte triumphum; *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Ioa. 6. 59.

Postquam Sacerdos cępit suum sacrum facere, non quiescit in uno altaris loco, sed in varias partes se movet, more Christi, qui suum cępit sacrificium in civitate Bethleem, sed non ibi quievit, sed transit inde Ierosolymam, ut in ea, quod cæperat mysterium, concluderet & absolveret. Nec dubium, quin Christus à sua nativitate cruentum & incruentum suum inchoaverit sacrificium. Deditus passioni nascitur, & patitur etiam effusionem sanguinis, cum octavo die circumcidatur. Erat in Matris ulnis tamquam in Cruce, & idcirco S. Epiphanius *Crucem* appellat Mariam. Cæpit a Matre sacrificium, quod postea in monte Calvariæ consummatum est. Consummatum quoque fuit nocte cænę sacrificium incruentum, siquidem instar panis apparuit in Bethleem offerens se Patri idem ipse, qui se Patri sacravit, ac consecravit in Ierusalem.

Quæst. XIX.

Cur variatur color in ornamentis Altarium & Sacerdotum?

EVcharisticum sacrificium, quod in sacris altaribus a Sacerdotibus Eucharisticis conficitur, unum & eundem tenorem servat, quid ergo opus est, tot coloribus uti pro sacris vestibus Sacerdotum & altarium? Proprius Christi color est albus & candidus, & idcirco sancta mater Ecclesia illo utitur, cum celebrat omnes Christi solennitates ab eius incarnatione usque ad mirabilem Ascensionem. Quo ipso colore in Festo Corporis Christi ornatur, & ornat Ecclesia Sacerdotes pariter & altaria. Ergo cum candidus color ita conveniat Christo, etiam in sacra ara videbatur retinendus ac conservādus, nec opus esse iam violaceo, iam viridi, iam albo, iam rubeo & etiam nigro colore uti, pro diversitate temporum & Festorum.

Multiformis gratia

Sanguis Christi immolatur in altari, cuius pretiosa pluvia signabatur, cum *pluit* Deus manna, & à Davide simul promittebatur, cum Psalm. 67. diceret, *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ*. Cum cadit pluvia una est, sed varios mutat colores pro varietate plantarum, quas rigat & fovet: viret in pratis, rubet in rosis, albicat in lilijs: sic & Christi sanguis virescit in pratis virtutū, rubescit in Martyribus, candicat in Confessionibus & Virginibus. Habet in hac parte Eucharistia consonantiam cum Spiritu sancto, cuius conditionem prędicta similitudine pluviæ explicat Cyrill. Ierosolym. Catechef. 16. *Vna*, inquit, *pluvia in universum descendit mundum, quæ alba fit in spinis, rubra in rosis, purpurea vero in hyacinthis. & in*

in diversis speciebus diversa, & in omnibus sit omnia, sic Spiritus sanctus, cum sit unus & idem, unicuique dividit gratiam, prout vult. Non quidem sine mysterio ex latere Christi *exivit sanguis & aqua*, ut de sacro eius cruore tamquā de aqua sentiremus, qui cum sit unus & idem, attemperat se Sanctis suis, & eorum colores induit. Hoc ipsus accipit immolaturus Sacerdos, ut cum in albis celebrat sacrificium, consideret se transfiguratum in Christum, *Cuius vestimenta facta sunt alba sicut nix.* Matt. 17. Cum induitur rubris, meminerit sanguinis Christi, ex quo habuit omne martyrium principium, & si non effectu martyr, affectu tamen esse desideret. Cum procedit in nigris, se esse mortalem cogitet, & mortalitatis Christi recordetur, ut cum in illo mori cupiat. Sumenti autem Eucharistiam nullus est aptior color quam candidus, quandoquidem *panem Angelorum manducat homo*, & Angelorum color proprius est albus, & ideo tempore Resurrectionis & Ascensionis Christi candidis vestibus ornati comparuerunt.

Quæst. *XX.*

Cur Sacerdos singulariter in oblatione hostiæ loquitur, pluraliter vero, dum calicem offert.

SAcerdos cum facit hostiæ oblationem, dicit; *Suscipe sancte Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hostiam: quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo & vero.* Cum vero Calicem ait; *Offerimus tibi Domine Calicem salutaris.* Cur cum sit unus & idem Sacerdos in panis consecratione, unam solam induit personam, & in oblatione Calicis plures personas agit? Numquid solus ipse communicat de corpore, & nobiscum de calice participat? Minimè vero. Verum est, quod scribit Apost. 1. Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Quid ergo nunc privatim dicit, *Offero*, & communiter statim ait, *Offerimus*, cum çque communis caro Christi & sanguis sit?

Mysterium divinitatis est, ut cum sit unus in substantia Deus, divinæ personæ multiplicentur, & mysterium quoque divinæ Eucharistiç est, ut cum unum sit Sacramentum sub diversis speciebus panis & vini augeatur, cuius effectus est, ut unum constituat populum, *unum corpus multi sumus*, & eundem populum multiplicet, *A fructu frumenti, vini & olei multiplicati fideles in pace Christi requiescunt.* Sacerdos, qui unum repræsentat populum in altari, incipit ab unitate, & dicit, *Offero*: idem ipse cum eundem populum auctum & multiplicatum referat, inquit in oblatione Calicis, *Offerimus tibi Domine calicem salutaris.* Christus ipse cum corpus suum consecravit, dixit, *Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur*: & cum Calicem sanctificavit non solum ait *pro vobis*, sed, *pro vobis, & pro multis effundetur*, ut multitudo Sanctorum sacro suo sanguini sicut & a seipso, ab alijs quoque tribueretur, & adscriberetur. Et certe omnes domus & familiæ, Isai. 53. 7. non ita per carnis, quam sanguinis communicationem dicuntur multiplicari & augeri.

Augetur Ecclesia sanguine Christi.

Quæst. XXI.

Cur sacrificium sacrificiorum est Eucharistia?

ANimalia, ut cum Philone loquar lib. de Victim. quæ in sacris mactari solent, aut terrestria sunt aut volucria: sed volucrium cum sint innumeræ species, præteritis cæteris omnibus duces tantum selegit Moyses, columbam inter aves gregatim volitantes mitissimam, & turturem inter solitarias cicuratu facillimam. Terrestrium quoque innumeris gregibus omissis, tria præcipue secrevit genera, boum, ovium, caprarumque, eademque mansueta, cum non solum a viro sed etiam a puero in pascua agantur atque regantur. Quid columba, quid turtur, quid bos, ovis, & capra cum Eucharistia?

Cant. 6. 3 Cant. 2. 12. Psa 68. 13 Isai. 53. 14 Cant. 8. 14.

Numquid humanitas Christi columba non est? *Vna est columba mea.* Numquid turtur non est? *Vox turturis audita est in terra.* Numquid vitulus Christus non est? *Placebit Deo super vitulum novellum.* Numquid ovis & agnus non est? *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Numquid caprea non est? *Assimilare capreæ, hinnuloque cervorum.* Totum quod erat, obtulit, & una sui oblatione tam cruenta, quam incruenta Christus omnia veteris legis sacrificia complexus est.

Hostia universalis & rationalis.

Quoniam vero antiqui testamenti sacrificia, quę fiebant ex animalibus terrestribus & volatilibus ac simul frugibus, alia cruenta erant, alia incruenta, hæc maximè splendent in Eucharistia propter rationem, quam affert eo loco Philo. *Institutum est, ut quotidie bis adolerentur odoramenta fragantissima in ara, quæ intra velum est, oriente sole, occidenteque ante matutinum & post vespertinum sacrificium, ut sacra cum sanguine fiant pro nobis, qui constamus è sanguine, incruenta vero pro principali nostri anima, ratione prædita, factaque ad exempla divinæ imaginis.* Hinc petenda ratio est, cur hostia rationalis Eucharistia nominetur, panisque intellectus esse dicatur, scriptum enim est: *cibavit illum pane vitæ & intellectus.* Rursus Philo. *Cum anima nostra constet è duabus partibus bruta, rationalique, rationalis videlicet intellectus masculini est generis, fœminini vero bruta illa, quæ sensus sortita est. Intellectus autem sensui tamquam vir mulieri præstat toto genere, quippe purus inculpatusque purificatus perfectis virtutibus. Ipsa est tota Deo grata & sanctissima hostia.*

Non solum Eucharistia est rationalis, quia sic rationalem & intellectualem animam componit, sed etiam quia continet in se atque complectitur universa sacrificia. Quemadmodum homo, cum sit particeps rationis, comprehendit in se creaturas omnes, omnes etiam victimas & hostias comprehendit Eucharistia, quia rationalis est. Adde, quod cum Christus offert omnia, cum se rationalem hostiam immolat; similiter homo cum de se rationale conficit sacrificium, omnia sua consecrat Deo. Quam obrem scribens ad Rom. Paulus, inquit, cap. 12. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem sanctam Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Si quis non se, sed sua offerat Deo; obsequium exhibitum irrationale est, sive aurum sive argẽtum, siue quidlibet aliud tribuat, omnia enim illa carent ratione. Tunc est rationabile obsequium, cum quis seipsum ratione præditum consecrat Deo, immo & suas rationales proles, ideoque ita gratum & acceptum sacrificium, quod de suo filio obtulit Deo Abrahamus.

Quæst. XXII.
Cur mulieres electæ non sunt, ut conficiant Eucharistiam?

NOn viri solum, sed etiam fæminæ apud Ethnicos sacrificarunt, inter quas virgines Vestales maximè floruerunt. Cum vero in veteri testamento ad magna & præclara facinora assumptæ mulieres sint tam domi quam foris, tam in pace quam in bello, nunquam functę fuerunt sacerdotio, ut victimas Deo offerrent. Necdum nota Virgo Maria fuerat, quæ *verbo concepit filium*, & idcirco S. Epiphan. vocat eam *Sacerdotem pariter & altare.* Cum hæc Sacratissima Virgo functa sacerdotio suo nobis panem de cælo dederit, canatque propterea Ecclesia. *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine*, mirum est, quod ad altaris Sacerdotium non elegerit purissimas virgines, quales in novo testamento floruerunt.

Si consideremus divinam potestatem, quam dedit Matri, facile deprehendemus voluisse dare Virgini, quod potuit, & negasse cæteris fæminis, quod uni & soli concessit, ne similem sibi Maria haberet. Cadit, si placet, in Virginem emiēnter sacerdotis potestas, quæ dicit de se. *Fecit mihi magna, qui potens est*: non cadit in Evam nec in cęteras eius filias, quæ sunt natæ servituti ex vi damnationis, quæ est intimata Evæ, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Ubi hæc subjectio est, nequit esse suprema illa potentia sacro sacerdotio annexa, cuius virtute per verba consecrationis vocatur Deus, & adest, è cælis iubetur venire, & venit.

Luc. 1. 49. Gen. 3. 17.

Cum summam hanc dignitatem & potestatem habeant Sacerdotes prę Regibus & Reginis orbis, indigni sunt sacerdotio, qui se ita despiciunt & abijciunt, ut non solum viris, sed etiam fæmellis ignominiose se subdant, earum se moribus aptantes, & se totos effæminantes, cum lege cautum sit Deut. 22. ne vir, multo minus Sacerdos, vestes muliebres induat. In quam legem Clem. Alexandrin. libr. 2. Stromat. inquit, *Quam enim habet rationem, quod lex viro prohibet, ne vestem induat muliebrem. An non nos vult esse viros, & ne corpore, nec factis nec mente, nec verbis effaminari? Vult eum esse masculum, qui veritati dat operam in ferendis laboribus & perpeßionibus, in vita, & moribus, & in sermone & exercitatione, noctu & interdiu, & sicubi testimonio, seu martyrio opus sit, quod procedat per sanguinem.* Verum quidem est, quod Deus in sexu fragili victoriam contulit martyrij, fructus Eucharistici sacrificij, ut robustæ ac fortes essent, noluit tamen, ut essent potentes ad tantam rem conficiendam, quanta est sacra Eucharistia. Adde quod hæc exigit, & pręstat, ut Sacerdotes vitent consortia ac colloquia fæminarum, ac proinde nec ipsam oporteret a Sacerdotio earum pendere.

Summa sacerdotũ potestas.

Quæst. XXIII.
Cur Christus in Cruce se obtulit & non in fructu arboris se consecravit?

CUm Eva peccaret in Deum, *Ipse lignum tunc notavit damna ligni, ut solveret*; & quidem ita solvit, *ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Respondit itaque Crux arbori prohibitæ, respondit lignum vitæ ligno mortis, ut gloriosior esset victoria, gloriosior triumphus.

Ergo

Ergo cum elegerit propterea lignum pro sua passione, & ita feliciter cesserit, quare fructum consequenter non accepit, & acceptum consecravit, ut vetiti fructus damna resarciret ac repararet?

Hostia immaculata. Differt sacrificium a sacrificio, differt passio Crucis ab hostia altaris. Actus in Crucẽ Christus *cum sceleratis reputatus est*, & apparens in similitudine carnis peccati, *de peccato damnavit peccatum in carne sua.* Nec positus in Isai. 53.12 Cruce recusavit, quominus secum lex illa loqueretur, *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Novit è statu Redemptoris esse, ut, cum esset ipsa innocentia, haberetur, & tractaretur instar delinquentis & peccatoris. Hoc ductus consilio. *ipse lignum tunc notavit, damna ligni vt solveret*, quorum se fecit debitorem. Aliud est in sacrificio incruento, ubi ita spirat gratiam, pietatem, iustitiam & sanctitatem, ut nec speciem peccati, vel minimam culpæ similitudinem habere velit. Quod si fructum arboris elegisset, & illum in se transmutasset, indubie esset in eo culpæ præteritæ repræsentatio; aliena ab Eucharistia, cuius auditio, visus, olfactus, gustus & tactus nihil aliud sentiunt & experiuntur præter iustitiam, & sanctitatem.

Oportebat igitur non in arboris fructu, sed in pane fieri consecrationem, cum in pane non deliquerit Adamus, & si in eo fuerit castigatus Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Dedit Christus panem, sed liberum ab illa pęna, quam ipse sumpsit in se, & illam solvit, cum orans in horto totus difflueret in sudorem, & quidem usque ad sanguinis effusionem, ut pro pane consecrato satisfaceret sudore, & pro calice altaris hominibus communicato rependeret effuso sacro cruore. Nec solum suo sacrato sudore contentus fuit prædictam maculam delevisse, sed panis substantiam destruxit, ne vel per umbram quidem esset in Sacramento panis Adami. Solum accidentia remanserunt, vt pro externo operimento ac tegumento corpori Christi servirent, ne videretur, sed potius a fidelibus crederetur. Adhuc illa non sunt in eo statu, quo erant ante consecrationem. Tunc adhærebant & inhærebant substantiæ, quæ nunc per se stant. Quicquid Deo servit, semper mutatur in melius.

Quæst. XXIV.

Quare Christus in hoc Sacrificio exposuit se infortunijs panis?

MAgna sunt panis naturalis infortunia, cum in terram iacitur, cum in ea sepelitur, & ibi moritur, & reviviscens iniurijs temporum subjacet, cum iam crevit, arescit, metitur, teritur, molitur, coquitur, scinditur, dividitur, & voratur. Cur ergo in pane, quem ita infortunatum natura voluit, voluit se Christus consecrare & Patri offerre? Estò nulla posset esse creatura, quæ sua non habeat infortunia, & idcirco *omnis* Rom. 8.22 *creatura ingemiscit & parturit*, potuisset tamen Christus aliam minus infelicem pro sacrificio suo desumere.

Consonantia panis & hominis Consonant sibi panis & homo in infortunijs suis; Iob. 14. 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquã in eodẽ non statu permanet.* Qualis homo, talis & panis, *homo natus de muliere*, panis de terra; *homo brevi vivens tempore*, panis brevi moritur: homo *repletur multis miserijs*, panis ab ortu

suo semper in miserijs est: homo *quasi flos egreditur & conteritur*, & floridus panis cribro, molà, & manibus teritur; homo, *fugit velut umbra*, & panis vix apparet, cum disparet; homo *nunquam in eodem statu permanet*, nec permanet panis iam in terra, iam in arca, iam in horreo, iam in mola, iam in furno, & tandem in mensa, nec in illa quiescit, sed huc illucque movetur & trahitur. Christus igitur, qui pro nobis omnibus factus est homo, & simul decrevit omnia humana pati sub specie naturę nostræ, se in Cruce offerens, voluit omnia panis infortunia subire, immolans se in mensa, ut ostenderet se minimè dolere assumpsisse laboriosam humanitatem, siquidem post omnes illius ærumnas voluit adhuc esse sub formis panis, cuius tot & tanta infortunia humanis plane similia sunt. Ita convenit panis cum humanitate assumpta, ut dixerit Christus, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Nec solum se granum dixit sed & panem, *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*. Huic parti etiam hostes Christi favent, dum asserunt, *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viventium*, & ut ait Cabasila in exposit. Litur. Communis panis mutatur *in verum panem Crucifixum, & sacrificatum*. Ioa. 12. 24

Humanus & divinus panis Christus est, nec dedignatur illud pati infortunium in sacro altari, ut in micas dividatur, quas cum summa reverentia & magna solertia quærere atque colligere Sacerdos debet, ita tamen ut in hac parte nimis scrupulosus non sit. Talis Sacerdos erat, cui venerabilis P. Avila Apostolus Andalusię respondit, ne nimis morosus esset in micis sacræ hostiæ colligendis. *Christus enim*, inquit, *benè novit in micis panem solere amitti, & nihilominus voluit sub specie panis manere*. Nec malè consideravit is, qui dum videret Sacerdotem minimas quærentē particulas post consecrationem, censuit esse mystici instar catuli, qui micas de mensâ divitis Dei colligeret, & qui sacrum eius calicem lamberet, cum usque ad guttas eum ebiberet, & exhauriret.

Quæst. *XXV.*

Quare beatæ passionis sacrificium Eucharisticum est?

POst factam consecrationem panis & vini, & verba illa prolata, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, subiungit: *Vnde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta, eiusdem Christi filij tui Domini nostri tam beatæ passionis, nec non & ab inferis Resurrectionis, sed & in cælos gloriosæ Ascensionis offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram*. Gloria tam Resurrectionis, quam Ascensionis satis per se constat, sed non ita apparet beatitudo passionis, in qua tot miseriæ & ærumnæ confluxerunt.

Recognoscit Sacerdos post factam consecrationem, & ex ea infert atque concludit beatam esse Christi passionem. *Vnde & nos memores*, inquit, *beatæ passionis*. Nec dubium, quin hoc sanctum Sacrificium symbolum quoddam sit beatæ, feliciterque patientis. Christus in Eucharistia existēs nihil intra accidentia patitur, sed solum exterius mala tolerat, & cum idem Christus similis sibi esset, in Cruce non interius in anima, sed exterius *Beatitudo passionis.*

rius patiebatur in carne. Hæc beata passio est, quæ non transit ex carne in animam, de qua David, *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*, foris pugna, intus quies, foris prelium, intus victoria, foris pæna, intus gloria, ad quam alludens ait Bernard. Serm. 61. in Cant. *Stat Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore, & limante latera ferro non modo fortiter, sed alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem.*

Huius beatæ passionis communio & communicatio est, quam 1. cap. 4. Petrus Apostolus nobis commendat; *Charissimi nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat, sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Communicat passionibus Christi Paulus, qui vel in ipsa Cruce gloriabatur, & beatum se reputans asserebat, *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Dominus Iesus in Cruce, dum exterius pateretur, interius erat beatus. Foris mærebat & tristabatur, intus recreabatur & lætabatur, cum male tractaretur, & corona spinea sacrum eius caput cingeretur. Pulchrum spectaculum, pro illo est illa invitatio Cant ca. 3. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.*

Gal. 6.14

Quæst. XXVI.

Quid lotio pedum cum Sacrificio Eucharistiæ?

Ioa. 13. 5.

ANtequam Christus Apostolos suos admitteret ad Sacros ordines, & potestatem daret consecrandi panem & vinum, *cæpit lavare pedes discipulorum suorum.* Cum autem ministerium sacerdotale non tam a pedibus, quam a manibus pendeat, non tam pedes Apostolorum lavandi erant, quam manus, in quibus caro & sanguis Christi collocantur. Olim quidem, ut ait Philo, non pedes Sacerdotum, sed hostiarum & victimarum abluebantur. *Nec mysterio caret*, inquit, lib. de Victim. *quod iubemur intestina & pedes abluere: per intestina enim lota subnuitur oportere cupiditates ablui, abstergique maculas contractas ex ebrietate ac crapula, vitijs humanæ vitæ valde noxijs. Pedum vero lotio significat, non humi post hac incedendum, sed per æthera. Amans enim Deum anima revera in cælum a terris emigrat, sumptisque alis petit sublimia, cupida oberrandi cum sole, luna, cæterarumque stellarum sacra militia, ipso Deo duce atque Imperatore, cuius inexpugnabilis regni iussè moderatur universa & singula.*

Puritas Sacerdotalis.

Christus ut ostenderet se dignum esse Sacerdotem tam in Cruce, quã in mensa, seipsum fecit victimam & hostiam, prælucens exemplo Apostolis, ut si digni esse sacerdotio vellent, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem de se conficerent. Quę causa fuit, ut suorum lavaret pedes discipulorum, qui ritus magis ad victimam, quam ad sacerdotium pertinet. Huius particeps factus ablutionis intrat Sacerdos templum, ascendit altare humi incedere desinens, sublimia & excelsa petens, Deo duce, & summo Imperatore cæli protectore. Hanc ob causam re & nomine sublimia altaria sunt, quæ non homines repentes humi, sed sursum scandentes quærunt. Meminerint Sacerdotes se *in memoriam passionis, Resurrectionis & Ascensionis* celebrare. Christus in passione non iacet, sed extollitur, in Resurrectione non iacet, sed se erigit, in Ascensione non iacet, sed se effert, ut

fteria affequi & apprehendere, nifi & ipfe faciat, quod monet Apoftolus Ephefios, c. 3. *in charitate radicati & fundati, ut poßitis comprehendere cum omnibus fanctis, quæ fit latitudo, & longitudo, & fublimitas & profundum*, Radicatus in charitate facilè noverit, quantas vires habeat radix, ut convertat in bonum mala, quæ undique provenire poffunt. Et quidem ipfa facra Euchariftia inftar myfticæ arboris eft, radicata in charitate, quæ vertit in bonum omnia, cũ dixerit Iuftinian. fcribens de Perfect. Monaft. c. 9. *Myfteriũ hoc quafi ingens arbor virentibus refertur folijs, fub qua quicunque confugiũt laborantes & peregrinantes proteguntur in ipfius umbraculo ab diei æftu, à turbine quoque & pluvia.*

Quæft. XXIX.

Quod nam fit vinum nouum, cuius meminit Chriftus in cæna?

CUm dixerit Chriftus Matt. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis ufque in diem illum, cum illud bibam vobifcum nouum in regno Patris mei.* Quæri merito poteft, quodnam fit cæleste vinum, quod cum Apoftolis fit Chriftus potaturus in regno paterno, Vinum naturale ibi non eft, regnum quippe cælorum non eft efca & potus, nec etiam uinum facramẽtale eft, cum fit myfterium fidei, & ubi eft clara Chrifti vifio & intuitio, myfterium fidei locum non habet. Quodnam igitur vinum eft, quod fibi cum Apoftolis commune futurum effe teftatur?

Vinum lętificans cor humanum fymbolum lætitiæ eft, & cum Chriftus in facra cæna hilaris & lætus fub forma vini fuum fanguinem pretiofum exhibuiffet, ceffavit ibi lætitia, & acceffit mæftitia paffionis imminentis, quam fentiens & vadedicens gaudio inquit, *Non bibam de hoc genimine vitis ufque in diem illum, cum illud bibam vobifcum nouum in regno Patris mei*: Ubi vera & perpetua, abfoluta & perfecta lętitia & hilaritas eft. Nec tamen dicit fe bibiturum in cęlo vinum fine Apoftolis, qui cum ipfis in terris vinum guftavit. Qua fuper re movet quæftionem Convivalem S. Cyrill. Alexand lib. 7. in Levit. quam & nos movimus, & fimul refpondet. *Lætitia cœl.*

Quærimus, inquit, *quomodo Dominus & Salvator nofter, qui eft verus Pontifex cum Difcipulis fuis, qui funt veri Sacerdotes antequam accedat ad altare Dei, bibat vinum. Venerat in hunc mundum Salvator, ut pro peccatis noftris carnem fuam offerret hoftiam Deo. Hanc priufquam offerret inter difpenfationum moras vinum habebat. Denique dicebatur homo vorax & vini potator, amicus publicanorum & peccatorum. Vbi vero tempus advenit Crucis fuæ, & acceffurus erat ad altare, ubi immolaret hoftiam carnis fuæ, accipiens, inquit, calicem bene dixit, & dedit Difcipulis fuis dicens. Accipite & bibite ex hoc. Vos. inquit, bibite, qui acceffuri non eftis ad altare. Ipfe autem tamquam acceßurus ad altare dicit de fe: Amen dico vobis, quia non bibam de generatione vitis huius ufquequo bibam illud vobifcum nouum in regno patris mei.* Refpondit propofitæ a fe quæftioni Cyrill. *Non ergo vult folus in regno Dei bibere vinum, nos expectat. Si enim dixit, donec bibam illud vobifcum: nos fumus igitur, qui vitam noftram negligentes, lætitiam illius demoramur. Expectat nos, ut bibat de generatione vitis huius. Cuius vitis? Illius, cuiusipfe erat veritas. Ego fum vitis, vos palmites. Vnde & dicit: Quia fanguis meus verè eft potus, & caro mea vere eft cibus.*

Quæst. XXX.

Quare Christus extra portam passus est, & intra civitatem fecit de se sacrificium?

SAncta Ierosolyma erat sic appellata 2. Machab. cap. 11. nec poterat non esse sancta, de qua David; *Fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei.* Nec quicquam dici gloriosius potest, quam quod in ea Christus seipsum consecraverit, unde sancta civitas monetur, ut propterea suum Deum laudet & celebret: *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Cum in sancta civitate peregerit Eucharisticum sacrificium, quare non intra eandem Ierosolymam sanctum suum sanguinem fudit? Si sancta civitas erat pro hostia incruenta, cur etiam non erat pro cruento sacrificio? Memoriæ Martyrum tunc esse celebriores solent, cum in loco, quo affecti sunt martyrio, coluntur & honorantur, & cum Eucharistia sit memoria passionis, esset illa solennior, si sacra passio esset intra mœnia consummata.

Ps. 147. 1.

Copiosa redemptio.

Causam, propter quam passus est extra Ierosolymam Christus, assignat Apostolus scribens ad Hebr. cap. 13. *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Ostendit se venisse in mundum, ut eos, qui extra civitatem sanctam erant, redimeret ac reduceret: *Non*, inquit, *veni vocare iustos, sed peccatores.* Agit Cyrill. libr. 8. in Levit. de lege imposita viro leproso, & expendens illa verba. *Extra castra erit*, ait, *Clarum est, quod omnis immundus abijciatur à conventu bonorum, & segregetur a cœtu, castrisque Sanctorum.* Ad quem iuxta præscriptum legis exibit extra castra sacerdos: quis autem iste sit, explicat idem Cyrill: *Semper enim ad eum, qui nondum potest introire in castra, exit ille, qui potest exire extra castra, qui dicit. Ego a Deo exivi, & veni in hunc mundum.* Sic ad bonum exivit latronem, qui totus leprosus erat, & extra portam passus eum purificavit, redemit, & reduxit secum in paradisum iuxta datum promissum: *Hodie mecum eris in paradiso.* Loquitur in eo primo homini, & toti humano generi, quod propter lepram fuerat eiectum è paradiso, & per sacram passionem in locum amissum restitutum.

Mat. 9. 13

Luc. 23. 43.

Lex ipsa, quę dicebat, ut extra castra procederet Sacerdos pro leproso mundando, disponebat, & ordinabat, ut magnus Sacerdos intra Sancta se contineret, de qua lege multa disserit idem Cyrill. libr. 12. in Levit. De multis hęc pauca declarabunt, quare non extra portam, sed intra sanctam civitatem verus noster Melchisedechus panem & vinum consecraverit, & sic faciendo quid nos pariter docuerit. *Nos autem habemus Sacerdotem magnum secundum ordinem Melchisedech Iesum Christum, nunquam de Sanctis exeuntem. Semper enim in Sanctis est, & manet semper sanctus in verbis suis, sanctus in actibus suis, sanctus in omnibus voluntatibus suis, & solus est, qui nunquam inveniatur extra sancta. Qui enim peccat, exit de sanctis, & quoties quisq; peccat, toties efficitur extra Sancta. Christus autem, qui nunquã peccavit, nunquam exijt de Sanctis. Sed & tu, qui sequeris Christum, & imitator es eius, si permaneas in verbo Dei, si in lege eius mediteris die ac nocte, si in mandatis eius exercearis, semper in sanctis es, nec unquam inde discedes.*

Quod

Quod si Sacerdos post absolutum sacrificium Christi manentis intra Sancta dicit, *Ite Missa est*, non adversatur iam dictis, cum simul ex templo exire & intra Sancta manere possimus, *Neque enim*, ut subiungit Cyrillus, *in locis sancta quærenda sunt, sed in actibus, vita & moribus: quæ si secundum Dominum sint, & secundum præceptum Dei habeantur, etiamsi in domo non sis, etiamsi in foro sis, & quid dico in foro? etiamsi in theatro inveniaris, verbo Dei deserviens, in Sanctis te esse non dubites. An non tibi videtur Paulus, cum ingressus est theatrum, & ingressus est Areopagum, & prædicavit Atheniensibus Christum, in Sanctis fuisse? sed & cum perambularet aras, & idola Atheniensium, ubi invenit scriptum, Ignoto Deo: & ex hoc verbo sumpsit Christi prædicationis exordium, etiam ibi aras Gentilium lustrans, in sanctis totus erat, quia sancta cogitabat.* Christum secutus est Paulus, qui extra portam patiens & se offerens in Cruce, manebat adhuc intra sanctam ciuitatem, ubi se in Eucharistia libaverat, & inde ad publicum theatrum prodijt.

Quæst. XXXI.

Quomodo sacrificium Eucharistiæ, cum sit ita admirabile, possit esse imitabile?

SAcrificium Eucharistiæ mirabile per excellentiam esse recognoscit Sancta Ecclesia, & Deum orat, *Deus qui sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti, tribue quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum iugiter sentiamus.* Quicquid admirabile est, imitabile non est, ac proinde mortalium nomini iniungitur, ut patret miracula, quæ Christus & alij Sancti ediderunt, Nihilominus Paulus vult, ut quemadmodum Christus sacrum suum corpus consecravit, nos quoque consecremus corpora nostra: scribit enim ad Roman. cap. 12. *Obsecro vos fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra, hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Hæc omnia planè Eucharistiam sonant, sicut illa ad Heb. cap. 13. *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.*

Christus admirabilis est, *Vocabitur nomen eius admirabilis*, & tamen est imitabilis, *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.* Admirabilis in Incarnatione, *O admirabile commercium: Creator generis humani animatum corpus sumens de Virgine nasci dignatus est.* Mirabilis cum descendit è cælis, & cum in cælos ascendit. Unde & eius Ascensio dicitur *admirabilis.* Qui è gradu suo descendit per humilitatis virtutem, descendentis Christi est imitator, & qui mente ascendit sursum, æmulator est ascendentis, *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit.* Quæ sunt admirabilia, sunt imitabilia, non per naturam, sed per gratiam morum, non naturaliter sed moraliter. Deus ipse sub imitationem cadit, unde & Christus ait; *Estote perfecti, sicut & Pater vester perfectus est.* Hic turpis error Luciferi, ut naturalem paritatem cum Deo affectans asseruerit. *Similis ero Altissimo:* non errat qui similitudinem cum Deo sanctæ vitæ moribus conatur impetrare. Ad hanc nos incitat Apostolus, cum Sacræ Eucharistiæ nos assimilari & conformari desiderat.

Ad imitandum Christus in Eucharistia proponitur. Isai. 9. 6. Matt. 11. 29. Ps. 83. 6. Math. 5. 48. Isa. 14. 14

Confirmat hoc ipsum S. Cyrill. lib. 7. in Levit. cuius apposita verba sunt. *Dominus & Salvator noster dicit: Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam æternam. Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, Carnibus enim & sanguine verbi sui, tamquam mundo cibo ac potu potat, & reficit omne hominum genus.* Hoc quidem est carnem & sanguinem suum realem & Sacramentalem reddere moralem, & consequenter imitabilem, unde *post illius carnem*, inquit Cyrill. *mundus cibus est Petrus & Paulus & omnes Apostoli: tertio loco discipuli eorum. Et sic unusquisque eorum pro quantitate meritorum vel sensuum puritate, proximo suo mundus efficitur cibus. Hæc qui audire nescit, detorqueat fortassis & avertat auditum secundum illos, qui dicebant; Quomodo dabit nobis hic carnem suam manducare, quis potest audire eum? & discesserunt ab eo.* Sic Christus qui verè & realiter in Eucharistia est, mysticus fit, moralis, & imitabilis, cum natura sua sit planè admirabilis.

Matt. 11. 28. Proponit se Christus admirabilem & imitabilem, qui clamat *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Discite a me, quia mitus sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Qui reficit, monet, *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Docet Agnus Eucharisticus mansuetudinem, docet humilis Christus Crucis humilitatem & summissionem, & suis imitatoribus offert requiem; *a fructu frumenti, vini & olei multiplicati fideles in pace*

Psa 85. 5. *Christi requiescunt.* Reddit leve onus & suave legis jugum; *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Hic ipse astruitur imitabilis in epistola ad

Heb. 13. 16. Hebræos, quibus scribit Apostolus; *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.* Conjunxit sacræ Communionis hostiam cum beneficentia, in qua imitatio Christi consecrati sita est. Dat ille cibum & potum homini, & homo, qui reddit Christo vel pauperi, fit æmulator Eucharisticus. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die*

Psl. 40. 1. Matt. 25. 35. *mala liberabit eum Dominus*, Mala dies ijs, quibus a Iudice dicetur, *Esurivi, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi potum*: erit felix ac beata dies ijs, quibus è contra asseretur; *Esurivi, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi potum.* Igitur *beatus, qui intelligit super egenum & pauperem.* Quem locum sacri interpretes exponunt de misericordia & beneficentia pręstita homini misero, Ambros. vero in Psal. 40. de exhibito obsequio Christi, qui pauper & egenus voluit esse in Sacramento, ubi benefaciens mortalibus benefieri sibi ab ipsis optat & exigit. Servient huic ipsi instituto de imitatione Eucharistiæ, quæ dicta supra sunt de victimis Eucharisticis Sanctorum.

Quæst. XXXII.

Cur in subsidium fecundæ matris Ecclesiæ sit Sacra hostia?

VArijs ac diversis pænis punivit Deus primum delictum Evæ, punivit imprimis acerbitate dolorum, non ut semel, aut iterum rea illos pateretur, sed sæpe, ideoque subiunxit Genes. 3. *Multiplicabo fætus tuos.* Multiplicantur Evæ fætus duabus de causis, tum ut dolores augeantur; tum etiam, ut cum alimenta desint pro alendis ac sustentandis prolibus, maternæ crescant afflictiones. Hinc efficitur, ut fecunditas, quæ dos

dos naturæ est, propter communem reatum in miseriam & calamitatem vertatur; maximè cum ex uno partu non una, sed plures soboles proveniunt. Quot proles simul una mater gignere, & genitas edere possit, non satis constat. Constat Rebeccam duos ex uno concubitu fœtus generasse ac peperisse, nimirum Iacobum & Esau. Non esse præter intentionem & ordinem naturæ prolem geminam gemina matris ubera argumento sunt duplicata quidem, ut si fœtus duplicaretur, uterque haberet, unde lactaretur. Numerosior quam geminus ex uno partu filius, in sacris litteris non invenitur; invenitur in prophanis. *Ter geminos Senatores Cincios vidimus*, inquit Paulus. l. 3. Si pars hæred. petat, & Iulian. lib. 38. ff. de solut. & liberat. *Tres nasci potuerunt.* Tres nasci certum est Horatiorum Curiatiorumque vetusto exemplo, plures alios simul edi posse compertum satis est, sed illud monstro simile esse censetur. Et quidem Aristot. ut refert Agell. libr. 10. cap. 2. auctor est mulierem in Ægypto uno partu quinque enixam pueros, eumque esse finem dixit multiiugæ hominum partionis. Sed & Divo Augusto Imperatore ancilla quædam aulæ quinque infantes enixa est, in cuius rei memoriam Augustus præcepit, ut cum mater moreretur, in eius epitaphio quot simul prolium parens fuisset, exararetur. Hoc autem in confesso est apud omnes, non esse boni ominis, si non nominis, cum ultra duas vel tres proles ascendit simultaneus partus filiorum.

Non subjacet huic legi Sancta mater Ecclesia, quę nihil habet cum Eva nihil cum partus doloribus, nihil cum ærumnis & miserijs, quibus feminæ pro numero suorum fœtuum subduntur & subijciuntur. Vidimus ex gloriosa nostra matre sub tempore Christi nascentis multos simul pastores prodijsse, vidimus & tres pariter Reges promanasse, & quod amplius est tam in pastoribus quam Regibus duorum populorum, Gentium & Iudęorum innumeras proles feliciter procedere cæpisse. Accedit vates & vaticinium Isaiæ cap. 60. *Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terrã, & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, filij tui de longe venient & filiæ tuæ de latere surgent.* De latere surrexerunt filiæ, quarum nomine pastores intelliguntur, qui more femineo trepidarunt, cum bona & fausta nuntia ad ipsos nocte Nativitatis per Angelum deferrentur: filij vero nuncupantur Reges, qui intrepidi & impavidi in ipsa Herodis aula Regem alium, quem adorarent, viriliter æquè ac regaliter quæsierunt. Gloriosum esse partum, non monstrosum, sed miraculosum, non ominosum, sed prosperum ac faustum omnes olim Prophetæ præuuntiarunt, & præ omnibus loco iam allegato prædixit Evangelicus Isaias.

Nihil Ecclesia cum Eva.

Quamvis tot sint numerosi fætus, non solum editi per successionem, sed etiam per eandem paritionem nullum est indecentiæ periculum, cum scriptum sit Isai. 54. *Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis, quia multæ filiæ desertæ magis, quam eius, quæ habet virum.* Nullum quoque periculum est a defectu alimoniæ, cum sancta mater Ecclesia sacras suas proles alimonia alat ac sustentet Eucharistica, quæ instar lactis est, & sufficiens pro cunctis prolibus, etiam si millenę existant; *Sumit unus, sumũt mille: quantum isti, tantum ille, nec sumptus consumitur.* Hoc ipsum mysterium D. Andreas concionatus est coram Ægea sedente pro tribunali, cui Apostolus, *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie, nõ taurorum*

carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari: cuius carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivit.

Differt ab Ecclesia Synagoga; hæc enim infirma habebat elementa, & simul debilia alimenta, quibus posset fętus suos educare, & idcirco tantum Iudaicas suas proles enitebatur, uno contenta populo, & quidem carnali, cui respondere potest quod est apud Tertull. lib. de Anima cap. 6. *Pregnantes non singula quotidie corpora, sed & bina & terna in unius uteri ambitu perferunt. Invenitur etiam in iure civili Græca quædam quinionem enixa filiorum semel omnium mater, unici fœtus parens multiplex, unici uteri puerpera numerosa, quæ tot stipata corporibus, pene dixerim, populo, sextum ipsa corpus fuit.* Legimus quoque nos iure veteris legis eam esse Synagogam, ut esset parens multiplex unius populi carnalis, cui & ipsa tota corporea, tota carna lis accessit. Ecclesia vero mater est multarum gentium, quæ divino spiritu aguntur, & ducuntur, ac forti cibo Sacræ Eucharistię aluntur & sustentantur, redditæ omnino spiritales, quibus & ipsa tota spiritalis adjungitur.

Quæst. XXXIII.

Quo modo cum tanta prolium effusione stare valet temperantia sancta Ecclesiæ?

Tatianus Orat. adversus Græcos, quæ est 2. tom. Biblioth. Patrum taxat eos, qui loco miraculi habent multas ex uno partu effusas proles. *Quid autem ad me*, inquit, *Periclymeni opus, muliercula, quæ uno partu infantes triginta peperit, quod plerique miraculum putant, cum potius magnæ intemperantiæ fructus hic existimari deberet, & illa abominabilis videri, utpote similis scrophæ Romanæ, quæ itidem propter eventum similem sacrum quendam cultum consecuta fertur.* Huius intemperantiæ apud Guicciard. in Belgic. hist. arguit olim puerperulam fęminam petentem eleemosynam pro alendis prolibus, quas uno partu fuisset ennixa, Margareta Hollandię, Zelandiæque Princeps; nihil omnino dedit præter scommata intemperantię, qua illam notavit, nec quidem illa temperantior, sicut & Deus declaravit. Confusa itaque paupercula, quæ sic fuerat excepta, Deum precata est, ut Comitissa tot ederet foetus simul, quot essent in anno dies. Erat Comitissa gravida, & accidit, ut tempore sui partus eniteretur trecentos & sexaginta quatuor liberos, partim, masculos, partim femellas; quorum singulos narrant fuisse pulli dumtaxat gallinarci magnitudine, sed tamen omnes vixisse, & salutari baptismo tinctos esse: ipsis paulo post una cum matre extinctis, & eodem cum ea timulo conditis. Sepulchrum matris & prolium Lausdunæ ab Haga Comitis parum distantis erectum est, & inscriptum Epitaphium, in quo breviter præmissa historia continetur. Quo facto non ostendit Deus intemperatam non fuisse priorem feminam, sed quam sibi displiceret pauperculam male habitam per contumeliosam postulatæ eleemosynę negationem fuisse, ut quo crimine mulierculam infamarat, tanta illa Domina infamaretur.

Temperantia cum fecũditate. Quod si temperantia & fœcunditas non ita conveniunt in matribus, quæ sic pariunt, associantur in Ecclesia, quæ talis est mater, ut non minus temperata, quam aucta prolibus sit. Donec Synagoga erga cælestem panem

nem affectum amisisset, non appetijt carnes, nec carnalibus rebus adhæsit. Tunc intemperatè se gessit, cum cibum de cælo datum fastidivit. Habet Ecclesia Eucharistiam, cuius nec patitur, nec unquam patietur fastidium, quin potius eius experta virtutem, respuit ac respuet omnia carnis incitamenta. Eucharisticum Sacramentum, ut ait Alexand. Alens. 4. part. 4. quæst. 8. a. 2. quantum ad tria virtutes habet, *ad roborandum contra tentationem adversitatis: quantum ad curationem venialium: quantum ad efficaciam efficiendi animam sobriam contra incentiua voluptatis. Unde Glossa super illud, Accepit Iesus panem, inquit, Ebrietas felix, salutaris societas, quæ quanto copiosius sumitur, tanto maiorem sobrietatem mentibus donare dignatur.* Accedit Bernard. Sermon. de cæna Domin. *Quis poterit tam efferos motus frangere: quis pruritum ulceris ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis; Sacramenti Dominici corporis & sanguinis pretiosi investituram habetis,*

Cum Ecclesia seipsam & suas proles, quas felici partu enititur, formet & alat, non est, quod sibi, filijs ac filiabus mortem timeat, cum dixerit Christus Ioan. 6. *Sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me:* & rursus: *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Nec matres nec proles diuturnæ vitæ fuerunt, quarum fœtus extitit numerosus, quemadmodum in relato exemplo cernitur, cui adiungo aliud ex Alberto, quem citat Cęlius Rhodig. lib. 6. *Albertus scribit mulierem quandam septuaginta edidisse, ut amplius increscat admiratio, aliam etiã iniecisse in pelvim embryunculorum auricularis digiti magnitudine corpuscula centum & quinquaginta, cuius rei facta fides est, tuniculis, quibus obvoluebantur conscissis.* Addit quoque pluribus eorum affuisse dilatationis, & constrictionis motum, & signa alia vitæ complura, oculis tamen imperfectioribus: manuum vero & pedum digitis fuisse velut capillares. Ubi tanta est filiorum vis ac multitudo, dividitur magnitudo corporalis, ac singulis prolibus ita exigua pars & portio datur, ut in ea possit vix anima vitam humanam incipere, non perficere. Hæc est magnitudo sacræ Eucharistię, ut etiam si dividatur, hostia non minuatur, qui latet in hostia Christus; *A sumente non concisus, non confractus, non divisus: integer accipitur.* Cum Christus integer existat in Ecclesia ac prolibus, *vita bonis* est, non brevis ac momentanea, sed planè perpetua & æterna; *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Quæst. XXXIV.

An Sacra Eucharistia sit pinguis victima?

CHristus totus exsanguis erat in sacra sua passione, totus siccus & aridus, totus macidus ac macilentus. Nihilominus tamen nec est exsanguis, nec sicca nec arida, nec macida nec macilenta Eucharistia, sed pinguis hostia, pingue conviviũ, pingue sacrificium. Sacrificium pingue est, cum dixerit David Psalm. 19. *Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat.* Quale holocaustum, tale & epulum, ac proinde per vaticinium monet Esdras lib. 2. cap 8. *Ite comedite pinguia.* Cui accedit Isaias cap. 25. *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum.* Canit propterea Ecclesia, *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus;* & recinit,

Adore-

Adoremus Regem Regum, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.

Pinguedo spiritalis. Eucharistica itaque pinguedo corporalis non est, sed spiritalis, cuius cupidus David orabat Psalm. 62. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea:* nec dissimilis sibi rogat. *Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat* Thomas Cardinal. & Episcop. Sabin. in Commentarijs huius Psalmi duas affert expositiones. *Hic orat*, inquit, *Psalmista pro Christi oblatione corporali, qua seipsum pro nobis obtulit.* Quare autem illius oblationis holocaustum fieret pingue, sic explicat, *quod per pinguedinem intelligatur lætitia resurrectionis; pingue enim igni applicatum citò & faciliter convertitur in flammam & in lucem magnam: sic & Christus primo applicatus igni passionis, citò post versus est in flammam, scilicet Resurrectionem, quando recepit corpus glorificatum & animam secundum omnem suam proportionem. Ex qua flamma illuminantur cæli & terra* Hæc est prima expositio, secunda est de sacrosancta Eucharistia, quæ quotidie offertur, & in sacro altari immolatur. *Est enim*, ait, *sacrificium, Sacramentum & holocaustum; & licet sit in se unum, tamen quia in multis locis & à multis offertur, ideo dicit Psalm. Memor sit omnis sacrificij tui. Dicitur autem secundum Raban. Sacrificium in quantum fit sacrum per transubstantiationem. Holocaustum vero pingue inquantum accendit sumentes scilicet dignè, & non indignè, & hæc est flamma divini amoris. Sicut & in Vitis Patrum legitur de quodam Sancto, cui datum erat, cum accederent fideles ad participationem Sacramenti, ut videret conscientias accedentium ad Sacramentum. Vidit igitur bonos quosdam, qui dum acciperent corpus Domini, exurebat eos, & incendebat. Alijs autem efficiebatur sicut lumen in se, & per os ingressum omne corpus eorum illustrabat.*

Hæc Christi patientis & consecrantis se ipsum mystica pinguedo est grata Deo & cælo, non illa, qua *impinguatus, incrassatus, & dilatatus* populus Hebræorum *recalcitravit.* Oret igitur Christianus David, *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea:* quod si obtinuerit, ex anima in corpus splẽdorem & nitorem emittet, & tam intus, quàm foris erit de numero eorum, de quibus dicit Ecclesia, *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus:* & de quibus scriptum est. Ps. 21. *Adorent eum omnes pingues terræ.* *Deut. 32. 15.*

Marcescit anima etiam in purgatorio, cui deest sacrificium Eucharistiȩ. Quò pertinet quod in mense Novemb. refert Surius de Malachia cum mortua esset eius soror, audivit per somnium sororem eius stare foris in atrio, & per triginta octo dies nihil gustasse. Qui vigilans novit qua inedia marcesceret, noverat enim quod triginta diebus non celebraverat pro ipsa. Celebravit, & spiritus suæ sororis pinguis effectus est.

Quæst. XXXV.

An duo verba sustine, & abstine *Sacra, & Eucharistica sint?*

AUctor est Agellius lib. 17. cap. 19. dicere solitum Epictetum duo esse vitia multo omnium gravissima ac teterrima, intolerantiam & incontinentiam, cum iniurias, quæ sunt ferendȩ, non toleramus neque ferimus: aut a quibus rebus, voluptatibusque nos tenere debemus, non tenemus. Unde si quis hæc duo verba, *Sustine & abstine* cordi habeat, eaque sibi imperando & observando curet, is erit plerũque impeccabilis, vitamque vivet tranquillissimam. Christus in sacra sua passione *sustinuit adversus*

sacra tangitur hostia, sanctitatem spirat, præmittit, & emittit ex se prænnncia vitæ futuræ, & oportet, ut venienti Christo ad nos & accedenti desiderio ardenti occurramus. Cum autem calculus Isaiæ typus esset Eucharistiæ, nec solum per tactum, sed per gustum esset operatura, calculus ignitus, prius quam mundaret & purgaret labia Isaiæ, fuerat in altari dicatus ac sacratus Deo, ergo quę per gustum sanctificat animam Eucharistia, necesse est, ut prius in altari offeratur, & Deo auctori, & actori totius sanctitatis dedicetur, & consecretur, ut non solum tamquam Sacramentum conferat animæ gratiam per gustum, sed veluti sacrificium illam impetret, illam augeat: & largiatur dona, quę secum affert sacra hostia altaris, in remissionem peccatorum oblata & immolata.

Quæst. *XXXVII.*
An sit aurea Eucharistiæ hostia?

CUm ex pane & vino venerabile conficiatur Sacramentum, qui fieri potest, ut totum evadat aureum? Cur non evadat aureum, cum Christum in se contineat, & in Christo pretiosum aurum divinitatis, quod splendet in capite, *caput eius aurum optimum*; quod resplendet in manibus, *manus eius tornatiles aureæ?* Pretiosum indubie Sacramentum, divinum aurum, in cuius obsequium nonnulla testimonia humana, quæ dicta de auro terreno sunt, cadent melius & vtilius in auream Eucharistiam. Ex horum applicatione magis & magis elucescet, quæ sit inter aurum & Sacrificium altaris congruentia ac convenientia. Cant. 5. 11. 14.

Plinius lib. 33. duas dicit esse rationes, propter quas aurum ceteris metallis preferatur. Prior est, *quia rerum uni nihil igne deperit, tuto etiam in incendijs rogisque durante materia. Quinimmo quo sæpius arsit, proficit ad bonitatem. Altera causa pretij maior, quam minimum vsu deteri, cum argento, ære, plumbo lineæ producantur, manusque sordescant, decidua materia. Nec aliud laxius dilatatur, aut numerosius dividetur, utpotè cuius unciæ in septingenas & quinquagenas pluresque bracteas quaternum utroque digitorum spargantur.* Habes in aurea Eucharistia duas causas prędictas, ut & illa pretiosa sit. Prior est, quoniam in venerando Sacramento agnus torridus in igne passionis nihil amisit, tuto in incendio rogisque durante eius divinitate. Quinimmo quo sæpius in passione arsit, & magis eius bonitas innituit, & innotuit. Altera quoque ratio pretij est, quod nihil usu deteratur, sed Christus in Eucharistia semper integer perseverat, cum ita laxè dilatetur, ac numerose sacra hostia dividatur. *Fracto demum Sacramento, ne vacilles sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur.* Consonātia sacra Eucharistia cum auro.

Apud Pindar. Od. 1. *Aurum veluti ignis ardens coruscat noctu inter superbificas divitias* & Od. 3. *Inter possessiones aurum maximè venerabile.* Eucharisticum quoque aurum veluti ignis ardens coruscavit nocte cęnæ inter opes & divitias, quibus Christus suos ditavit & locupletavit, *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes*, ut propter hoc unum Sacrificium Ecclesiæ dicere liceat; *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Sacrificium planè mirabile inter cæteras omnes alias possessiones mysticas Sacramentorum, quę suæ Ecclesiæ Christus reliquit. Luc. 1. 53. Prou. 31. 29.

Ex Euripid. Athenæus 4. Deipnos. c. 15. *O aurũ pulcherrimũ, acceptissimumq̃ morta-*

mortalibus! Non tantũ voluptatis mater affert Non tantũ in ædibus filij, non charus pater, quantum illis tu, domi qui te poßident. Veneris profectò si tam blandus conspectus est, cupidines innumeros illam comitari non est mirum. O aurum pulcherrimum, gratissimumque mortalibus! *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Summa in eo voluptas est. *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus.* Procul hinc prophana Venus, procul & Cupido, Virginitatis profectò, si tam blandus conspectus in hoc Sacramento est, cupiditates cælestes, & affectiones innumeras illam comitari mirum videri non debet.

Zach. 9. 17.

Lucian. lib. 6. *Iam vero quid tibi commemorem, quam multos usus præbeat aurum, ut & eos, quibus adfuerit, formosos & sapientes & potentes reddat, decus & gloriam illis concilians, ut nonnunquam ex obscuris & infamibus claros ac celebres repente efficiat.* Cedat Eucharistiæ aurum, cuius usus animam mirum in modum venustat. Quam alloquens August. tom. 9. Tractat. de 4. feria, inquit, *ut anima pulchra permaneas, carnem eius quotidie manducabis,* reddit sapientem hominem; *Cibavit illum pane vitæ, & intellectus:* reddit potentem, ut dicere possit; *Omnia possum in eo, qui me confortat:* conciliat decus & gloriam, regiam & sacerdotalem: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium:* repente ex humili & obscuro homine clarum & celebrem efficit, *O res mirabilis, manducat Dominum pauper seruus & humilis,* pauper ditatur, seruus dominatur, humilis ad sublimia erigitur, & evehitur.

Eccl. 15. 3. Phil. 4. 13. 1. Petr. 2. 9.

Eumolpus apud Petron. in Satyr. *Noli mirari, si pictura defecit, cum omni[...] dijs, hominibusque formosior videatur maßa auri, quam quicquid Apelles, Phidias, Græculi ve delirantes fecerunt.* Nosti, quod *omnia in figura contigebant* Hebræis, noli mirari si pictura veterum omnium sacrificiorum inducta & instituta per Moysem defecit, cum Deo & hominibus formosior videatur massa auri Eucharistici, quam quicquid Moyses delineavit & delirantes ethnici insculpserunt, & finxerunt auctores superstitiosi inanium idolorum & vanorum simulacrorum.

1. Cor. 10.

Arist. de Mirabilibus Auscultation. *Circa Pæoniam dicunt crebris imbribus terra liquefacta aurum, quod apyrum vocant, inveniri, atque ibi adeo fertile solum esse auro, ut a plurimis pondus minam excedens repertum sit. Ex eo regi exhibent glebas duas, quarum altera duas, altera tres libras appendat, primumque ex ijs cibum degustari.* Nemo est, qui nesciat, quanti fuerint sacræ passionis imbres, ex ijs aurum Eucharisticum processit, ex quo duas partes, hostiam scilicet & calicem soli Deo & non alteri immolamus, & nos de eodem auro gustamus & communicamus.

Cassiodor. lib. 9. epist. 3. *Vincitur natura auri, dum eam meliorat industria. Pulchrior est, dum arserit, potior, dum decoxerit. Quia tantum crescit ad pretia, quanta fuerit sinceritate mundata. Origo quidem nobilis, sed de flamma suscipit vim coloris. Vt magis credas inde nasci, cuius similitudine videtur ornari.* Christus semper & ubique aureus, habet semper aureos mores, sed in igne amoris aurea eius vincitur natura, tunc pulchrior & potior, & tantum crescit ad pretia, quanta fuerit amoris eius sinceritas. Origo quidem nobilis ex Patre Deo & Matre Virgine, sed de flamma amoris suscipit vim caloris & coloris. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Ut magis credas inde nasci, cuius similitudine videtur ornari. Accedit Dionys. de Cęlest. hierarch. *Dominus noster & Deus, qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratißimum in sui traducit effigiem, deiformesque reddit.*

Psal. 118. 114.

Seneca.

Seneca epist. 95. *Admirationem nobis parentes auri fecerunt, & teneris infusa cupiditas altius sedit, crevitque nobiscum. Deinde totus populus in alia discors in hoc convenit: hoc suspiciunt: hoc suis optant: hoc dijs velut rerum humanarũ maximum, cum grati videri volunt, consecrant. Nihil illis melius nec dare videntur dij immortales, nec habere.* Sacramentum altaris mirabile est, cuius admirationem Patres Ecclesiæ per continuam traditionem, & parentes nostri per instructionem nobis fecerunt, & teneris infusa cupiditas altius sedit, circuitque nobiscum. Deinde Christianus populus in alia sæpe discors in hoc convenit: hoc suspiciuut: hoc suis optant: hoc Deo velut rerum omnium maximum, cum grati videri volunt, consecrant & sacrificant. Nihil illis melius nec dare posse videtur Deus, nec habere: *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines.* Zac. 9. 17.

Quæst. XXXVIII.

Quomodo ex pane & vino Eucharistico mysticum aurum confici potest.

EX varijs diversisque materijs datum est naturę, ut aurum suum efficiat. Auctor est Plinius lib. 33. ca. 3. quod *Saulances regnaverat in Colchis & terram virginem nactus plurimum auri argẽtique eruisse dicatur in suapte gente, & alioquin velleribus aureis inclyto regno*: Hinc Phryseum vellus aureum, de quo multa Poetæ, pręsertim Flaccus in Argonauticis: Suidas vero libros fuisse auri conficiendi rationem docentes tradit. Datum quoque naturæ est, ut non solum ex terra, sed ex plantis etiam aurum conficiat. Alexander ab Alexandro. 4. Genialc. *In citeriori Germania*, inquit, *intra Danubium loca sunt, ubi vites nascuntur, quæ in gelidissimo tractu per hiemem nive foventur: liquatis nivibus & æstate anni ingruente geniculatas frondes emittunt, sed parum vini: interque eas existunt nonnullæ peculiari miraculo, quæ claviculos & plerumque candicantia folia ex puro auro germinant & simul coalescunt.* Accepisse se hoc a testibus oculatis scribit, penes quos fides dictorum sit, dicendorum vero fides sit penes nos.

Credimus ex terra virgine Christum ferentem secum aurum divinitatis productum & generatum: credimus ex terra virgine panem sacrosanctum provenisse, in quo divinitas fulget, cuius magnus cultor Andreas coram Ægea patefecit mysterium, cum dixit, *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari: cuius carnem posteaquam omnis populus credentiũ manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus.* Hic idem Apostolus Doctor & auctor est, quod sicut primus homo de terra adhuc virgine formatus est, sic & Agnus Dei ex Matre Virgine processit. Aureũ vellus huius agni, quod tanti fit & æstimatur, pro insigni summæ nobilitatis accepto & dato a Philippo Sereniss. Burgundiæ Duce ex Agno Sacramentali ortum & originem habuit, & habet sub nomine Apostoli Andreæ, qui primus terrę virginis, Agni, & velleris aurei extitit prædicator. *Aurea divinitas.*

Credimus Christo dicenti, cap. 15. Ioann. *Ego sum vitis, vos palmites.* Hæc vitis in terra gelidissima fuit, oppressa & obruta nivibus diræ passionis, sed emersit, & protulit ex se pretiosum vinum, quod in sancto altari offertur, consecratur, & datur. Parum ibi de vino est, cum sint solum exteriora accidentia: suppleturque de auro, quod de vino

desideratur. Huius aureæ vitis palmites sunt Apostoli & Apostolici Sacerdotes, qui conficiunt in altari sacrificium, in quo parum de vino est, de auro plurimum, nec tamen propterea parvi debet æstimari. Sicut apud Germanos æstimabatur, addit enim Alexand. ex certa relatione: *Id apud incolas ostentô minime haberi: sed quia in locis plurimis id accidere soleat, quasi inter quotidiana & frequentia reputari.* Dolendum est non haberi apud multos aureũ Christi sanguinem, sed inter quotidiana & frequentia computari, quod in locis plurimis immoletur, & consecretur.

Quæst. XXXIX.
An in sacra hostia sit vellus aureum.

AVreum vellus, ut ait citatus Suidas, *liber fuit in membranis conscriptus, qui continebat quomodo per artem fundendi, quam Chymiam dicunt, aurum esset faciendum. Merito igitur tum id vellus aureum appellabatur, propter artem, quæ in eo tradebatur.* Et ut ipse tradit in Diocletian. Ægyptij, hoc Cæsare imperante, artem istam ex libro illo didicerunt: odio tamen illos habens Imperator ob excitatum tumultum veterum scripta de fusione argenti atque auri conquisita combussit ne ex illa arte ditati Ægyptij, & pecuniæ freti copia postea rebellarent.

Aureum vellus Eucharistia. Eucharistia non solum aurea est, sed gestat etiam rationem, quæ si servetur, indubiè omnia fient aurea. Crux & passio Christi erant per se abiecta, erant obscura, quę considerata in hoc Sacrificio sunt nimis pretiosa, sunt aurea. Sunt & aurei consecrantes & communicantes, quorum nomine ait Chrys. Hom. 61. *Nos sanctæ mẽsæ assistimus regiæ, specie pulchros esse decet aureum animæ mundum habentes.* Quò pertinet id quod ait Imperf. in Matth. Hom. 38. *Tunc aurea erit Ecclesia, cum aureos Præsules, aureosq́; habuerit Sacerdotes.* Ecclesię Sacerdotes & fideles omnes habent in hoc Sacramento duas rationes, ut se faciant, faciant & alios aureos. Prior ratio est, si quis consideret extrema Christi patientis, prout ipse præcepit & præscripsit, cũ cõdidit Eucharistiam. *Hac quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Hæc extrema aurea sunt mysticæ illius columbæ, quam descripsit David, & de
Ps. 67. 74. qua conclusit, *Posteriora dorsi eius in pallore auri.* Hoc aurũ pertinet ad Abrahamum, de quo scriptum est, *Exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gavisus est*, & de quo Ambr. lib. 2. de Abraham Patriarc. c. 5. *Habebat aurum, qui vidit Christi postrema, de quo scriptum est; Et postrema eius in specie auri. Ideo auri speciem habere meruit & possidere.* Possidebit itaque aurum, quæ extrema Eucharistiæ mysteria recolat in se & in se speciem habebit auri, ut & ipse aureus sit. Est & alia ratio faciendi homines aureos, si quis ita tractet, ita percipiat Eucharistiã, ut memor beneficentię, sit erga pauperes munificus ac liberalis iuxta monitum Apostoli, *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci,*
Heb. 13. 16 *talibus enim hostijs promeretur Deus*, Pro hoc etiam argumento consulendus est Amb. li. 2. de officijs c. 28. ex quo hæc pauca de multis, *Agnosco infusum auro sanguinem Christi non solum irrutilasse, verum etiam divinæ operationis impressisse virtutem redemptionis munere. Tale aurum sanctus Martyr Laur. Domino reservavit, a quo cum quærerentur thesauri Ecclesiæ: promisit demonstraturum se. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus, ubi essent thesauri, quos promiserat, ostẽdit pauperes dicẽs: Hi sunt thesauri Ecclesiæ, & vere thesauri, in quibus Christus est.* Christus in Eucharistia aureum facit Sacramentum, reddit & pauperes aureos, in quibus esse deprehenditur.

Po-

& illum qui tunc homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cæpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia; deinde interveniente tempore, convalescente consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.

Secunda Origo adulatio fuit, additque propterea Sapiens, *Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, aut affectus, aut Regibus servientes homines incommutabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.* Primus Rex, qui sic adoratus est, Belus fuit, ut in Chronic Eusebius, & Isidor. lib. 8. Etymolog. c. 11. tradunt.

Tertia origo idolorum fuit ex stupida hominum admiratione, capti & rapti pulchritudine cælorum & ordine elementorum, quorum imagines sibi fecerunt, & superstitiosè coluerunt, ut notat idem Sapiens. cap. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est: neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex: sed aut ignem aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt, quorum si specie delectati deos putaverunt, sciant quanto ijs dominator eorum speciosior est.*

Deinde, invalescente prava hominum consuetudine, omnibus fere creaturis, quæ ad usum humanum pertinebant, sub nominibus deorum & dearum divinos honores exhibebant.

Hæc quatuor idololatrię principia per sacram sunt ablata Eucharistiã, in cuius divino cultu & adoratione fremunt dæmones, *Omnes dij gentium dæmonia*, cum videant divinum exhiberi honorem Christo in Eucharistia, qui contra fas omne sibi olim impendebatur. Fremunt & cum dæmone hæretici, *Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania adversus Dominum, & adversus Christum eius?* Notent imprimis & advertant idolum vitam & mores corrumpere, cum dixerit Sapiens, *adinventio illorum corruptio vitæ est*, & cum subiungat; *Neque enim erant ab initio, neque erunt imperpetuum* quid nouum idolum est, & stare minimè potest. Longè alia ratio est in Eucharistia, cum mores & vitam componat, immo & compositum velit eum, qui accedit ad communionem, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Longè abest ab idolo, quod nouum est, & ab initio non fuit, cum fuerit Christus ab initio ęternitatis: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Idem ipse manet imperpetuum, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Tollit Eucharistia omnia principia idololatriæ. Ps. 95. 5. Ps. 2. 1. 1. Cor. 11. 28. Ioa. 6. 58.

Primum itaque principium idololatriæ ablatum est per Eucharistiam, in cuius sacrosancto sacrificio non dolet æternus Pater de morte sacratissimi filij, sed gaudet se talem habuisse filium, qui moriens in ligno pro reis, de morte, ligno & reatu gloriosissime triumphavit.

Secundum principium idololatriæ cessavit per Eucharistiam, a qua omnis adulatio exulat ęmula veritatis, cum verum sit hoc sacrificium, verus potus & cibus; *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ioan. 6. 56

Tertium vanę superstitionis principium ex specie & pulchritudine creaturarum assumptum corruit in præsentia venerabilis Sacramenti, cujus comparatione vel ipsa cęli luminaria nec pulchra, nec formosa sunt, *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Pulchrum ad speciem, bonum ad utilitatem pertinet. Zach. 9. 17.

Cessat quartum principium idololatriæ, quod ab utilitate pendebat, cum nihil sit utilius hoc Sacrificio, a quo uno solo pendet æterna vita,

sicut

sicut & vita temporalis a cibo & potu dependet. Ea propter in pane & vino, quibus ita homo indiget, seipsum Christus obtulit, & præbuit. Semper Christus humanę consuluit utilitati, unde & August. in Psalm. 149. *Venit*, inquit, *Iesus Christus prodesse omnibus, sed elegit prodesse Imperatori de piscatore, non piscatori de Imperatore.* Hoc autem ideo factum est, nec aliter fieri potuisset, nisi esset in illis Christus. Confirmat hoc ipsum August. lib. 18. de Civit. Dei, cap. 9. *Elegit discipulos, quos & Apostolus nominavit, humiliter natos & illiteratos, ut quicquid magnum esset, & facerent, ipse in eis esset, & faceret.* Qui sic proderat habitans in Apostolis virtute gratiæ, quam utilis erit in Eucharistia, in qua vere & realiter existit auctor divinæ gratiæ.

Quæst. XLIV.

Cur Eucharisticum munus sponsæ suæ Ecclesiæ Christus dedit.

APud Plutarch. in qq. Centuriat. secunda est, *Quare numos capere viro ab uxore, aut a viro uxori prohibitum fuit?* Quæsito respondet varijs rationibus, quas brevirer refero; Solon donationes ratas morientium sancivit, nisi quis vi astrictus, vel uxoris inductus esset blanditijs, hoc enim pacto necessitatem ut cogentem excipit & simul circumveniẽtem voluptatem. Ita suspectæ uxorum & virorum fuerunt donationes. Præterea levissimam duxerunt amicitiæ notam dare: donant enim etiam alieni, & qui non diligunt. Sustulerunt ejusmodi gratiam, ne mercenarium sed gratuitum esset, & propter se non propter aliud mutuo amare. Adde, quod virorum & mulierum bona debent esse communia, etsi mutuæ possent esse inter eos largitiones, huic iuri manifestè derogaretur.

Munus Euchari-stiæ volũ-tarium. *Se dat suis manibus* Christus, igitur sciens & volens se tradit sponsæ suæ sine ulla coactione & circumventione. Nullum periculum a carnis blanditijs in Eucharistia, quę voluptates carnales respuit & reijcit. Non est hoc donum ex his, quæ a diligentibus & non diligentibus dari & accipi
Ioa. 13. 1. possunt. Cum Christus *dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, & in eis summè amans Ecclesiam munus Eucharisticum largitus est, nec largiri potuisset, nisi extremè dilexisset, prælucens exemplo Sacerdotibus tanti mysterij ministris, ut in statu charitatis & gratiæ illud administrarent. Quod ut similiter accipiatur, præceptum est, *Probet autem seipsum ho-*
1. Cor. 11 28. *mo, & sic de pane illo edat.* Non est nota levis amicitiæ, sed potius maximum argumentum. Nihil hic mercenarium sed gratuitum, nullam quippe Christus nec sperat, nec petit retributionem præter amorem, cuius mutuam consonantiam inter utrumque coniugem sacra confirmat Eucharistia, ut nimirum propter se, non propter aliud ament sicut se amant, cum dicat
Cant. 1. 16 Ecclesia, *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Non derogat Eucharistia iuri, quod mandat, ut bona sint communia viri & uxoris, legem potius illam confirmat, cum virtute venerabilis Sacramenti quicquid boni Christus habet deponat apud Ecclesiam. *Quid enim*
Zac. 9. 17 *bonum eius est & quid pulchrum eius nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* & quidquid habet boni Ecclesia sacræ Eucharistiæ tribuat & asscribat. Habet causam ut adscribat Eucharistię, quod semper benè sibi cum ipsa sit, nunquam malè. Cum Polycarpus urgeretur à tyranno, ut defice-

deficeret a Christo, replicavit numquam sibi male cum Christo per septuaginta annos, sed semper bene fuisse, ac proinde nullam esse nec posse esse occasionem ut ab obsequio ita boni domini recederet. Cum a tot sæculis bene cum sacra Eucharistia fuerit semper Ecclesiæ, habet rationem, ut in despectum hæreticorum frementium atque sævientium sacrum munus datum sibi retineat, retentum colat.

Quæst. XLV.

Quare pro celebranda Eucharistia candidis ornamentis utitur Ecclesia?

MOs fuit apud Romanos, ut sponsæ in luctu suorum conjugum stolis, ac vittis candidis uterentur, sicut & in varijs regnis, præsertim in nostra Hispania adhuc utuntur. Antiquę illius consuetudinis causas affert Plutarchus quæst. 3. inter Centuriat. Faciunt hoc, inquit, ut Orco in umbris resistant. Faciunt hoc ut assimilentur maritis, quorum cadavera alba sindone involuerunt. *Corpus hoc modo exornant, quando non possunt animum: eum volunt lucidum purumque prosequi tamquam exauctoratum iam decertato ingenti certamine & vario.*

Celebrat Romana Ecclesia in æternam mortis cari sui sponsi memoriã Festum Corporis Christi candidis antipendijs, & ornamentis induta ut Orco & umbris resistat, dæmonum & hæreticorum, qui omnes tanti Sacramenti veritatem obscurare & obfuscare conantur. Facit hoc Ecclesia ut similis fiat Christo, qui alba involutus sindone triduo iacuit in sepulchro. Quod si Romanę sponsę corpus ita exornabant, quia non poterant animum, utrumque Ecclesia potest & corpus & animum ab omni labe & lue purificare, purum & lucidum reddere, & sequi charum suum conjugem exauctoratum iam decertato ingenti certamine & vario sanctæ passionis conflictu, in cuius exitu dixit Sponsus Patri, *In manus tuas commendo spiritum meum:* hoc est, *Spiritum utique meum in manus tuas commendo, non tantum, quem gero ut homo, sed quem mediator & redemptor acquisivi mihi. Meum plane dixerim, membra mea, Ecclesiam meam, sponsam, quam patiendo pro illa meam facio. Hunc spiritum meum nuncupo, quia adhærendo mihi unus spiritus fit & unum corpus.* Hact. Iustinian. de Triumphal. agone Christi c. 20.

Cultus Eucharistia in candore.

Luc. 23. 46.

Scio in die Parasceves, cum Christus obijt, Ecclesiam Sanctam, sacerdotes, Crucem & altaria in nigris esse; hoc autem ideo fit, quoniam feria sexta passionis *tenebræ factæ sunt super universam terram*; & oportebat ut terra & cælum in atrato colore convenirent. Convertuntur paulo post in lumen tenebræ, siquidem proximo die ac mane decantatur cum triumpho, *lumen Christi*, accenduntur candelæ, & cerei & lampades per totam Ecclesiam, quę non in veste nigra ac lugubri compareat, sed in alba & candida pro more & ritu Angelorum, qui eo ipso die in signum & argumentum lętitiæ vestiti indumentis albis Resurrectionem Christi celebrarũt, & ipsa similiter ornata in sancto Missę sacrificio eandem celebrat, ac colit solennitatem.

Matt. 27. 45.

Quæst.

Quæst. XLVI.

Quomodo Eucharistiæ sacrificium adversetur Bacchanalibus?

SAtis nota, satis manifesta est agitata quæstio in aula regis Darij, relata in libris Esdrę, quid potentius, quid esset fortius in rebus. Egit unus partes vini, alius Regis tenuit, Zorababel fortiores esse mulieres tutatus est, sed non præ veritate, quæ virtute ac fortitudine vinum, Regem ac mulieres antecederet, & hic cæteris præripuit palmam, gloriosamque victoriam cum magno Regis & aulicorum applausu adeptus est. Similis huic controversiæ concertatio est & semper fuit in Bacchanalibus, an vinum, an princeps mundi hujus, an mulieres prævalerent. Et quidem ut incipiamus à vino, videbatur illud prædominari, quemadmodum & ipsum nomen Bacchanalium pręse fert, deductum ac derivatum a Baccho, qui hæc profana festa propter vindemiam introduxit. Apud Tacit. lib. 11. Annal. Messalina uxor Claudij Imperatoris simulacrum vindemiæ per domum celebrabat: urgeri præla, fluere lacus, & fæminæ pellibus accinctæ assultabant, ut sacrificantes vel insanientes Bacchę: ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, iuxtaque Siliū, hedera vinctos, gerere cothurnos, iacere caput strepente circum procaci choro. Apud Plutarch. lib. 6. Sympos. q. 5. Maximę & perfectissimæ Iudæorum solennitatis & tempus & modus cum Bacchi sacris congruit. Quod enim ipsi vocant *Ieiunium*, id sic celebrant, ut maximè, fervente vindemia, proponant mensas, in quibus expositæ sunt omnis generis fruges, & sub tabernaculis desident, potissimum è palmitibus & hedera, quæ contexuntur; & diem, quæ festum antecedit, *Tabernaculariam* nominant. Ita solenne erat ingurgitare se vino, ut piaculum esset tunc temporis aquam gustare. Lucian. de non temerè credendo calumniæ hanc refert; Quondam apud Ptolomæum, cui Dionysio cognomen fuit, quispiam Demetrium Platonicum accusaverat, quod in Bacchanalibus aquam biberet, solusque omnium muliebribus non vestiretur: de quo nisi accersitus ad Regem manè palam vino libasset, & instita muliebri amictus saltasset, actum planè erat, quod & regium exemplum non esset imitatus, & aspernaretur Dionysiorum mollitiem. Tantus erat, & tāti fiebat usus & abusus vini. Bacchanaliorum quoque tempore quantum princeps huius mundi prævaleret, vel ex eo maxime cōstare potest: quod tunc fanda & nefanda sacra illi fiebant Bacchanalia, Liberalia, Orgia, Dionysia, de quibus consulendus est Theodoret. lib. 1. de curand. Græc. affect. unde paucula de multis hęc referenda sunt. *Voluptatem Venerem, ebrietatem vero Bacchum appellantes, quod ex utroque perficitur, Priapum esse dixerunt, eo scilicet, quod voluptas adjuncta ebrietati obscœna intendat. Hinc & Dionysij phalum, (unde Phallagogia vocant, quæ festa Priapo concelebrant) adorabant quidem permisceri, basiabanturque cuncti, qui eiusmodi orgia celebrabant.* Tanta erat superstitio, qua princeps huiusmodi colebatur & adorabatur. Hoc eodem tempore potentissimus erat vanus fæminarum luxus, de quibus Aug. lib. 7. de civitat. Dei cap. 21. inquit; *Iam vero Liberi sacra ad quantam turpitudinem pervenerint, piget quidem dicere*; pudet & referre, hoc autem non omittam, quod ait Seruius in 6. Æneid. *Quia noctu celebrantur Bacchi sacra*

sacra, Nyctelia appellantur, quæ populus Romanus exclusit causa turpitudinis.

Triumphabat in Bacchanalibus vinum, prædominabatur princeps huius mundi, prævalebant mulieres, donec veritas appareret, & ad eius aspectum orgia plane iam disparent. Apud Plutarch. lib. de Isid. & Osirid. Ægyptij vigesima die primi mensis diem Mercurio festum celebrantes, mel & ficos edunt, simul dicentes; *Dulce est veritas*. Non erat apud eos, apud nos est mel Eucharisticum. Exclamat in lib. de Contemplat. August. *O Deus meus & mel dulce*, habet & secum ficos, *Ficus protulit grossos suos*. Comede gusta, clama & exclama: *Dulce est veritas*. Hanc produxit David Psalm. 33. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*: Ioan. 6. hanc ipsam prædicat Christus, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*. Magna hæc veritas & fortior præ omnibus, ut & dicere possim cum Zorobabele lib. 3. Esdræ. cap. 4. *Omnis terra veritatem invocat, cælum etiam ipsum benedicit, & omnia opera moventur, & tremunt eam, & non est cum ea quicquam iniquum. Vinum iniquum, iniquus Rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominum, & iniqua omnia eorum opera, & non est in ipsis veritas, & in sua iniquitate peribunt, & veritas manet & invalescit in æternum, & vivit & obtinet in sæcula sæculorum.*

Triūphus Eucharistia.

Cant. 2. 13

Celebratur in hoc Sacramento triumphus veritatis, *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*. Postquam Alexander Magn. de Indis victoriam reportarat, ut inquit Curt. lib. 9. celebrare voluit Bacchanalia. Elatus animo, vicos, per quos iter erat, floribus, coronisque sterni iussit: liminibus ædium crateras vino repletos, & alia eximiæ magnitudinis vasa disponi, vehicula deinde constrata, ut plures capere milites possent, in tabernaculorum modū ornari, alia candidis velis, alia veste pretiosa. Primi ibant amici, & cohors regia varijs redimita floribus, coronisque. Alibi tubicinū cantus, alibi lyræ sonus audiebatur. Item in vehiculis pro copia cuiusque adornatis comessabundus exercitus armisque maxime decora erant circumpendentibus ipsum, convivasque currus vehebat, crateris aureis eiusdemque materiæ ingentibus poculis prægravis. Hoc modo per dies septem bacchabundum agmen incessit. Non magna nec magnifica victoria, quæ desinit in bacchanalia, sed quæ illa destruit, & hæc est victoria Eucharisticæ veritatis, quæ adversatur ementitis vestibus Bacchanalium. Refert Sur. mense Nou. in vita Godefridi Episc. Ambianens. quod cum unus vir in habitu femineo accepisset Eucharistiam, statim cœpit turbari, spumas fundere. Quod accepit, cum dolore evomuit, fassusque est se virum & habitu femineo ad communicandum accessisse.

1. Ioa. 5. 4

Quæst. XLVII.

Quare Eucharistia hostia sit extremum Ecclesiæ adiutorium?

MUlta sunt in Ecclesia & pro Ecclesia auxilia & adiumenta, sed extremum positum in Eucharistia, cuius causa dixit Christus Matt. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Esse auxilio cæteris non tam humanitatis quam divinitatis argumentum est, ut probat Plinius lib. 2. c. 7. *Matrimonia quidē inter Deos credi, tantoque æuo ex his neminē nasci, & alios esse grandævos, semperque canos, alios iuvenes atque pueros, atricolores, aligeros, claudos, ouo editos, & alternis diebus viventes morientesque, puerilium prope deliramentorum est: sed super omnē impudētiam adulteria inter ipsos fingi: mox iurgia & odia, atque etiam furtorum esse & scelerum nomina,*

Ee

na, Deus est mortali iuvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres, ex Romani: hac nunc cælesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis aui rector Vespasianus Augustus, fessis rebus subveniens. Hic est vetustissimus referendi benemeritis gratiam mos, ut tales numinibus adjungantur. Deus est mortali iuvare mortalem, sed illud in Deo divinius, cum desiciente omni mortalium auxilio adest ipse & per se destitutis ope humana favet. Noverat hoc Philo qui lib. de Legat. ad Caium, inquit, *Valeant igitur humana præsidia, quæ nos deserunt, modò in anima spes firma maneat, Deum nobis servatorem non defore, qui sæpe gentem hanc eripuit.* Et iterum cum per indignationem ipse & socij dimissi essent ab Imperatore, dixit; *Nunc oportet esse bono animo, quando Caius iratus est: nunc enim Deus nobis contra illum aderit.* Accedit Chrysostom. Sermon. 156. *Herodis refuga gentis Iudaicæ invasit regnum, libertatem sustulit, prophanavit Sancta, confudit ordinem, quicquid disciplinæ, quicquid cultus est, abolevit: merito ergo genti sanctæ, quia humana desunt, divina succurrunt, & adest Deus ipse, cui homo non erat, qui adesset.* Tandem Basil. Episcop. Seleu. orat. 30. *Quibus nullum humanum præsidium præsens est, apud hos Dei potestas retinetur integrior.*

Extremũ adiutoriũ esse in Eucharistia probatur.

Tunc temporis Christus instituit ac condidit venerabile sacrificium, cum omne auxilium & adiutorium humanum defecit, ut vel ex ipso tempore disceremus, pro extrema necessitate se sub formis panis & vini remãsisse. Quę causa est, ut per modum viatici illud confecerit, & gratiam eorum, qui ad extrema redacti, nullum ab homine, omne solum a Deo auxiliũ sperant, & bene sperantes dicunt, valeant igitur humana præsidia, quę nos deserunt, modo in anima spes firma maneat. Deum nobis servatorem non defore. Bene sperant, quoniam ubi humana desunt, succurrunt divina, & adest ipse in Eucharistia, cui homo non erat, qui adesset. Ad hunc statum redacta S. Clara erat, cum barbari invaderent sacrum suum monasterium, & actum videretur de religiosis Monialibus, tunc Clara ad Eucharistiam recurrit, ut se ac suas iuvaret. Factum puta. Cum haberet sacrum Ciborium in manibus, & sacrę adessent virgines, audita est de cælo vox, *Ego vos custodiam*, & mater & filię fideliter sunt servatæ ac custoditæ; *Quibus nullum humanum præsidium præsens est, apud hos Dei potestas retinetur integrior.* Cum Deus pro auxilio indigentium utitur creaturis, quonammodo dividit Deus potentiam suam cum ipsis, tunc retinetur integrior potestas, cum deest creatura, quæ adiuvet & assistat, ad quam potestatem tamquã ad summum & extremum auxilium & asylum recurrit Ecclesia, tunc maxime cum maiora patitur pericula atque discrimina. Adiungendum in præsentia est pulchrum testimonium Saluiani li. 6. de Provid. *Quoties in metu, in angustiis, in periculis sumus, cum aut cives ab hostibus obsidentur, aut provinciæ populatione vastantur, aut quibuscumque rerum adversitatibus Reipublicæ mẽbra cædũtur, & opẽ cælestis manus voce precamur, si quo sacra miserationis auxilio aut servatæ urbes fuerint aut finita populatio, aut exercitus hostiles fusi & metus omnis dono divinitatis ablatus, quid statim post hæc omnia facimus? compensare, credo, Domino Deo nostro cultu, honore, reverentia beneficia, quæ ab eo accepimus, admitimur. Hoc enim est consequens, atque id etiam usus vitæ humanæ habet, ut referatur gratia fæneratoribus gratiarum, & recipiant vicem munerum munerantes. Ita ergo nos forsitan facimus atque humanis saltem cum Deo nostro retributiones agentes cum ab eo bona accepimus, bona reddimus, ad domos videlicet statim Dominicas currimus, corpora humi sternimus: mixtis cum fletu gaudiis supplicamus: illustramus donariis sacra limina, aras muneribus.*

Quæst.

Quæst. *XLVIII.*

Consonantia Sanctæ Crucis & Sacrificij Missæ quot & quales?

Crux & Eucharistia communes.

SUpplicium Crucis a varijs regnis & nationibus receptum, nimirum ab Hebręis, Philistheis, Ægyptijs, Persis, Scythis, Sarmatis, Afris, Gręcis, & Romanis convertit Christus in sacrificium cruentum; sicut & panem & vinum, quod est commune omnibus partibus orbis, elegit, ut incruentum holocaustum de se faceret, & factum offerret Patri.

Gloria Crucis & Eucharistia.

Supplicium Crucis nemo ignorat quam fuerit olim infame, ideoque in servos ferebatur. Horat. Satyr. 6. *Pone Crucem servo.* Hanc infamiam pati Christus voluit, qui *cum in forma Dei esset, non rapinā arbitratus est se esse æqualem Deo, sed seipsum exinanivit, formam servi accipiens.* (Phil. 6.) Tantam infamiam, tantamque voluit tolerare ignominiam, ut redderet Crucem gloriosam, dicereque posset Paulus: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* (Gal. 6. 14.) Eucharistia ex pane vili ac vulgari conficitur, & in ea gloria Dei est, *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.* (Eccl. 31. 24.) Et quidem Sacerdos cū sacram hostiam habet in postrema elevatione, non immerito dicit; *Per ipsum & cum ipso, & in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor & gloria.* Hæc enuntians efformat Cruces cum sacra hostia, ut in hostia, & Cruce honorem omnem & gloriam esse protestetur.

Crux & Eucharistia militares.

Supplicium Crucis militibus inferebatur, quos in Crucem actos refert Valer. lib. 2. c. 7. & Iulius Capitolinus scribit de Macrino Imperatore, *In Crucem milites tulit, & servilibus suppliciis affecit.* Christus militaturus venit. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Sine ullo militavit stipendio; qui se sub Præside Syriæ Cirino humanis castris addixit, & solvit numisma census. Nullam ipse accepit solutionem, nec habuit locum, in quo posset pauper hiemare miles; *Non erat ei locus in diversorio:* (Luc. 2. 7.) & semper illo caruit, sicut & ipse testatur; *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis nō habet, ubi caput suum reclinet.* (Luc. 9. 58.) More militari mortuus est in campo, *extra portam passus est.* (Heb. 13. 12.) Patitur ac moritur *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis,* (Phil. 2. 8.) sciens & docens quam sit castrensis, quam sit militaris virtus obedientiæ. Sacrificium quoque Missæ militare est, ac proinde sacerdos cum sacris se ornamentis induit, ad arma se parat & instruit, cum accipiēs amictum dicat; *Impone Domine capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.* Adhuc Christus obedit in sacro, cum ad vocem Sacerdotis sub accidentibus panis & vini constituatur. Convertit Crucis supplicium in vexillum suæ militię, *Vexilla Regis prodeunt. Fulget Crucis mysterium:* mysterium autem Crucis totum Eucharisticum est, siquidem pro regalis vexilli insignibus Agnus Dei immolatus & consecratus est.

Liber a furto Christus in Cruce et Eucharistia.

Supplicium Crucis subibant olim latrones, ut narrat Lucius Florus libr. 3. cap. 19. Huic neci addicti sunt duo illi latrones, qui de mandato Pontij Pilati Præsidis crucifixi sunt cum Christo instar furis Cruci affixo, *Quæ non rapui,* ipse inquit, *tunc exsolvebam.* (Psa 68. 5.) Verum est, quod divinitatem non rapuit, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo.* Quin potius *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* (Phil. 2.) Fures & latrones exhaurire alios volunt, Christus exhausit se, ut alios ditaret ac locupletaret, igitur nec

fur nec latro eſt. Exhauſtus in Cruce apparuit, & exhaurit, & exinanit ſeipſum in ſacra Euchariſtia, offerens & conferens quicquid boni ac pulchri habet, *Quid enim bonum eius eſt, aut quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Cum autem ſcribat Apoſtolus, *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, ita apprehendit, ut ſciens & volens ſemen Abrahæ Chriſto immaculata Virgo dederit, ſcienti autem & volenti nulla fit iniuria, nec illam paſſa eſt, quæ ſine ullo detrimento ſuæ Virginitatis Deum protulit & hominem.

Zach. 9. 17.

Dignitas Crucis & Euchariſtia.

Supplicium Crucis abrogatum eſt per Conſtantinum Imperatorem, poſtquam eius mater Helena Imperatrix Sanctæ Crucis munus illi tradidit. Extant huius abrogationis certa & vera teſtimonia apud Sozomen. Nicepher. & Aurelium Victorem, accedit & Aurelius Auguſtin. Sermon. 14. de verbis Domini, *Chriſtus ipſe, quia honoraturus erat fideles ſuos in fine ſæculi, prius Crucem honoravit in hoc ſæculo, ut terrarum Principes in eum credentes prohiberent aliquem nocentium crucifigi.* Oportebat, ut cum Crux & Euchariſtia immaculato Chriſto ornarentur, nocentem neminem in ſe admitterent, Crux iuſtè patientem, Euchariſtia iniuſtè ad altare accedentem. Commune erat manna omnibus bonis & malis, ſicut & Crux erat, Chriſtianum autem manna, ſicut etiam Crux, malis non datur, nec communicatur.

Crux & Euchariſtia in templis.

Crux ſecundum antiquum ritum, ſicut etiam iuxta nouum morem ſupra templa collocabatur, ut docet inter alios Euthym. 2. p. Panopl. tit. 10. & firmat exemplo S. Gregor. Armeniæ Epiſcopi, & Martyris. Cui bono? *Martyr Gregorius*, inquit, *Crucem in alto quoque ſtatuit, & iubet multitudinem, quæ illic aſſiduè verſabatur, & eo ventitabat, prompto & alacris animi ſtudio, Deo cultum offerre per adorationem Crucis.* Condita ſunt Templa, ut in eis fiat ſacrificium Euchariſtiæ, quod in cænaculo Ieroſolymitano celebratum a Chriſto eſt, cænaculum vero erat in loco inferiore reſpectu montis Calvariæ, ubi ſacrificium Crucis peractum eſt, ac proinde cedit loco Euchariſtia Cruci, non quidem honore ac dignitate. Utrobique Deus idem eſt, utrique idem cultus & eadem reverentia latriæ debetur, & ab Eccleſia Catholica exhibetur.

Crux et Euchariſtia intra templa.

Crux moribus antiquis, & etiam novis, dat Eccleſijs formam, ſiquidem celebriores earum Crucis formam referunt, ita ut Crucem tranſverſalem repræſentent, ut & qualis ſit viva repræſentatio Euchariſtiæ, quę eſt memoria paſſionis Chriſti, ex illa tranſverſę Crucis forma & imagine dignoſcatur. Reſpondent ſibi ita Crux & Euchariſtia, ut mutuo ſeipſas repræſentent Crux Euchariſtiam, Euchariſtia vero Crucem referat, & exprimat. Dixit Chriſtus, *Domus mea Domus orationis vocabitur eſt:* & ut hanc ipſam oſtenderet, ſimul eſſe immolationis induxit ſimul in eam Crucem & Euchariſtiam.

Matt. 21. 13.

Crux et Euchariſtia in altaribus.

Crux non ſolum in templis, ſed etiam in ipſis aris & altaribus Eccleſiarum locum habet, & ſemper habuit. Et quidem a temporibus Apoſtolorum Crucem in altari, ubi divina myſteria peraguntur, collocatam fuiſſe demonſtrant Acta Sancti Martialis Chriſti Domini Diſcipuli, quæ Romę manuſcripta conſervantur. Cum enim certior factus eſſet de nece Apoſtolorũ Petri & Pauli, iuſſit ſtatim perfici ſanctuarium, in quo Crucẽ auream ante aram collocavit, in qua Miſſæ ſacrificiũ fiebat. Etiã in templo a Conſtantino Magno in honorẽ Archãgeli Michaelis ędificato memorat Sozom. Crucis imaginẽ in altari ſtatutã fuiſſe. Et Probian. inquit,

inquit lib. 2. Hist cap. 2. cum unus è satellitibus Imperatoris & neophytus in fide adduci non posset, ut crederet instrumentum salutis nostræ fuisse Crucem, ingressus in templum, quæ in altari quodam erat visionem habuit divinam, qua ei exhibebatur quodcumque tandem in commodum humani generis gestum fuerat, non sine virtute salutifere Crucis gestum fuisse.

Crux in altari apud Indos etiam per traditionem à S. Thoma Apostolo acceptam collocabatur, quemadmodum ex historia S. Francisci Xauerij Apostoli Indiarum constat, & ut referunt Osor. lib. 3. Histor. & Maffæus lib. 2. In India Orientali circa Gangem clarissima urbs est Malipuri nomine, ubi fama est S. Thomæ sacrę reliquias esse. Singulis annis solenne Festum illic celebratur. Accidit itaque, ut convenientibus undique populis stata die Sacerdos Missam diceret. Aderat in altari Crux vetustissima. Ecce autem cunctis videntibus cæpit ea Crux guttas quoddam primo nigrescentes, deinde sanguineas copiose emittere: inde paulatim splendescere, magisque ac magis fulgorem per omnes templi partes spargere. Ubi Sacerdos cæterique universi pavore tremefacti exclamare cæperunt, & divinam misericordiam implorare, donec res resedit, & Sacerdos linteis sacris Crucem extersit. Crux erat lapidi incisa, in cuius fastigio columbæ imago in sedebat, basis verò erat in specie quadam herbarum, & tam fastigium, quam basis & brachia in liliorum formam desinebant. Arcus eam ex eodem lapide factus undique circumdabat, in cruce literæ erant, quarum hic erat sensus, Thomam divinum virum fuisse a Dei Filio, cuius erat Discipulus, in eas oras Sagami Regis tempore missum, ut Dei summi notitia illas gentes erudiret, ibique templum extruxisse, & res admirabiles effecisse, atque tandem cum genibus flexis affixus ad illam Crucem orationem funderet ad Deum, a quodam Brachmane fuisse hasta transfixum. Crucem vero eiusdem viri sanctissimi cruore tinctam ad memoriam virtutis illius sempiternam relictam fuisse. Fulget Crucis mysterium in ipso altari, in quo fulget sacrificium Missæ, & quidem non semel tantum, sed sæpe, siquidem ut ijdem auctores memorant, singulis annis evenire suevit.

Crux in altari pro celebrando sacrificio Missæ ita requiritur, ut cum Sacerdos quidam in regno Murtiæ iubente Agareno rege Missam agere cogeretur, & esset iam sacris vestibus indutus, ausus non sit illam incipere dicens in altari Crucem deesse, ac proinde non sibi licere Eucharisticum sacrificium celebrare. Tunc Angelorum ministerio Crux ibi deposita est, quæ summo cultu ac religione Caravacę colitur & adoratur, & eius contactu salutiferæ Cruces sanctificantur, quæ sparsæ per totum mundum, mira præstant in morbos ac tempestates, contra quas præcipue mirabile tutamentum esse ubique apparet, maxime in urbe Caravacensi, siquidem contra frequentes tempestates Crux sancta exposita per fenestram turris, in qua servatur, tenet in aere nubes, ne Caravacam versus progrediantur & cogantur aliò divertere, rugientes ac frementes magnis tonitruis adversariæ potestates. Exponitur sancta Crux per manū Sacerdotis gaudens eodem ministro altaris, quo sacra Eucharistia gaudet. Hanc ego Crucem in suo Sanctuario visitavi, & de speciali gratia ac privilegio sine theca colènda & simul inspicienda concessa est, nec potui deprehendere cuius esset materiæ, nec quidē constat, ex qua arbore fuerit illa, cui Servator noster affixus fuit. Sunt qui putent confectam ex palma,

Crux requiritur pro Missa sacrificio.

alij ex oliva, alij ex cedro, alij ex cupresso. Glossa vero in Clem. 1 de summa Trinit. quatuor hæc in suo carmine cōplectitur; *Ligna Crucis palma, cedrus, cupressus, Oliva.* Sunt & qui velint ex taxo fabricatā, innixi verbis Ier. cap. 11. *Mittamus lignum in panem eius.* Nomine ligni taxum, quæ est arbor venenosa, intelligi sentit Lyra. Censent alij ex quercu fuisse constructam, ex qua more Absalonis Christus in similitudinem carnis peccati pendulus apparuit. Hoc autem mirum est, quod cum Christus notam esse voluerit materiam Eucharistiæ, nimirum panem ex tritico, & vinum ex vite, cuius arboris esset Crux, in qua pati dignatus est, nobis absconderit. Christus in Cruce patuit, materia latet, Christus ipse latet in Eucharistia, cuius materia patet.

Crucis et Eucharistiæ mensura.

Crux & Eucharistia habent suas mensuras, nimirum illas, de quibus Paulus, *in charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere quæ sit longitudo & latitudo, sublimitas & profundum.* Longitudo pertinet ad Eucharistiam *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*: &, *Ecce ego vobiscum* Eph. 3. 17 *sum usque ad consummationem sæculi.* Pertinet ad idem sacrificium Eucharistiæ, cum in omni loco conficiatur ac celebretur; ut est apud Malach. c. 1. *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Profunditas humilitatis, & sublimitas nominis Iesu respondent Cruci iuxta illud Apostoli, Phil. 2. 8 *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Conveniunt tamen ita inter se Crux & Eucharistia, ut & Crux lata & longa sit, Eucharistia vero sit profunda atque sublimis.

Præit Crucem Eucharistia.

Crux attrivit Christum, siquidem *attritus est propter scelera nostra.* Cum esset granum frumenti, necesse erat ut contereretur, ut ex eo panis fieret Eucharistiæ, cui similis esse volebat S. Ignatius Martyr, cum diceret, *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Verumenimvero cum Christus suum panem confecerit ante passionem, dubitare quis merito posset, quare atteri voluerit postea. Crux Christi in passione erat, quam ab utero suæ matris toleravit, vel ex tunc atterebatur, ut panem mysticum sacri sui corporis nobis daret. Quin potius ipsa Virgo Crux filio suo extitit, ut se in ea immolaret, & consecraret, de quo argumento aliqua dicenda sunt pro maiore assonantia Crucis & Eucharistię.

Crux, Virgo, & Eucharistia sacrificium.

Crux & Eucharistia sunt Virginales.

SAnctus Epiphanius hom. de Laud. Virg. *Dico illam esse cælum, thronum simul & Crucem, extendens enim sanctas vlnas Dominum portavit. Eandem appello Sacerdotem pariter & altare.* Christus erat Deus & homo, Deo erat Maria cælum, & thronus, homini vero erat Crux, sacerdos & altare, in quo se ipse sacrificabat; & ab ipsa sacrificabatur. Fastidierat Deus antiqua sacrificia, ut meminit David Psalm. 39. & Apostolus cap. 10. ad Hebræos, loquens de Christo ait, *Ingrediens mundum dicit, Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi, holocaustomata pro peccato nō tibi placuerunt. Tunc dixi; Ecce venio.* Venit adaptato sibi corpore in vtero virginali, in quo cæpit se Deo Patri immolare & consecrare. Habet causam, ut dicat Ecclesia Christo, *Non horruisti Virginis vterum.* Si solum virginitas consideretur, mirum

rum non est, quod nullum sit passus horrorem tantus amator, ac æstimator puritatis. Illud miratur Ecclesia, quod cum ad vterum veniat, in quo tamquam in Cruce constituatur, illam non exhorreat, & ad illam sacrum suũ corpus aptet, & componat. Adhuc in sacrario Virginitatis continebatur, & maturum iam infantem pro nostra redemptione esse recognoscebat Elisabetha, cum diceret, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Fructus ex arbore pendebat, pendebatque Christus ex Cruce Virginis Matris, ita ut Zacharias non tam faciendam, quam iam factam redemptionem generis humani decantaret; *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Hæc quoque causa est, propter quam statim post ortum suum Christus, cum in vlnis maternis gestaretur, principium dedit sacræ suę passioni per sanguinis effusionem, quam habuit in circumcisione. Prius autem ille natus est in Bethleem, natus in domo panis, quem ipsum ordinem Christus servavit, cum à cænaculo, ubi se incruentum immolarat, venit ad montem Calvariæ, ubi cruentè seipsum sacrificavit. Duplex hoc sacrificium est, & duplex est Crux, quæ utrique respondet. Crux cruentæ passionis respondet cruento sacrificio, siquidem in illa totum pretiosum cruorem Christus effudit. Crux incruentæ consecrationis assonat Virgini, de cuius immaculatis sanguinibus accepit corpus, & sanguinem, quem Deo offerret, & nobis conferret. Qualis concipitur & nascitur, talis, & consecratur. Virgo verbo concepit filium, verbo quoque consecratur, nascitur illæsa virginitate, & illæsis accidentibus in sacra hostia constituitur. Conuenienter igitur in sacro una & eadem prefatio de Christo incarnato, nato & consecrato recitatur, idem namque est *mysterium fidei*, quod est *incarnati verbi mysterium*. Nec quidem minus convenienter *stabat iuxta Crucem* Mater dolorosa, stabat iuxta non solum propter loci propinquitatem, sed etiam propter sacrificij & Crucis cruentæ, & incruentę consonantiam & conformitatem.

Luc. 1. 42
Luc. 1. 68.

Quæst. XLIX.

Quam bonum sit colere sacrificium Missæ.

Sanctorum Patrum responsa per miracula.

Cultus Missæ tollit maleficia.

SAnctus Augustinus lib. 22. cap. 8. de Civitate Dei, Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet enim in territorio Tussalensi fundum Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium & servorum suorum domum suam malignorum spirituum vim noxiam perpeti compérisset, rogavit nostros me absente Presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Ierosolymis allatam, ubi sepultus Christus die tertio resurrexit, eamque suspenderat in cubiculo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At ubi domus eius ab illa infestatione purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat: quam diutius in cubiculo suo reverentię causa habere nolebat.

Forte tunc accidit, ut ego & collega tunc meus Episcopus Synicensis Ecclesiæ Maximinus in proximo essemus, ut veniremus rogavit, & venimus. Cumque nobis omnia retulisset, etiam hoc petivit, ut infoderetur alicubi, atque ibi orationum locus fieret; ubi etiam Christiani possent ad celebrāda quæ Dei sunt, congregari. Non restitimus, factum est. Erat ibi paralyticus rusticanus, qui hoc audito petivit a parentibus suis, ut eum ad eum locum sanctum non cunctanter offerrent, quo cum fuisset allatus, oravit atque inde continuo pedibus suis saluus abscessit.

Cultus Missæ tollit vincula. D. Gregor. hom. 37. in Evangelia: Multos, ut arbitror vestrum, fratres charissimi, contigit nosse, hoc, quod volo ad memoriam vestram narrando revocare. Non longe à nostris fertur temporibus factum, quod quidam ab hostibus captus, longe transductus est. Cumque diu teneretur in vinculis: eum uxor sua cum ex eadem captivitate non reciperet, extinctum putavit. Pro quo iam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerre. Cuius toties vincula solvebantur in captivitate, quoties ab eius conjuge oblatæ fuissent hostiæ, pro animę eius absolutione. Non longo post tempore reversus, admirans valdè suę indicavit uxori, quod diebus certis, hebdomadibus singulis eius vincula solvebantur. Quos videlicet dies eius uxor, atque horas discutiens, tunc eum recognovit absolutum, cum pro eo sacrificium meminit oblatum. Hinc ergo fratres charissimi, hinc certa consideratione colligite, oblata a nobis hostia sacra quantum in nobis solvere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero, potuit in altero solvere vincula corporis.

Cultus Missæ liberat a naufragio. Greg. Magn. lib. 4. Dialogor. cap. 57. Agathus Panormitanus Episcopus sicut fideles mihi ac religiosi viri multi testati sunt atque testantur, cum beatæ memoriæ antecessoris mei tempore jussus esset, ut Romam veniret, vim nimiæ tempestatis pertulit, ita ut se ex tanto undarum periculo evadere posse diffideret. Nauta vero illius Baraca nomine, qui nunc eiusdem Ecclesiæ clericatus officio fungitur, post navem carabum regebat, ruptoque fune cum eodem carabo, quem regebat, inter undarum cumulos repentè disparuit. Navis autem, cui Episcopus præerat, tandem post multa pericula ad Vsticam insulam fluctibus quassata pervenit. Cumque die tertio Episcopus nautam, qui ab eo arreptus in carabo fuerat, in nulla parte maris videret apparere, vehementer afflictus mortuum credidit, sed per obsequium charitatis vivo unum, quod mortuo debebat, impendit, & omnipotenti Deo pro absolutione eius animę offerre sacrificium victimę salutaris iubet. Quo oblato restaurata naue perrexit ad Italiam. Cumque ad Romanum portum venisset, illic nautam reperit, quem mortuum putabat. Tunc inopinata exultatione gavisus, & eum qualiter tot diebus in illo tanto maris periculo vivere potuisset, inquisivit. Qui videlicet indicavit, quoties in illius tempestatis fluctibus cum eodem quem regebat, fuisset carabo versatus, qualiter cum illo undis pleno nataverat: & quoties eo superior in parte deorsum verso, ipse carinæ eius supersederet, adiungens cum diebus ac noctibus hoc incessantes faceret, iamque eius virtus funditus ex fame simul & labore cecidisset, quo eum ordine divina misericordia servaverit, indicavit. Etenim quod etiam nunc usque testatur dicens; *Laborans in fluctibus atque deficiens subito mortis pondere sum gravatus, ita ut neque vigilare me crederem, neque depressus somno essem: & ecce in eodem medio mari me posito, quidam apparuit, qui mihi panem ad refectionem detulit. Quem mox ut comedi, vires accepi, nec longè post nanis transiens adfuit, quæ me ab illo*

illo undarum periculo suscepit, atque ad terram deduxit. Quod scilicet Episcopus audiens requisivit diem, atque illum fuisse diem reperit, quo pro eo Presbyter in Vstica insula Deo omnipotenti hostiam sacræ oblationis immolavit.

S. Gregor. hom. 37. in Euangelia: Multi vestrum, fratres charissimi, Cassium Narniensis urbis Episcopum noverunt, cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre, ita ut pene nullus dies vitæ eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Cui cum sacrificio valde etiam concordabat vita. Nam cuncta, quæ habebat, in eleemosynis tribuens, cum ad horam offerendi sacrificij venisset, velut totus in lachrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. Cuius & vitam & exitum a quodam venerabilis vitæ Diacono, qui fuerat ab eo nutritus, referente cognovi. Ferebat enim quod quadā nocte eius Presbytero per visum dormiens adstitit dicens, vade & dic Episcopo: *Age, quod agis, operare, quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua, natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam.* Surrexit Presbyter, sed quia è vicino Apostolorum natalitius dies imminebat, tam propinqui exitus diem Episcopo nunciare pertimuit. Alia nocte Dominus redijt, eiusque inobedientiam vehementer increpavit, atque eadem iussionis suæ verba retexuit. Tunc Presbyter surrexit, ut pergeret, sed rursus infirmitas cordis impedimento facta est indicandæ revelationis, & admonitionem quoque iterare jussionis, obduravit pergere, & quę viderat manifestare neglexit. Sed quia magnam mansuetudinem contemptę gratię maior solet sequi ira vindictæ, visione tertia Dominus apparuit, iam verbis addidit verbera, ut in eo cordis duritiam emollirent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, perrexit ad Episcopum, cumque iam ex more iuxta beati Iuvenalis Martyris sepulchrum ad offerendum sacrificium consistentem reperit, secretum a circumstantibus petijt, seque eius pedibus stratuit. Cumque eum vbertim flentem Episcopus vix ad se levare potuisset, lachrymarum causas cognoscere studuit. Ille vero relaturus ordinem visionis, prius vestimento ex humeris devoluto, detexit plagas corporis, ut ita dicam, testes veritatis & culpę, monstravit quanta animadversione districtionis membra illius accepta verbera livore inflicto sulcaverant. Quæ mox ut Episcopus vidit, exhorruit, & quis sibi talia facere præsumpsisset, cum magnæ obstupefactionis vocibus inquisivit. At ille respondit hæc pro seipso fuisse perpessum. Excrevit cum terrore admiratio: sed nullas iam Presbyter inquisitionis eius moras adijciens, secretum revelationis aperuit, eique jussionis Dominicæ ea, quæ audierat verba narravit, dicens: *Age, quod agis, operare, quod operaris, non cesset manus tua, non cesset pes tuus, natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam.* Quibus auditis Episcopus se in orationem cum magna cordis contritionę prostravit, & qui oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pro extensæ orationis magnitudine, ad horam nonam usque protelavit. Atque ex illo iam die magis magisque aucta sunt ei lucra pietatis. Factusque est tam fortis in opere, quam certus in munere; quippe qui eum, cui ipse debitor fuerat, ex ea promissione iam cæperat habere debitorem. Huic autem consuetudo fuerat, annis singulis natilitio Apostolorum die Romam venire, iamque ex hac revelatione suspectus venire iuxta morem noluit. Eodem ergo tempore sollicitus fuit, secundo quoque anno, vel tertio in mortis suæ expectatione suspensus, quarto quintoque & sexto similiter. Qui

Cultus Missa quotidianus gratus Deo.

Qui desperare iam de veritate revelationis poterat, si verbis fidem verbera non fecissent. Cum ecce anno septimo usque ad expectati natalis sacras vigilias incolumis pervenit, sed levis hunc in vigilijs calor attigit, atque ipso die natalitio filijs suis se exspectantibus Missarum solennia implere se posse recusavit. Illi vero, qui de eius erant pariter egressione suspecti, simul ad eum omnes venerunt, sese unanimiter adstringentes, ut die eodem nequaquam acquiescerent Missarum solennia celebrari, nisi pro eis apud Dominum idem Antistes suus intercessor accederet. Tunc ille compulsus in Episcopi Oratorio Missas fecit, & manu sua corpus Dominicum, pacemque omnibus tribuit. Qui cuncto ministerio oblati Sacrificij peracto ad lectulum redijt, ibique jacens, dum Sacerdotes suos ac ministros circumstetisse cerneret, quasi vale ultimum dicens, de servando vinculo charitatis eos admonebat, & quanta debuissent concordia inter se vniri prædicabat. Cum subito inter ipsa sanctæ exhortationis verba voce terribili clamavit dicens. *Hora est.* Moxque assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur. Quo extenso spiritum emisit, sicque sancta illa anima ad gaudia æterna perveniens à carnis corruptione soluta est. Quem fratres charissimi, quem vir iste in morte sua imitatus est, nisi eum, quem in vita sua fuerat contemplatus, dicens enim, *Hora est*, è corpore exijt: quia & Iesus peractis omnibus, cum dixisset, *Consummatum est*, inclinato capite tradidit spiritum. Quod ergo Dominus ex potestate, hoc egit famulus ex vocatione. Ecce quotidianę hostiæ illæ cum eleemosynis & lachrymis Missa legatio, quantam cum Rege veniente gratiæ pacem fecit.

Cultus Missa liberat captivos.

Auctor est venerabilis Beda in Histor. Anglicana. cap. 4. fratrem Regis Merciorum Edifredi suorum magna cum strage fusum, inter quos & adolescens nobilis, Imma cecidisse ferebatur. Huic frater erat germanus Inna Presbyter, atque abbas, cui cum de fratris internecione foret nunciatum, ille ad castra properans cadaver sepeliendum inquirit: quod ubi se invenisse credidit (nam fraternus amor iudicij aciem nonnunquam obnubilat) domum advehit honorifice sepeliens, atque pro absolutione animæ eius sæpius Missas facere curavit. Porro ille cum viveret, fraternę pietatis atque supplicationis expers minimè extitit. Nā vinculis nullis (quod vel hostes adeo demirabantur, ut litteris solatorijs, quas dicunt præstigiatores adscriberent) aut stringi, aut vinci potuit, idque maximè sub horam tertiam, quando ex prisco illo Apostolorum ritu Missæ peragebantur. Quo miraculo hostes, quibus captiuus tenebatur obstupefacti, eum Lodoniæ cuidam Fresoni vendiderunt, cui cum idem, quod illis accideret, eveniret, ei facultatem se redimendi fecit. Ad fratrem igitur cum redijsset, exposito quid commodi quidve incommodi per illud accidisset, deprehensum est, illis maximè temporibus soluta illi fuisse hostium vincula, quibus pro eo fuerant celebrata Missarum solennia. Constat igitur, ut infert idem Beda lib. 4. cap. 22. quam sacrificium valeat ad redemptionem corporis & animæ.

Cultus Missæ relaxat vincula.

Simeon Metaphrast. in vita S. Ioannis Eleemosynarij. Cum letalis morbus aliquando invasisset civitatem, maxima cura erat Ioanni Patriarchæ Alexandrino accedere ad ægrotorum visitationem, & eorum, qui decedebant, sepulturam. Sæpe autem cum assidebat ijs, qui emittebant animā, & eorum oculos suis tegebat manibus. Iubebat quoque Synaxes celebrare pro ijs, qui dormierant, asserens & affirmans defunctis multum prodesse

quæ

quæ pro eis fiunt, commemorationes, & sacra ministeria. Ad fidem autem faciendam eorum, quæ dicebantur, tale quid etiam narrabat, quod factum fuerat, & non multo antè. Dicebat enim quod a Persis quidam abductus captiuus, in custodia, quæ appellatur Lethe, asservabatur vinctus. Lex autem erat apud Persas, ut qui coniecti erant in eam custodiam, nunquam revocarentur, & ea ratione consentaneum est, eam fuisse vocatam Lethē, id est, oblivionem. Illinc autem cum quidam potuissent aufugere, & in Cyprum venire, affirmarunt parentibus adolescentis, eum esse mortuum in custodia. Illi vero tres quotannis synaxes celebrabant, tamquam eo mortuo. Quatuor anni præterierant, cum filius illinc aufugiens redit domum. Quem cum parentes non tamquam qui fugisset e custodia, sed tamquam, qui surrexit à mortuis, cum magno stupore aspexissent, & fuissent innumerabili voluptate repleti, & alia faciebant, & dicebant, quæ anima, quæ talem vidisset, faceret & diceret: & quemadmodum & tamquam iam mortuo fecerant iusta, quæ fiunt mortuis: & cum eum docuissent, qui nam essent ij dies, nempe dies sanctorum Thephaniorum, & dies salutaris Paschæ, & dies sanctę Pentecostes. Hęc cum ille audisset, & in memoriam revocasset, parentibus affirmabat, quod his ipsis diebus relaxabatur a vinculis adventu cuiusdam, qui gestabat lampadem, & fruebatur omni securitate: diebus autem sequentibus tenebatur vinculis, sicut prius.

S. Ioannes Chrys. lib. 4. de sacerdotio, Cum autem Sacerdos Spiritum sanctum invocaverit, sacrificiumque honore ac reverentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato, quęro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem! Considera enim quàles illa administrantes esse oporteat: qualem linguam, quæ verba illa effundat, qua denique re non puriorem, sanctioremque esse conveniat animam, quæ tātum illum, tamquam dignum spiritum receperit. Per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & cælestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abunde licet vel ex tanto sacrificio, quod tunc peragitur. Ego vero & commemorantem olim quendam audivi, cum diceret senem quendam, virum admirabilem, ac cui revelationum mysteria multa fuissent divinitus detecta, sibi narrasse se tali olim visione dignum habitum a Deo esse, ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem conspexisse (quantum aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium; denique sic capite inclinatorum, ut si quis milites præsente Rege stantes videat.

Cultus Missæ Angelis venerabilis.

Paschas. Corbiensis lib. de corpore & sanguine Domini, cap. 40. Nemo qui Sanctorum vitas & exempla legerit, potest ignorare, quod sæpe hæc mystica corporis & sanguinis Sacramenta aut propter dubios, aut certe propter ardentius amantes Christum visibili specie in agni forma, aut in carnis & sanguinis colore monstrata sint, quatenus de se Christus clementer adhuc non credentibus fidem faceret, ita ut dum oblata frangitur vel offertur hostia, videretur agnus in manibus, & cruor in calice, quasi ex immolatione profluere, ut quod latebat in mysterio, patesceret adhuc dubitantibus in miraculo. Fecit enim hoc pietas divina quibusdam iam credentibus, & tamen adhuc dubitantibus, ut & ipsi quoque fiduciam de veritate perciperent. Sed quia duri corde sumus; voluit divina mansuetudo

Cultus Missæ cū fide et visione Christi conueniens.

in quibusdam omnibus satisfacere, ut ulterius de his iam nemo dubitet. Quod autem dixi, sępe quibusque ardentius Christum amantibus hæc præmonstrata fuisse, unum e pluribus pandam. Nam quidam Presbyter fuit religiosus valde, Pigillus nomine, frequenter Missarum solennia celebrans ad corpus sancti Nini Episcopi & Confessoris, qui cum digno moderamine sanctam Christo propitio duceret vitam, cæpit omnipotentem Deum pijs pulsare precibus, ut sibi monstraret naturam corporis Christi, atque sanguinis. Itaque non ex infidelitate, ut assolet, sed ex pietate mentis ista petivit: fuerat enim a puero divinis legibus imbutus, & propter amorem supremi Regis olim patriæ fines, & dulcia liquerat arva, ut Christi mysteria exul sedulo disceret. Idcirco eius amore magis succensus, quotidie pretiosa munera offerens poscebat sibi præmonstrari, quę foret species latitans sub forma panis & vini. Non quia de corpore Christi dubius esset, sed quia vel sic Christum cernere vellet, quem nemo mortalium iam super astra levatum in terris conspicere potest. Venerat ergo dies, & idem celebrans pie solennia Missarum more solito, procubuit genibus. *Te deprecor*, inquit, *omnipotens, pande mihi exiguo in hoc mysterio naturam corporis Christi, ut mihi liceat eam prospicere corporeo visu, & formam pueri, quem olim sinu matris tulit vagientem, nunc manibus contrectare.* Qui dum talia precaretur, Angelus de cęlo veniens affatur. *Surge*, inquit, *propera & si Christum videre placet, adest præsens corporeo vestitus amictu, quem sacra puerpera gessit.* Tum venerabilis Presbyter pavidus, ab imo vultum erigens, vidit super aram Patris filium puerum, quem Simeon infantem portare suis vlnis promeruerat. Cui Angelus, inquit, *quia Christum videre placuit, quem prius sub specie panis verbis mysticis sacrare solebas, nunc oculis in specie & manibus attrecta.* Tum sacerdos cęlesti munere fretus, quod dictu mirum est, vlnis trementibus puerum accepit, & pectus proprium Christi pectori iunxit. Deinde profluxus in amplexum dat oscula Deo, & suis labijs pressit pia labia Christi. Quibus ita exactis preclara filij Dei membra restituit in verticem altaris, & replevit cælesti pabulo Christi mensam. Tunc rursus homo prostratus, deprecatus est Deum, ut dignaretur ipse iterum verti in pristinam speciē. Qui expleta oratione surgens a terra, invenit corpus Christi in formam remeasse priorem uti deprecatus fuerat,

Cultus Missæ debet esse in castitate.

Gregor. Turonens. lib. 1. cap. 26. de gloria Martyr. Dies passionis erat Polycarpi Martyris Magni, & in Ricomagensi civitate Avernæ eius solennia celebrabantur. Lecta igitur passione cum reliquis lectionibus, quas Canon sacerdotalis invexit, tempus ad sacrificium offerendum advenit, acceptaque turre Diaconus in qua ministerium Dominici corporis habebatur ferte cæpit ad ostium, ingressusque templum, ut eam altari superponeret, elapsa de manu eius ferebatur in aera, & sic ad ipsam aram accedēs nunquam eam manus Diaconi potuit assequi: quod non alia credimus actum de causa, nisi quia pollutus erat in conscientia, sæpius enim ab eodem adulteria ferebantur admissa. Uni tantum Presbytero, & tribus mulieribus, ex quibus una mater mea erat, hæc videre licitum fuit, cæteri non viderunt. Aderam fateor & ego tunc temporis huic festiuitati, sed hęc videre non merui.

Cultus Missæ debet esse in sobrietate

Gregor. Turon. lib. eod. 1. cap. 87. Epachus Presbyter dum temere, quæ indignus erat, agere præsumpsisset, diuino iudicio, solo proiectus occubuit. Hic enim dum Dominici natalis vigilias celebrare in Ecclesiam expetijsset, per singula horarum momenta egrediebatur e templo Dei, ac in domo

domo sua pocula lasciva spumantibus pateris hauriebat, ita ut affirmarent multi, cum post galli cantum in ipsa nocte vidisse bibentem. Sed cum esset ex genere Senatorio, & nullus in vico illo Riomagensi iuxta sæculi dignitatem haberetur nobilior, celebrare solennia Missarum expetitur. Nec dubitabat miser vino madefactus appetere, quod ieiunus quisque non sine metu potest terrente conscientia explicare, verum ubi explicitis verbis sacris, confracto Dominici corporis Sacramento & ipse sumpsit, & alijs distribuit ad edendum, mox equini hinnitus ad modum vocem emittens ad terram ruit, ac spumas cum ipsa mysterij sacri particula, quam dentibus comminuere non valuit, ab ore proijciens, inter manus suorum ab Ecclesia deportatur. Nec caruit ultra hac epilepsiæ infirmitate, sed per singulos lunares cursus incrementis decrementisque hæc semper pertulit, quia ab haustu nimio vini minime infelix abstinuit.

Prophanator Missæ punitus.

Ex Constantino Manasses in Annalibus & Michaeli Glyca. 4. p. Annal. Thomas Brendenbachius lib. 1. Collat. cap. 40. Michaele III. Imperator, cognomento Temulentus, quem scriptores Annalium ob mores perditos dissolutissimos, alterum Pharaonem, Neronem & Sardanapalum vocant, cum in omne flagitiorum genus sese venumdaret, ad hunc tandem velut scelerum omnium apicem & coronidem progressus est, ut post quotidianos in omni turpitudine profectus etiam adversus sacrosancta mysteria Seraphis ipsis venerabilia vir nequissimus debacharetur. Quippe acrem synapi succum in craterem fundens, sacrum illud formidabile repræsentabat, ludens (ut dici solet) in ijs, quæ ludum, iocumque non admittunt, & ridens in minime ridiculis. Ita viventem Michaelem mater videns, & Imperatorem Romanum factum esse ludicrum, totis visceribus & animo commovebatur, cumque verbis castigabat, corrigebat, exhortabatur. Sed (quod proverbio dicitur) cum mortuo colloquebatur, & admonitiones apud surdum cantillabat, ac tandem mater a filio è regia pellitur. Basilius vero postea ad imperium provectus, cum Michaelem ceuvinosum & temulentum damnaret, gladio viscera eius ad Diui Mamantis ædem, ut Glycas commemorat, traiecit. Talem ille impius tremendorum mysteriorum prophanator sortitus est exitum, matris persecutor, Dei contemptor, Imperij dissipator. A talibus viperis mutuantur aspides nostrorum Sacramentorum, sicque fere accidit, ut qui sunt sacrilegio pares, morum turpitudine sint similes.

Cultus Missæ in templis.

Quanto sanctius & reverentius de tremendis hisce mysterijs censuit laudatissimus Imperator Iustinianus, qui in authenticis suis constitutionibus sic ait; *Et priscis sancitum est legibus, nulli penitus esse licentiam domi, quæ sacratissima sunt agere, sed publice sincere procedere in credulitatem & Dei culturam, secundum sanctionem de his sacratis actibus traditam. Et nos etiam hanc in præsenti ponimus legem, quam cum omni cautela tenere volumus. Omnibus enim interdicimus magna huius Civitatis habitatoribus, magis autem etiam totius nostræ ditionis, in domibus suis habere quasdam orationum domos, & in his sacra celebrare mysteria, & hinc fere quædam Catholicæ & Apostolicæ traditioni extranea. Sed siquidem domos ita simpliciter aliqui habere putant oportere, in sacris suis, orationis videlicet solius gratia, & nullo celebrando penitus horum, quæ sacri sunt mysterij, hoc eis permittimus. Invidia enim nulla est, si volunt circa hæc habere habitacula quædam, & in eis tamquam in sacris orare, aliis autem omnibus abstinere, nisi tamen in illis voluerint aliquos invitare clericos, hic quidem sanctissimæ matiris Ecclesiæ, & sub ea sanctissimarum domuum voluntate, ac*

 pro-

probatione sanctissimi Archiepiscopi ad hac deputatos, in provincia vero Deo amabilium Episcoporum. Hæc & plura ibi Iustinian. Imperator. Porro an & quatenus licitum sit in domo privata habere capellam sive sacellum, videatur Innoc. in cap. *Ad hac* de elect. Bald. in Margarita. Verbo *Capella* & Consil. Trid. ss. 22. decret. 1. de Reformat.

Iustinianus item Imperator in authent. Collat. 9. titul. 6. de Ecclef. titul. *Si quis in sua domo, aut in suburbano Ecclesiasticum ministerium ministrare præsumpserit, aut aliis celebrare concesserit, sine clericis sanctissimo locorum Episcopo subiacentibus, iubemus hanc domum aut suburbanum, aut prædium, ubi tale aliquid delinquitur, locis illius sanctissimæ Ecclesiæ vindicari per Deo amabilem Episcopum, & œconomum eius, & civilem iudicem locorum. Si vero nesciente locorum domino eius curatores aut conductores, aut emphyteutæ contrarium aliquid exerceri permiserint, dominum quidem loci nullum præiudicium, aut dispendium sustinere, eos autem, qui hoc fecerint, aut fieri permiserint, ex provincia ubi hoc commissum est, expelli, rebus eorum loci illius sanctissimæ Ecclesiæ vendicandis.*

Psl. 28. 9. *In templo eius omnes dicent gloriam*, cecinit olim David Rex, cum prius initio Psalmi cantasset, *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum*, monens & docens eos, qui sua essent oblaturi sacrificia, ut recurrerent ad templum, & in suas ibi hostias immolarent in laudem & gloriam supremi numinis, quod in suo templo gaudet per victimas celibrari, & adorari. Quod si hoc petebat, & exigebat pro antiquis holocaustis Rex Hebræus, mirum non est, quod hoc ipsum ita mandetur ac precipiatur ab Imperatore Iustiniano propter cultum & reverentiam tanti Sacrificij, ac tanti Sacramenti a quo summæ ac supremæ Majestatis gloria dependet. Celebrantes igitur omnes, *in templo eius dicent gloriam.* Magnus solet esse zelus, magna cura ne honor qui pertinet ad unam domum transferatur ad aliam, & zelari quoque oportet, ut gloria divina, quæ templum & ædem sacram decet, cum indecentia ad domos privatas ne traducatur, sicut interdum apud Catholicos accidit ducentes honori, quod domi suæ sacra fiunt minuentes, quantum in se est, decus Dei ut honor ipsorum augeatur apud domesticos & externos per officia ac ministeria suorum sacellanorũ quasi dedecus sit in templo & non domi, ab alijs Sacerdotibus, & non à suis proprijs Sacellanis. Missas audire, & communicare. Nec contenti Sacerdotibus secularibus recurrere ad Religiones solent, ut Confessaris ad eorum excipiendas confessiones accedant, accedant ut & sacra celebrent cum divinæ gloriæ præiudicio, & non parvo detrimento hominum Religiosorum, qui in sacris suis domibus melius & perfectius Deo deserviunt.

Sed quid aliud hoc est, nisi ordinem invertere & efficere, ut qui claustra pro sacris misterijs ac ministerijs servare debuissent, illa non servent, & ipsi nescio quæ claustra in suis ædibus esse velint, intra quæ non cum religione, quam vane atque prophani se suosque interdum contineant.

SVM-

SUMMARIUM
SACRARVM QVÆSTIONVM CONVIVALIUM ET SELECTORVM ARGVMENTORVM. DE SANCTA COMMVNIONE.

Quæst. 1. *QVid sacra Communionis delicijs cum memoria acerba passionis?*
2. *Quare epulum sancti sumptus?*
3. *An simul comedere & bibere liceat in Communione?*
4. *An cibus delicatus sit Eucharistia?*
5. *An tristi an hilari vultu sit accedendum ad sacram Communionem?*
6. *Cur primi communicantes sedentes in mensa sacram acceperunt Communionem?*
7. *Cur celebrans stat, & alij procumbunt in genua, dum Communicant?*
8. *An sacra Communio ad infantes pertineat?*
9. *An pertineat ad pueros?*
10. *An pertineat ad iuvenes?*
11. *An ad viros pertineat?*
12. *An sit pro senibus sacra Communio?*
13. *An pertineat ad fœminas?*
14. *An sit pro coniugatis?*
15. *An sacra Communione indigni sint bis coniugati?*
16. *Cur Christus in Eucharistia nec lucet, nec splendet?*
17. *An Christus ardeat & vrat in Eucharistia?*
18. *Quæ utilitas in scientia & thesauro abscondito Eucharistiæ?*
19. *Quænam Sympathia est inter speculum & Eucharistiam?*
20. *Quænam Sympathia inter Christum incarnatum & consecratum?*
21. *Quare Christus ita odit & punit indigne Communicantes?*
22. *An deceat in privatis domibus sumere sacram Communionem?*
23. *Quare communicantes nō manu propria sed sacerdotali Communicant?*
24. *Cur per modum sancti osculi percipitur Eucharistia?*
25. *An possit esse circa Eucharistiam concupiscentia carnis?*
26. *An odium vel amorem erga carnem propriam pariat Eucharistia?*
27. *An possit esse erga Eucharistiam concupiscentia oculorum?*
28. *An superbia vitæ sit aliena à sacra Communione?*
29. *An Christus in Eucharistia sit totus gustabilis?*
30. *An nimis bene tractet Christus suos Communicantes?*
31. *An fiat in sacra Communione adoptio filiorum Dei?*
32. *Cur non liceat vesci carne humana exemplo Eucharistiæ?*
33. *An possit esse gula circa Eucharistiam?*
34. *An gula filias evertat sacra Communio?*
35. *An virtute perceptæ Eucharistiæ possit Virginitas reparari?*

Venite Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Proverb.9.

SACRÆ QVÆSTIONES CONVIVALES DE SACRA COMMVNIONE.

Quæst. I.

Quid sacræ Communionis delicijs cum memoria acerbæ passionis?

NIHIL acerbius, & amarius sacra Christi passione, cuius viva memoria, ac recordatio recolitur in Eucharistia, dicẽte Christo, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Propter hanc dixit Deus Ieremiæ.cap.31.*Pone tibi amaritudines*: Propter hanc apud Isaiam cap.38.dixit moriturus Ezechias, *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Quid ergo cum summa amaritudine sacræ Communionis deliciæ? Quid deliciosius perceptione sacræ Eucharistię! Propter hanc canit sibi David, *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, canit & alijs. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Consonat & Ecclesia, dum cantat. *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias regibus*: totaque gaudio imbuta & delibuta exclamat; *O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cælo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes!* Exclamatio fit præ dulcedine perceptæ Eucharistię, quæ est memoria mortis Christi. Ubi de vita res est, aliter exclamare oporteret, ac dicere; *O mors, quam amara est memoria tua!* Si deliciosa, quomodo amara? si amara, quomodo deliciosa?

Ps.83.3. Ps.33.9. Eccl.41.1

Christus in sacra Eucharistia, constituit Sacrificium & Communionem sacrificium, quo se per Crucis mortem offerret Patri: Communionem vero, qua se per vitam nobis conferret. Moriturus se Patri offert, dùm dicit, Luc.23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Nobis se vivens confert; cum inquit, *Sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Quod amarum est, pertinet ad Sacrificium in mensa & Cruce oblatum æterno patri pro nostra satisfactione. Quicquid vero dulce ac suave est in Eucharistia refertur ad Communionem, & nobis in eius perceptione exhibetur. Habet suum gustum Deus, habet homo. Deus gaudet amaris, quæ sunt in Christi passione, ac proinde

Complementum gustus. Ioa.6.58.

dum esset in horto, & oraret, ut Pater suum gustum exponeret, misit è cælis Angelum gestantem in manu calicem plenum amaritudine, ut placitum suum declararet. Homo dulcibus recreatur, idcirco composuit se ad eius gustum, qui se sub panis & vini formis præbuit edendum & comedendum. Noverat itaque Christus ingenium hominis, & quomodo sua quemque voluptas fert, & ut ad se traheret hominem, summum delicium in Eucharistia constituit. Non senserant has delicias qui recesserũt a Christo c. 6. Ioan. cum ageretur de Eucharistia, senserat Petrus, qui cum Christus rogaret, *Numquid & vos vultis abire?* respondit, *Quo ibimus? verba vitæ æterna habes*. Cum tempore Transfigurationis dicit cap. 17. Matth. *Bonum est nos hic esse*, errat siquidem voluptas illa, ad cælum pertinet, debita comprehensoribus, delitium vero Eucharistiæ est viatorum, & viator Petrus non errat, sed sapit cum ait. *Quo ibimus? Bonum est nos hic esse*.

Expertus Deus fuerat qualis esset gustus hominis, cum esset peregrinus in deserto. Amavit tunc temporis panem, & de pane cælesti providit. Carnem ultra panem appetijt, & pro gustu carnem accepit. Sic per panem, sic per carnem satisfactum est in deserto. Non implebat gustum mãna, nec caro satisfaciebat, erat utroque opus, & utrumque Christus confert in Sacramento. Confert carnem. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus*
Ioa. 6. 56. *vere est potus:* Confert simul cælestem panem, *Hic est panis, qui de cælo descendit*, unde iam homini peregrinanti dicit Christus, *Dilata os tuum, & implebo*
Ps. 80. 11. *illud:* implebo gustum, quem non implevit manna, quia caro non erat, nec caro altilium, cum panis non esset, meum Sacramentum omnis gustus est complementum, tum quia panis est, tum quia caro est.

Quæst. II.

Quare epulum tanti sumptus?

EXcessus in sumptibus epularum vitandus est, quem ut tolleret Resp. Romana, multas leges tulit ac condidit. Celebris est Fannia lex lata a C. Fannio & M. Messala Consulibus, qua sumptus coercebantur, & modus præscribebatur assibus centum. Huiusce legis meminit in Apolog. Tertull. *Leges*, inquit, *sumptum comprimentes centum æra, non amplius in cœnam subscribi iubebant: non amplius quam unam inferri gallinam, & eam non saginatam*. Celebratur lex Licinia, quæ a Pub. Licinio Crasso divite facta est, qua statuitur, ut Calendis, Nonis, Nundinis in dies singulos, ne quis triginta asses excedat, cęteris vero diebus contentus quis esset tribus pondo carnis aridę, & libra, quod ex terra, vite, arbore venatum sit. Huic successit lex Cornelia a Cornelio Sylla Dictatore lata, qui & pretia rerum moderatus est, ne tot pecuniarum expensę fierent pro mensis atque convivijs. Nec laudandus est Rex Attaxerxes Assuerus, qui vanæ ostẽtationis ergo fecit, quod refert Scriptura cap. 1. Esth. *Tertio anno imperij sui fecit grande convivium cunctis principibus & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atque iactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus*. Laudandus potius David qui 1. Paralip. 16. in medio tabernaculo arcam collocans facta omnibus, qui eius ditioni parebant, lætitia, coram Domino distribuit omnibus Israelis copijs a viro usque

usque ad mulierem, unicuique tortam panis, & laganum ex sartagine. Hoc est ut ait Clem. Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 1. *sufficiens nutrimentum & Israeliticum. Gentile autem quod est supervacaneum.* Quomodo ergo Christus pretiosum corpus & sanguinem suum, in quibus quicquid ęstimabile est in epulum dedit? *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Frumentum & vinum hoc mysticum æque carum ac bonum est, cum steterit immensis sacræ passionis expensis. Zac. 9. 17.

Res pretiosa anima est. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Summo pretio Christo stetit, siquidem pro eius emptione & redemptione impendit & expendit, quicquid apud se habebat, scribitq; propterea Paulus; *Empti enim estis pretio magno.* Ad servandas ergo animas, quæ tam pretiosæ sunt, & tam caro illi steterunt, instituit venerabile Sacramentum, cuius effectus est vitam animę custodire, monetque propterea Ioan. 6. Christus; *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Cum res de anima est, & de eius vitæ custodia, sumptibus Deus non parcit in passione & Communione, qua *Christus sumitur, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* *Pretiosa res est anima.*

Corpus paucis impleri potest, ac proinde datę & latæ de parsimonia leges servari debuissent; at anima ut impleatur, indiget Christo, indiget Deo ipso, ac proinde dicit David, Psalm. 62. *Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Pro rerum varietate ac diversitate, quæ in mundo sunt corpori necessarię, multimodum habet appetitum caro, anima vero sancta solum appetit Deum, idcirco ait. *Sitivit in te anima mea.* Huic satisfactum est, cum Christus sumitur, ita tamen, ut non generet fastidium, sed potius summum desiderium fruendi Deo in cælis, & dicere possit anima, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Eapropter huius futurę gloriæ pignus est sacrum Convivium. Ps. 16. 15.

Quæst. III.

An simul comedere & bibere liceat in Communione?

INter alia præcepta convivalia, quæ præscribit Clemens Alexandrin. lib. 2. Pædag. cap. 1 est unum: *Simul bibere & edere non convenit, est enim maxima intemperantiæ tempora confundere, quorum usus simul non conveniũt: Et sive comeditis, inquit, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite, veram frugalitatem, ac tenuitatem tamquam scopum proponentes.* Et quidem Christus prius Sacrum suum corpus prębuit, ut Apostoli illud comederent, & postea pretiosum suum sanguinem largitus est, ut illum ebiberent. Quasi igitur sacerdos, dum celebrat ex sacra hostia accipit particulam, mittit in Calicem & simul cum sanguinis haustu illam edit?

Catholica definitio est, quod in consecratione a Christo facta, & quæ nunc fit in sancto Missæ sacrificio, caro Christi non est a sanguine separata, nec sanguis a carne segregatus, sanguis quippe comitatur corpus, corpus sanguinem. Cum autem Christus dixerit, Ioan. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus,* cibus in potu est, potus in cibo, ac proinde ita bibimus ut comedamus, ita comedimus, ut bibamus. Ritè igitur ac rectè *Caro in sanguine, & sanguis in carne Christi.*

 Sacer-

Sacerdos particulam sacræ hostiæ cum sanguine sumit, comedit simul & bibit. Rite igitur ac rectè laicus sub utraque specie non communicat, cum sub una eademque specie panis cibum & potum sumat.

Sub uno convivio cibus & potus continentur, ita tamen, ut si unum vel alterum tollas, epulum perfectum non sit: perfectum est Eucharisticum, in quo Christus accipitur, ex carne & sanguine constans, & idcirco exclamat Ecclesia, *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur.* At sub sacrificio caro & sanguis recensentur, ita tamen ut ad invicem separentur mystice vel reipsa, sicut in Cruce factum est: mysticè vero, sicut in altari agitur,
Heb. 4. 12 ubi Sacerdos utitur illo gladio de quo Paulus, *Viuus est sermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hic sermo consecratorius, *Hoc est enim corpus meum*, &, *Hic est enim Calix sanguinis mei*, viuus & efficax est penetrabilior omni ancipiti gladio, cum corpus Christi non reipsa, sed mystice a proprio sanguine dividat, sed ita mystice dividit, ut realiter maneat, nec maneret si in triduo passionis Christi fieret consecratio.

Quæst. IV.

An cibus delicatus sit Eucharistia?

CArpit citatus Clem. Alexand. lib. 2. Pædag. ca. 1. mores quorundam hominum, qui nimis delicatas escas quærunt, & appetunt. *Quin etiam*, ait, *facilem & parabilem cibum, nempe panem, effeminant, quod frumenti est nutriens excribrantes, ut quod est alimenti necessarium, sit probrum voluptatis.* Quid ergo mali in eo est, ut panis effęminetur, cum & nos etiam de pane ita delicato communicemus? Comedimus Angelorum panem, qui cum esset palato humano inidoneus, necesse fuit, ut fieret Deus caro, & quidem ex Matre Virgine. Quo pertinet illud Nyssen. lib. de vita Mos. *Hunc corporis panem non aratio, non satio, non agricolarum opus efficit, Virgo intacta permansit, & tamen pane plena fuit. Famescentes mysterium Virginis perdocti facile saturantur.*

Virilis cibus. Per ablationem frumenti panis effæminatur, quæ ablatio non habet locum in Eucharistia, cum dixerit rex David, *Cibavit eos ex adipe frumenti*,
Ps. 80. 17. rogatque propterea Zacharias, *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum*
Zach. 9. 17. *eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Frumentum est in Sacramento, de quo scriptum est in Evangelio, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, mul-*
Ioa. 12. 24 *tum fructum affert.* Verum quidem est, quod David non ex frumento, sed ex adipe frumenti cibari hominem testatus est, non tantum semel, sed &
Ps. 147. 1. iterum, *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, &c. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Hoc ideo testatus est, quoniam in hoc frumento nihil est, quod adeps non sit, adeps amoris & charitatis, quam pertinere ad animæ epulum affirmat citatus Clemens; *Charitas*, inquit, *re-vera est caste nutrimentum, rationale quidem: omnia sustinet, omnia suffert.*

Fortis ac robustus cibus, non effæminatus, sed virilis, etsi ex fęmina ortus sit, nam & viri ex fæminis ortum habent. Magnus vir Ioannes erat,
Matt. 11. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior*, & tamen *Elisabeth magnum virum genuit Ioannem Baptistam*; maior erat Ioanne Christus, de quo scriptum legimus, *Fæmina circumdabit virum*, Circumdedit fęmina virum, ut caperet,

cepit & nobis dedit; *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine.* Virgo tenera ac delicata eſt, ſed ex teneris ac delicatis floribus cibus fortis, ac virilis naſcitur.

Quæſt. V.

An triſti, an hilari vultu ſit accedendum ad ſacram Communionem?

CUm exclamet Eccleſia, *O ſacrum Convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſsionis eius,* & hæc ipſa Eccleſia eo die, quo peracta eſt, tota lugubris ac mæſta fit, congruum ac conſonum videbitur, ut & anima, quæ accedit ad ſacram Communionem, mæſto ac triſti vultu ſe præſentet, præbens ſigna compaſſionis in pium cultum Redemptoris, qui tam dira & dura paſſus in Cruce eſt. Adeſt celebranti, adeſt & communicanti ſacrum lignum, cui Chriſtus affixus eſt, inſtrumentum planè mæroris & doloris, ut utrumque moneat officij ſui, ut cum lugente ac dolente lugeat & doleat. Huc pertinet, quod Salomon cap. 23. Proverb. ſcriptum reliquit; *Quando ſederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo.* Auguſtin. Hom. 2. de Bono paſtore; *Menſa potentis quæ ſit, noſtis, vbi eſt corpus & ſanguis Chriſti.* Non ſine cauſa in hac menſa fit cultri & gladij commemoratio, hic ille eſt, de quo Simeon dixit Matri; *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Hic Luc. 2. 35. gladius condolentiæ atque compaſſionis eſt. Rationalis hic dolor eſt, cum eo ipſo, quod recolitur memoria paſſionis Chriſti, renovatur, & eius cauſa quam ipſe peccator dedit. Quis vero non triſtetur, & affligatur, ſe auctorem mortis Dei & hominis extitiſſe?

Nihilominus ingrediens altare Sacerdos, ſtatim in primo dicit ingreſſu: *Hilaritas vultus.* *Introibo ad altare Dei, ad eum qui lætificat iuventutem meam.* Conſonat & Eccleſia cum ait, *Ex altari enim tuo, Domine Chriſtum ſumimus: in quem cor & caro noſtra exultant.* Pſa. 42. 4. Hanc alacritatem, & hilaritatem ſola culpa impedire poteſt, & ne illam impediat, proviſum eſt, ne quis in ſtatu peccati accedat ad Euchariſtiam, ſcriptum enim eſt; *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* 1. Cor. 11. 28. Homo in ſtatu gratiæ conſtitutus habet, unde plurimum lętetur, & lætus dicat; *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* 2. Cor. 1. 12. Chriſtus ipſe, *in qua nocte tradebatur,* totus hilaris corpus ſuum & ſanguinem ſuum Apoſtolis præbuit, & ipſi Apoſtoli læti & alacres de manu Chriſti communicarunt.

Pręteritorum laborum & dolorum meminiſſe poſt felicem exitum probatur, & placet, ac proinde Chriſtus mæſtitudine ſua, voluit, ut in Euchariſtia memoriam coleremus præteritæ paſſionis, & ſimul gauderemus & lætaremur. Ergo, *ſit laus plena, ſit ſonora, ſit iucunda, ſit decora mentis iubilatio.*

Quæſt. VI.

Cur primi communicantes ſedentes in menſa ſacram acceperunt Communionem?

CUm panis viuus è cælo delapſus eſt, acceſſerunt ſtatim Paſtores, & humi proſtrati illum coluerunt & adoraverunt. Reges poſtea reverentiam illi fecerunt, *& procidentes adoraverunt eum.* Et nunc cum datur

datur sacra Communio non sedentibus, sed in genua procumbentibus suppeditatur. Quid ergò causæ est, quod sedentes in mensa Apostoli, de manu Christi communicarunt? Tunc in mundo nova erat Eucharistia, & oportebat, ut primi communicantes ostenderent, quo cultu, & adoratione esset illa imposterum veneranda. Sic Principes & Reges statim cum inaugurantur, excipiuntur ea reverentia, quæ illis debita, & imposterum præstanda est. Hoc ipsum factum in Christo videmus, de quo Paul. cap. 1. ad Heb. inquit; *Et cum iterum introducit Primogenitum dicit* (Pater) *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ergo cum introducitur in Eucharistia, tempus opportunum erat, ut iuberentur Apostoli procumbere in genua, & in terra prostrati, & verbo & facto posteros exhortarentur; *Venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oves pascuæ eius.* Psa. 94. 5.

Cultus Eucharistiæ. Christus sedens in mensa elevatis oculis in cælum ad Deum suum patrem omnipotentem, divinam eius Maiestatem adoravit, & eius secuti exemplum Apostoli sedentes etiam sub accidentibus panis & vini eundem Deum coluerunt. Et quidem secundum omnem habitum & situm corporis adorare Deum potest homo stans, iacens & sedens, quemadmodum & Christus demonstravit in seipso, qui stans adoravit Patrem in Lazari suscitatione, sedens in cæna, iacens in horto, cum *procidit in faciem suam.* Ad exemplum Christi componere debet se cultor & adorator Dei, ut quoties stet in loco, sedeat in mensa, iaceat in lecto, semper Deo exhibeat cultum & reverentiam. Et cum in templo est, sive stet, sive sedeat, sive procumbat in genua, sacram Eucharistiam adoret. Sedes innuit & insinuat quandam firmitatem & perpetuitatem, idcirco David ait Psalm. 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi*, & Luc. 1. Angelus Mariæ, *Dabit ei Dominus sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Igitur ut Christus significaret cultum exhibitum Patri a se, dum seipsum consecraret, esse stabilem ac firmum, sedens oculos in cælum levavit, gratias egit, & Patrem adoravit, & quidem hoc ipsum facit & faciet semper in altari. Quę etiam causa & occasio fuit, ut primi communicantes sedentes in mensa sacram Synaxin acciperent, insinuantes in se & per se præstitam Eucharistiæ latriam, semper in Ecclesia pręstandam. Cultus, qui tunc exhibitus est, nunc & in perpetuum prębebitur. Hinc etiam ratio petenda est, cur in adventu Spiritus sancti Apostoli *erant sedentes*, ut nimirum declararent, apud eos semper mansurum Spiritum sanctum, cuius & ipsi sedentes protestabantur se stabiles, firmos, & perpetuos cultores & adoratores esse futuros, Recte ergo sedens Christus dicere potuit sedentibus, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, potuit quoque sedens sedenti affirmare, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*, &, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hinc petenda quoque ratio est, cur etiam summus Pontifex in sacro solenni sedens & non stans sanctam sumat Eucharistiam.

Matt. 26. 39. Matt. 28. 20. Ioa. 6. 57.

Quæst

Quæst. VII.

Cur celebrans stat, & alij procumbunt in genua, dum communicant?

SAcerdos non semel, sed sæpè in sacro post factam Consecrationem genua flectit, & mirum est, quod eo tempore, quo sumit Eucharistiam rectus stet, cum tamen cæteri, qui non celebrant, flexis genibus sacram accipiant Communionem. Si quando Sacerdos humi prosternendus esset, tunc præcipuè videbatur facturus, cum Christum sumit.

Sacra Eucharistia è cælo descendit, & in cælum ascendit, *Hic est panis, qui de cælo descendit* & hic ipse, *a Deo exivit, & ad Deum vadit*. Quam obrem Sacerdos in Sacrificio Missæ iam elevat, iam hostiam demittit, in qua viva memoria est, non solum patratę Incarnationis & descensionis in mundum; sed etiam Resurrectionis & Ascensionis, ut & ipse celebrans confitetur. Ergo qui non celebrat, sed communicat, panem è cęlo venientem accipit ea reverentia, qua Virgo Christum excepit procumbens in genua, sicut & ostendunt effigies antiquæ & novæ Annunciationis, & cultu quo prius Pastores, & dein Reges Arabiæ venientem Christum in hunc mundum adoraverunt. Sacerdos, qui celebrat, hunc eundem ascendentem in cælum mente & spiritu sequitur sacrorum more Apostolorum, qui dum in mensa recumberent, ex ea surrexerunt, & in monte Oliveti steterunt, cum Christus suum faceret in cælum ascensum. *Reverentia Sacramenti.* Io a.6.59. Ioa. 13.3.

Adde quod Sacerdos ministrat in altari, tamquam minister stat, servit, & simul communicat, iuxta præscriptum Deuter. cap. 18. & scriptum ab Apostolo. 1. Cor. 9. *Nescitis*, inquit, *quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant*? Participat de altari Sacerdos stans, quoniam tamquam minister stetit ad altare, & in eo servivit. Cæteri, qui non celebrant, sacris mysterijs assistunt humi prostrati, & in eandem omnino formam sacram accipiunt Communionem. Hic status sacerdotum ac ministrorum Dei est. Ratio status non ab homine sedente, vel iacente desumitur, sed a stante capitur, & idcirco qui sunt in statu sacerdotali, commodius & convenientius stantes celebrant & communicant.

Quæst. VIII.

An sacra Communio ad infantes pertineat?

CUm infantes statim ut nascuntur, indigeant nutrimento, ad hoc ut possint vivere, providit natura de lacte, quo hausto ex uberibus maternis alantur & sustententur. Accedit Clem. Alexand. lib. 1. Pæd. cap. 6. *In puerperio dispensatum lac infanti subministratur, & ubera, quæ interim rectà virum respiciebant, iam ad puellum inclinantur, quod a natura elaboratum est nutrimentum, ut ad capiendum facilè exhibeant edocta, ad salutis educationem. Non enim tamquam fontes sunt ubera lacte plena, sed alimentum mutantia lac in seipsis efficiunt, & exhalant. Alimentum autem, quod est ipsum conveniens ac utile puello recenter compacto & nato a Deo altore & patre eorum, qui generantur & regenerantur, elaboratur, quemadmodum veteribus Hebræis manna cælitus defluebat,*

bat, supercæleste Angelorum matrimonium. Ergò cum eadem sit ratio generatorum & regeneratorum infantium, ut lactis alimento indigeant, generatis succurrit Deus per matris ubera, regeneratis vero per Eucharistiam. In cuius rei testimonium temporibus Cypriani statim post Baptismum Eucharistia ori infantis imponebatur, eademque consuetudo servabatur, Carolo Magno imperante, quam D. Aug. lib. 1. de peccator. meritis cap. 20. refert & laudat. Quapropter retinendus erat ille laudabilis mos non omittendus, ut providentiæ divinæ ratio erga suos infantes, quorum vita sine debita alimonia conservari nequit, cognosceretur.

Sacra cõmunio infantibus danda nõ est. Cum populus Hebrçorum per desertum vagaretur, ut aleretur, de cælesti manna Deus providit, quo infantes non indigebant, cum matres haberent, & quorum mammis succum lactis hauriebant. Nec infantes opus habent Eucharistico manna, cum habeant matrem, cuius sacra vbera sugentes alantur & sustententur. Aluntur pro suo captu ab Ecclesia liquore lactis & mellis, dum monentur & docentur in Baptismo, quales imposterum esse debeant. Quo pertinet illud Tertull. lib. de Corona militis, *Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus*; & lib. 1. adversus Marcion. *Sed ille*, inquit, *usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit: nec oleum, quo suos ungit, nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat.*

Non deest argumentum providentiæ erga renatos filios, quibus de Ecclesia matre Christus providit. Confirmat hoc ipsum Clemens iam allegatus, *Vna autem est*, inquit, *sola mater Virgo: mihi autem placet eam vocare Ecclesiam. Lac non habuit mater hæc sola, quoniam sola non fuit mulier. Virgo autem est simul & mater, integra quidem & inviolata, ut virgo: amans autem ut mater, & suos accersens infantulos, sancto lacte, nempe verbo infantili enutrit.*

Quæst. IX.

An sacra Communio pertineat ad pueros?

AUctor est Sigismundus in Commentarijs rerum Moscovitar. Moscovitas pueris septem annorum Sacramentum porrigere, dicuntque tunc hominem peccare, & si fortè puer aut infirmus fuerit, aut animam agere cæperit, ita ut de pane sumere non possit, infundatur ei gutta ex calice. Nec est cur miremur, cum pueri segregati ab uberibus matrum, statim cælesti manna in deserto fruerentur. Quinimmò possemus mirari, ut cum dixerit Christus de pueris, *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum*: eisdem negaverit panem Angelorum. (Matt. 19. 14.) Pueri sunt, in quibus Angeli reprçsentantur, quid ni eorum pane fruantur? Pueri sunt, de quibus inquit Christus, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est*, cur non de una & eadem alimonia communicabunt? (Matt. 18. 10.) Lachrymabatur olim miseram parvulorum sortem Ieremias, *Parvuli*, inquit, *petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* (Thren. 4. 4.) Longe alia debet esse in Ecclesia conditio puerorum, ut si petant, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, statim illis concedatur, & porrigatur. (Mat. 6. 11)

Euchaƒristia sapientes quærit. Eucharistia cum sit *rationalis hostia*, ratione utentes exigit homines pro sui participatione: Eucharistia cum sit *panis vitæ, & intellectus*, intelligentes pro sui communione postulat & requirit. Quapropter monetur is, qui cõmunicaturus est: *Quando sederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende,* (Prov. 23. 1; Eccl. 13. 3)

quæ

quæ apposita sunt ante faciem tuam. Puerilis ætas, quæ est ignorantiæ subjecta, nesciens distinguere inter panem communem & sacrum, nec capax, ut attendat ea, quæ in Sacramento altaris continentur & cōferuntur; idonea non est, ut sacram sumat communionem.

Quasi vero ignorantia impediat. Sapientia *misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem & ad mœnia civitatis. Si quis est parvulus veniat ad me: & insipientibus locuta est: Venite & comedite panem meum.* Non obstat ignorantia paruulorum, siquidem dicitur insipientibus, *Venite & comedite panem meum.* Qui non sapiunt, secundum carnem insipientes sunt, & ijdem apti & idonei ad percipiendam Eucharistiam designantur. Qui tales sunt, referunt in se paruulos sapientes secundum spiritum, insipientes secundum carnem, de quibus Christus, *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*: paruulis inquam non ętate sed humilitate, quam commendans alibi Dominus ait, *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Prou. 9.1. Matt. 11. 25. Matt. 18.3

Non impedit per se ætas puerilis Communionem, si non laboraverit naturali inscitia & ignorantia, ac proinde cum noverint illi, quid sit Eucharistia, & simul intelligent, quid sit Christum sumere, & quomodo sumere debeant, privandi non sunt cælesti pane Angelorum, quibus ipse Rex Angelorum ita favet. Utinam pueri tales pro Eucharistia reperiantur, quales habere optavit, & habuit Nabuchodonosor, ut cibo regio digni forent. Legimus. 1. Danielis. Regem dixisse Præposito Eunuchorum, *ut introduceret de filiis Israel, & de semine regio & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma & eruditos omni sapientia, cautos scientia & doctos disciplina, & qui possent stare in palatio Regis, ut doceret eos litteras & linguam Chaldæorum. Et constituit eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino, unde bibebat ipse.* Dixit & scripsit Theodoric. Rex apud Cassiodor. lib. 1. Variar. *Gothis ætatem legitimam virtus facit:* facit & Christianis pueris, ut communicent.

Quæst. X.

An sacra Communio pertineat ad iuvenes?

QUam sit prona ad delicta iuventus, nemo est, qui nesciat; præter infantes & pueros, qui non ita adoleverunt, omnes experimēto noverunt, quā sit hæc ætas proclivis ad vitia. Expertus loquitur David, ac semel petit, *Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Ita adhærent iuventutis delicta, ut maneant etiam post adolescentiam, dixitque Iobus, *Consumere vis peccatis adolescentiæ meæ.* Ergo cum scriptum sit Sapient. 1. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, qui fieri potest, ut Sapientia æterni Patris habitet in corpore iuvenili, quod ita propendet in vitia? Cum dixerit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*, quomodo potest manere in eo, qui sic peccatis obnoxius est? Ps. 24. 7. Iob. 13. 26 Ioa. 6. 57.

Christus in prima Eucharistiæ communione quam favorabilem se exhibuerit iuventuti, & adolescentiæ ostendit in Ioanne, qui cum iuvenis esset, admissus est ad sacrarium pectoris Christi, in quo recumbens divino pabulo refectus est. Et quidem tempus ipsum, *Placet pro mensa iuventus*

 quo

quo Eucharistia condita est, satis declarat, quantum Christus amaverit iuventutem pro Eucharistia. Condidit illam mense Martio, qui & Nysan apud Hebræos est, cum teste Ruperto lib. 2. in Exod. *tellus reflorescit, & invenescit.* Quem affectum tunc ostendit Christus erga iuventutem, sæpe deinde exposuit, prҿsertim in S. Laurentio, qui rore sacrҿ Eucharistiæ tactus & recreatus adolescentiæ incendia non sensit, ignes & flammas positus in craticula superavit. Hæc causa est, propter quam post Eucharistiҿ susceptionem, dum gratias agit Sacerdos dicit; *Da nobis quæsumus Domine vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui B. Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare,* Sopiuntur incendia rore cælesti venerabilis Sacramenti, sicut & olim significatum est in tribus illis iuvenibus, quibus, dum essent in fornace, simul cum rore è superis delapso, apparuit quartus iuvenis, & hic filius Dei erat, qui & consecratur in altari, & simul communicatur; & post sacram eius communionem Sacerdos orat; *Deus qui tribus pueris mitigasti flammas ignis, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.*

Adde quod cum ipse Christus in flore iuventutis esset, cum seipsum consecravit, & communicavit, satis ostendit velle se iuvenum esse cibum, ac proinde postquam in primo altaris ingressu dixit Sacerdos: *Introibo ad altare Dei*: respondet Minister, *Ad eum, qui lætificat iuventutem meam.* (Psal. 42. 4) Ex quo responso satis constat, quanti Christus faciat iuventutem, siquidem pro ea recreanda ac lætificanda se offert & confert in altari. Igitur, *Sicut novella olivarum Ecclesiæ filij sint in circuitu mensæ Domini.* Novellæ olivarum repræsentant iuventutem, & instar illarum iuvenes filij Ecclesiҿ appareant, ut de mensa Domini sacram accipiant Cōmunionem.

Quæst. XI.

An sacra Communio ad viros pertineat?

CHristus iuvenis erat, cum seipsum consecravit, cuius nomine dixit olim David, *Introibo ad altare Dei, ad eum, qui lætificat iuventutem meam.* (Ps. 42. 4.) Tunc primum intravit altare, cum in pervigilio passionis accepit panem, & calicem, Sacrum suum fecit, & sacrificium suum incruentum confecit, & tunc lætatus recreatusque est. *Volatilia ad sibi similia conveniunt.* (Eccl. 27. 10.) Pueri libenter cum pueris sunt, & iuvenes cum iuvenibus conversantur, & ideo Christus, cum esset infans, statim recurrit ad infantem Ioannem. Similis sibi in Eucharistia est, ut iuvenibus se tradat edendum & comedendum, non sic viris, qui cum essent invitati se excusarunt, *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos:* (Luc. 14. 16) multos scilicet viros, *Et cœperunt omnes simul excusare, Primus dixit ei; villam emi, & necesse habeo exire & videre illam. Rogo te habe me excusatum. Et alter dixit, Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Rogo te habe me excusatum. Et alius dixit; Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Omnes isti viri erant sacra indigni Communione, conclusitque propterea Christus, *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.*

Vir nomen virtuti dedit, & tam lōgè abest, ut vir a sacra Cōmunione arceatur, quā quod virtus exulet ab altari. Eucharistia utrūq; postulat pro sui par-

participatione, ut & quis virum agat, & virtutem profiteatur. Si unum excipias Ioannem, illi primi communicantes, quibus de manu sua Christus sacram Synaxim dedit, viri erant magna præditi virtute, prȩsertim fide, qua fortes atque robusti facti eundem planè Christum, quem coram contemplabantur, sub formis panis & vini posse latere crediderunt, unde factum est, ut & Christum sibi patentem cernerent & sibi latentem comederent. Hic actus est virilis fidei, monetque propterea Ecclesia, *Quod non capis, non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem.* Et cum Paulus dicit, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*, quid virile, quid forte, quid animosum sonat.

Christus ipse, etsi iuvenis ætate foret, *in qua nocte tradebatur*, ostendit se virum, ut viros aleret. Accedat Clem. Alex. lib. 1. Pædag. cap. 2. *Dominus Christus fructus Virginis, non beata duxit vbera feminea, nec ea ad nutrimentum delegit: sed cum amans & benignus Pater Verbum implevißet, ipsum iam spiritale alimentum factum est bonis, & moderatis hominibus. O miraculum mysticum!*

Quæst. XII.

An sit pro senibus sacra Communio?

BIs pueri, iuxta proverbium, sunt senes, & cum primò pueri essent, capaces Eucharistiæ non erant, igitur cum secundò sunt facti pueri in senectute, planè incapaces erunt sacræ Synaxis. Apud Philonem li. de mundi opificio Solon Atheniensis describit ætates hominis, & cum venit ad senectutem, peioris esse conditionis in puncto virtutis, quam puerititiam affirmat. Et Salomon ausus est dicere Ecclesiastæ cap. 4. *Melior est puer pauper & sapiens Rege sene & stulto, qui nescit prævidere imposterum.* Qui necdum sapit, puer sapere potest, at senex inscius & ignarus nec scit, nec potest scire, igitur cum puero cōmunicare non liceat, donec sapiat, minus licebit seni, cum sit in eum redactus statū, ut nec sapiat, nec possit sapere.

Apud citatum Philonem Hippocrates medicus ait, *septem esse ætates infantis, pueri, adolescentis, iuvenis, viri senioris, senis.* Senior quis relatè ad viros dicitur; senex vero secundum se, cum in statu decrepito est. Cum ex viro senior efficitur quis, teste Philone, *seipso melior auctiorque evadit*, consequēterque fit aptior & dignior, ut de sacra participet Eucharistia. Prȩterea, cū in senibus ratio & intellectus vigeant, & Eucharistia sit rationalis hostia, & panis quoque intellectus, erit planè cibus & alimentū seniorum. Quod si lac senum vinum est, vinum consecravit Christus in gratiam Presbyterorum & seniorum, quorum senectus non est morbus, sed sanitas post infirmitates & ægritudines adolescentiȩ, ut adstruit D. Chrys. Hom. 7. in ca. 4. ad Heb. *Animus*, inquit, *in senectute potius confortatur, tunc viget, tunc exultat*, unde & senem hortatur. *Nunc quoque iuvenis esto, nunc etiam floridus, & iuvenis esto.* *Senes non exulant a convivio*

Accidit sæpe, ut ita senescant homines, & ita graventur annis, ut prȩ nimia senectute decrepiti facti repuerascant, non tamen ideo privandi sunt Eucharisticọ beneficio, si vel ipsa doceat experientia huiusmodi senes in rebus alijs deficientes, & minus habētes sapere in Eucharistia. Eucharistica hȩc virtus est, ut in senibus renovet iuventutē, iuxta illud; *Introibo ad altare Dei, ad eum qui lætificat iuventutem meam:* & iuxta illud, *Renouabitur ut aquilæ* Psal. 42. 4 Ps. 102. 5.

juventus tua. Aquila senex rostrum, quod multitudine annorum nimis excrevit, & impedit, quominus sumat alimentum, diminuit, & aperit ad cibum viam, cuius sumptione iterum iuvenescit, sic & senex per sacrorum mysteriorum mysticam participationem. Huc pertinet annotatio illa Ruperti supra allegati de mense, quo sacra Eucharistia condita est, nimirum, cum *tellus reflorescit, totusque post hiemem quasi post senium rursus juvenescit orbis*, ut colligeretur ex tempore virtute Eucharistiæ terram, orbem & hominem deposito senio, novos flores etiam juventutis resumpturos.

Quæst. XIII.

An sacra Communio pertineat ad fæminas.

Ps. 103. 16 QUid fæminis cum Eucharistia? Eucharistia est *panis cor hominis confirmans*, proinde cibus est virorum, non fæminarum. Nec quidem cum fæminis usquam Christus de Eucharistia egit. Cum illam Ioan. 6. promulgavit, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*, non fæminis, sed viris dixit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: viris dixit. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*: & tandem. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Cum Sacramentum instituit, nulla in cænaculo fęmina facta est particeps sacræ Synaxis, sed viri solum, qui erant de Collegio Apostolico, habiti apti & digni pro sacrificio conficiendo, & consequenter pro accipiēda Communione. Cum verò fæminæ indignæ & inhabiles existant, ut possint celebrare, erunt etiam ineptæ & inidoneæ ut possint cōmunicare. Habet nescio quid Eucharisticum convivium cum regali epulo Assueri, in quo viri solum cum Rege mensæ assidebant, fæminæ vero procul erant a convivio virorum.

Mulieres admittuntur. Fæminas maximè decet sacra Communio. Manna typus fuit Eucharistiæ, & fęminæ pane illo cælesti sustentabantur. Favus Sampsonis Eucharisticus totus erat, & eius particeps factus est sexus fæmineus. Et quidem cum panis de cælo descendit prima omnium, quæ illum suscepit, fæmina fuit, & in eius sumptione & fruitione viros omnes pręivit. Cū Martha sollicita esset de mensa & ferculis, quibus Christū exciperet, dixit Dominus alludens ad Eucharisticum cibum; *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga*
Luc. 10. 14. *plurima, porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hæc pars, de qua alebatur & pascebatur Maria, tota Eucharistica erat, vel quia sedens secus pedes Domini *audiebat verbum illius*, quod de Eucharistia erat, vel Eucharistiam sapiebat. Cōveniunt in eodem sapore verbum Dei & venerabile Sacramentum. Dixit de Eucharistia David, *Cibavit*
Ps. 80. 17. *eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos*: dixit de sermone divino;
Psal. 118. 113. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.* Unde cum Christus egisset de Eucharistia, dixissetque Ioan. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*, & multi ab eo recederent, rogassetque Apostolos, *Nūquid & vos vultis abire?* respondit Petrus; *Ad quem ibimus? verba enim vitæ æternæ habes.* Eucharistica igitur mysteria, & divina verba apud Apostolum Petrū idem omninò sapiebant. Maria secus pedes Domini audiebat verbum illius, in quo sacram Eucharistiam prælibabat & prægustabat, similis B. Virgini, quę prima omnium fæminarum didicit experimento, quid esset Eucharistia, & docuit quomodo esset accipienda.

Utinam

Vtinam ex devoto fęmineo sexu discerent viri, qua devotione accedere debeant ad perceptionem Sacramenti. Viri erant, qui malè loquentes de Deo, ausi sunt dicere, *Numquid panem poterit dare, aut parare mensam in deserto?* Tales & illi, qui non minus impudenter postea locuti sunt, *Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum?* Hanc virorum imprudentiam correxit, & eorum impudentiam repressit una fęmina, quæ offerenti sibi Angelo panem Angelorum respondit; *Quomodo fiet istud, quoniam virũ non cognosco?* Certa de summa Dei potestate propriam suam impotentiam objicit, quandoquidem ipsa sine viro concipere nequeat. Discant ex fæmina viri infinitam Dei potestatem in hoc Sacramẽto recognoscere, propriam vero impotentiam, & indignitatẽ confiteri, ut illud suscipiant. Discant potissimum ex pijs ac deuotis virginibus recurrentibus ad Eucharistiam. Auctor mihi Giraldus est lib. 17, Deor. gentium, quod a quibusdam sacris Romanis innuptę mulieres arcerentur, præfarique soleret lictor, *Mulier virgo exesto.* Sacra autem Ecclesię utpote munda & pura maxime ad virgines pertinent. Ps. 77.19. Ioa. 6. 53. Luc. 1. 34

Quæst. XIV.

An sacra Communio sit pro coniugatis?

EUcharistia tota Virginalis est, & tota spirat virginitatem. *Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Hostia est pura & immaculata, quę non patitur se tractari, nisi puris & immaculatis manibus Sacerdotum, qui coniugati nõ sunt. Non igitur sacra eius participatio pertinebit ad coniugatos, pro quo asserto stat Evangelica parabola; *Homo quidam fecit cænam magnam, & vocavit multos.* Inter multos quidam coniugatus erat, dixitque servo, qui invitandi gratia venerat. *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Fatetur igitur se non posse ad sacram venire Communionem, quia coniugatus est. Duo alij se excusarunt. Primus dixit, *Villam emi: & necesse habeo exire, & videre illam. Rogo te habe me excusatum.* Interim hic dabat aliquam spem, ut postquã villam vidisset, posset ad cęnam venire. Alter dixit, *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, Rogo te, habe me excusatum* Et hic etiam, postquam illa probasset, inficias non ibat adesse sibi licere. Solus cõiugatus immemor vrbanitatis non dicit, *Rogo te habe me excusatum*, nec temporaneum objicit impedimentum, sed obstaculum perpetuum, *Vxorem*, inquit, *duxi*, *& ideo non possum vinire.* Zach. 9. 17. Luc. 14. 16

Sacri matrimonij status per se consideratus usum Eucharistiæ non tollit. Coniugata erat Virgo, ex qua nobis natus, nobis datus panis Angelorum est, & eadem ipsa cum iuncta esset matrimonio, non solum solutis virginibus, sed etiam coniugatis gustandum obtulit cibum, quem prius ipsa prægustaverat. Eadẽ ipsa Virgo causam coniugatorũ agens, cũ nuptijs invitata adesset, dixit Filio; *Vinum non habent*, cui Christus: *Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.* Hæc hora non alia, quam illa est, cuius meminit Ioãnes; *Ante diem festum paschæ sciẽs Iesus, quia venit hora eius.* Remittit matrem suam ad hanc horam, in qua pretiosi sanguinis sui vinum daturus esset pro nuptijs inter se & Ecclesiam celebratis. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Cum igitur Sacramentum suũ voluerit esse nuptiale, cõiugatis illud negare noluit, sed potius ad illud invitavit eum, qui duxerat uxorem, & male se per illã excusavit, dum diceret; *Matrimony status non impedit communionẽ.* Ioan. 2. 4 Eph. 5. 32.

Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Hic statum & usum coniugalem sibi licitum causabatur & immerito, obstaculo sibi esse, quominus ad Dominicam cænam veniret, quapropter iratus est pater familias, non solum quia non accessisset, sed etiam quia culpam in statum & usum matrimonij coniecisset.

Meminerint tamen coniuges, quod cum hic panis e cælo descendat, & beati ibi *neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei*, oportere pro dignitate ac majestate tanti Sacramenti servare id, quod monet S. Hier. scribens contra Iovinian; *Probet se unusquisque, & sic ad corpus Christi accedat: non quod dilata Communionis unus dies, aut biduum sanctiorem faciat Christianũ, ut quod hodie non meruerat, cras mereatur, sed cũ dolet se non cõmunicasse, abstineat se ab uxoris amplexu, ut amori coniugij amorem Christi præferat.* Idem ipse contra eundem Iovinian. *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo nec probo, sed ipsorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant, & iuxta Persium, noctem flumine purgant.*

Matt. 22. 25.

Quæst. XV.

An sacra Communione indigni sint bis coniugati?

ERravit plane Tertull. lib. de Monogamia, cum damnaverit secundas nuptias, sed non erravit, quod dixerit; *Quid corpus Domini dignius initiaret, quam eiusmodi caro qualis & concepit illud & peperit? Et quidem Christum Virgo enixa est semel nuptura. At ubi infans templo exhibetur, quis illum in manus suscipit? quis spiritu primus agnoscit? Vir justus & cautus & utique non digamus. Vel ne indignius mox Christus a fæmina prædicaretur, vetere vidua & univira, quæ & templo dedita satis in semetipsa portendebat, quales spirituali templo, id est, Ecclesiæ, debeant adhærere. Tales arbitros infans Dominus expertus, non alios habuit & adultos. Petrum solum invenio maritum per socrum, monogamum præsumo. Cæteros cum maritos non invenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes.* Cum panis è cælo descendit, & adhuc sub infantia esset, non permisit se tractari ab ijs, qui bis fuerant coniugati, nec postea cum seipsum consecravit, communicavit seipsum bis coniugatis. Adde quod cum Apostolus *unius uxoris virum*, præcipiat esse debere Episcopum, & talem Ecclesia velit esse ordinandum Sacerdotem, idem videtur requirendum in cæteris, de quibus scribens Petrus ait, *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Itaque indigni pro sacrificio altaris, digni quoque non erunt, si bigami fuerint, pro sacræ Communionis perceptione.

1. Tim. 3. 2

1. Pet. 2. 5.

Bis coniugatos nõ reijcit Eucharistia.

Qui damnant secundas nuptias, gravissimè errant, in quos invehitur Paulus 1. Cor. 7. dum ait, *Dico autem non nuptis & viduis; bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam vri.* Secundum igitur matrimonium sicut & primum contra incontinentiæ vitium salutare remedium est, & qui ad illud confugiunt, ut præditi continentia accedant ad Eucharistiam haud improbari, multo minus damnari debent.

Debent tamen admoneri carnis incendia nõ solum extingui posse per sacramentum Matrimonij, sed etiam per corpus Christi, sicut idem Apostolus

ftolus fcribit cap. 7. ad Rom. *Quæ fub viro eft mulier, vivente viro alligata eft legi, fi autem mortuus fuerit vir eius, foluta eft a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, fi fuerit cum alio viro: fi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eft a lege viri: ut non fit adultera, fi non fuerit cum alio viro. Itaque fratres mei & vos mortificati eftis legi per corpus Chrifti, ut fitis alterius, qui ex mortuis refurrexit, ut fructificemus Deo.* Nec dubium quin per corpus Chrifti facramentale membra carnis mortificentur, & ignis concupifcentiæ extinguatur, quemadmodum advertit Bernard. Serm. de Cæna Dom. *Quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum vlceris ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia fubvenit, & ut fecuri fitis Sacramenti Dominici corporis & fanguinis pretiofi inveftituram habetis.* Quapropter plurimi coniuges, qui ad fecundas nuptias pro remedio contra incendia carnis confugerunt, non eo fe recepiffent, fi venerabilis Sacramenti afylum elegiffent. Qui cum illud eligere poffent, & non fecerunt, fed bigami effe voluerunt, indignos fe reddiderunt facerdotio & facrificio, fed non facra Communione: plus eft enim poffe celebrare, & Communicare, quam folum Euchariftiam fumere, quæ eft de vitæ neceffitate.

Quæft. XVI.

Cur Chriftus in Euchariftia nec lucet nec fplendet?

CHriftus lux eft, cum dixerit ipfe de fe, *Ego fum lux mundi*, & Ioannes de ipfo, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Chriftus *fplendor gloriæ eft*, cui Pater divinus ait, *In fplendoribus fanctorum ex utero ante luciferum genui te.* Sol lucidus & fplendidus cũ intra nubes eft, lucet & fplendet, cum ergo Chriftus lucidior & fplendidior cęlefti luminari fit, contentus intra nubes accidentium, quomodo intuentes fe nec illuftrat nec illuminat? Ita latet, ut dicere neceffe fit; *Quod non capis, quod non vides, animofa firmat fides præter rerum ordinem, fub diverfis fpeciebus, fignis tantum & non rebus, latent res eximiæ.* Ioan. 8. 12 Ioan. 1. 9. Pf. 109. 3.

Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veftræ non confundentur. Non ita latet Chriftus in Euchariftia, ut non luceat nec fplendeat, fed animæ refplendet ac fulget, unde S. Dionyf. de Ecclef. Hierarch. cap. 3. Venerabile Sacramentum alloquitur, *Tu o diviniffimum ac facrofanctum Sacramentum, circumpofita tibi fymbolice ænigmatum operimenta revelans, liquidò nobis manifefteris, mortalesque noftros obtutus fingulari & aperta luce adimpleto.* Affonat D. Iacobus in Miffa; ubi fuppliciter orat, *Involucra ænigmatum, quæ fymbolicè hoc fancto facrificio circumdantur, clare nobis oftende, & imple oculos noftri intellectus luce tua incomprehenfibili.* E doctus tam a D. Iacobo, quam à S. Dionyf. Iuftinian. cap. 9. de Monaftic. perfection. orat Chriftum in Euchariftia, *Aperi igitur, o mellifluе amor, aperi, inquam, o divina bonitas interiores fidelium oculos, ut formatæ fidei irradiati lumine mereantur videre te.* Sit ergo ex dictis conclufio, quæ eft apud Abbat. Celenf. lib. de Panib. *Mirabilis potentia Dei, qua panis in carnem, & vinum convertitur in fanguinem; mirabilis æque potentia, qua fic tanta res agitur, ut fub fignaculo fidei claufa folis mundis fidei afpectibus intra velamen appofitum penetretur.* Pf. 33. 6. *Splendor Euchariftiæ.*

Nec omittendum eft, quod lib. de Corpor. & fanguin. Domini, cap. 2.

Paschas. monuit: *Si rectè sapimus, & rectè percipimus, divinus spiritus, qui in nobis est, etiam per eandem gratiam ampliatur, eosdemque sensus nostros ad ea percipienda instituit, & componit, ita sane ut non solum gustum interius ad mystica perducat, verum & visum atque auditum, nec non odoratum & tactum ita quodammodo illustrat, ut nihil in eis nisi divina sentiantur, nihilque nisi cælestia.*

Quæst. XVII.

An Christus ardeat & vrat in Eucharistia?

Deut. 4. 24. D*Eus tuus ignes consumens est*, & statim in consecratione igneas suas vires ostendit per destructionem & omnimodam consumptionem substantiæ panis, quam intactam & illæsam, dum ante coqueretur ad ignem, accensus clibanus conservarat. Accedit Divin. Dionys. lib. de cæl. Hierarch. *Dominus noster & Deus, qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratissimum in sui traducit effigiem, deiformesque reddit.* Cum ignis tantus sit, quomodo non ardet? quomodo non vrit? Et si focus magnus levibus cineribus operiatur, si quis accedat propius, latentem experitur ignem accenditur & vritur. Et quid aliud sunt accidentia, quam cinerum simulacra? Igitur obstare nondebent, quominus divinus ignis & ardeat & vrat.

Ignis Eucharistiæ. Christus in Eucharistia ignis est, idem ipse qui olim apparuit in rubo, quo incombusto virginitas Deiparę signata est. Rubus ardebat, sed non comburebatur, nihil enim in Maria erat, quod posset absumere ignis, totum quod in ea erat, sanctum & immaculatum erat, ac proinde solum subministrabat materiam, ut in ea arderet & refulgeret flamma divinitatis. Accedere propius voluit Moyses, sed iussus est, ne ultra appropinquaret, licet enim sanctus esset, habebat in se, quod vreretur, & absumeretur. Divinus igitur ignis, qui arsit in rubo, & non combussit, quique fuit in calculo, quo tacta & usta sunt labia Isaiæ Prophetæ, ut purificarentur, in hoc Sacramentocontinetur. Quapropter lib. 4. de Fide Orthodoxa ritè ac rectè monet Damascen. *Accedamus desiderio ardenti, manus in Crucis modum formantes, Crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes oculos & labia divinum carbonem concipiamus, ut ignis nobis desiderij eo ex carbone ignitione comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis igniamur, & deificemur. Carbonem vidit Isaias. Carbo autem simplex non est, sed unitus igni, sic panis communionis non panis simplex est, sed unitus divinitati.* Ardet in rubo, ardet in hostia, nec comburit, si peccata non sint, si tamen fuerint, illa vrit & consumit, sicut in carbone se habuit cum Isaia, habet & gerit se cum veniente ad Communionem,

Quisquis ad illam accedit, sciat ardere Eucharistiam, sciat comburere, siquidem facta & composita est *in remissionem peccatorum.* Comburit peccata, sed cum voluptate communicantis. Bona pars benè communicantis hæc est, malè vero accipientis longè est alia: pro cuius declaratione facit id, quod affert Anselm. c. 53. Similitud. *Sicut ferrum ignitum omni ex parte continet ignem, sic in se boni voluptatem, mali verò in se sentient anxietatem. Hæc vero voluptatem neminem in hac mortalitate viventem esse puto vel fuisse, qui eam ut est, senserit, vel gustaverit, ut illius saporem vel habitudinem aliis declaraverit.*

Quæst.

Quæst. XVIII.

Quæ utilitas in scientia & thesauro abscondito Eucharistiæ?

MEmineris parabolę talentorum, in qua magnum sibi lucrum compararunt, qui tradita sibi talenta propalarunt, ut publicam exercerēt negociationem. Fuit inter eos unus, qui talentum sibi commissum occultavit & abscondit, propterea damnatus est, & quidē a Christo ipso, qui & nunc sub accidentibus panis & vini scientiam & opes claudit ac celat: *Sapientia abscōdita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Sapientia est, quæ sibi in hoc Sacramento condidit domum & habitationem in qua non patet, sed latet; *Sapientia ædificavit sibi domum,* sicut apis favum in quo seipsam abscondit. Continentur in Eucharistia, *omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Quæ ergo utilitas esse potest in scientia Christi abscondita, & in celatis eius thesauris? Eccl. 20, 32. Prou. 9. 1. Colos. 2. 3

Scientia & opulentia Christi sub speciebus panis & vini non ita abscōduntur & celantur, ut minimè dignoscantur, & discernantur iuxta sententiam S. Dionysij cap. 1. de Mystic. Theolog. *Theologiæ Christianorum præses, qui dirigit nos ad mysticorum oraculorum plusquam indemonstrabile, & plusquam lucens ad summum fastigium, ubi simplicia & absoluta, & immutabilia Theologiæ mysteria aperiuntur in caligine, plusquam lucente silentij arcana docentis, quæ in obscuritate tenebrosissima plusquam clarissimè perlucet, & in omnimodo intangibilitate præ pulchris splendoribus mentes oculis captas superadimplet.* Sapientia in Eucharistia silet & docet, igitur abscondita est, & non est abscondita. Divina opulentia in Eucharistia latet & patet, latet in caligine, patet in sui communicatione, cum animas implet, *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia.* *Latet, & patet Christus.*

Posuit tenebras latibulum suum, cum se consecravit de nocte, *in qua nocte tradebatur, accepit panem, sed nox nocti indicat scientiam,* indicat in Eucharistia divinam esse sapientiam & opulentiam. *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus quia venit hora eius,* hęc est sapientia: *& sciens, quia dedit ei omnia pater in manus,* hæc est opulentia. Neque unam neque alteram nox illa suprema ita velaverit, ut ambas non manifestaverit, & dederit occasionem, ut affirmare possimus cum Apost. 1. Tim. 3. *Manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Calix quidem & panis in secreto consecrantur, sed post factam in abscondito Consecrationem sacerdos hostiam & calicem elevat, ut adstantium oculis sacra mysteria obijciantur, eorum sapientia instruantur, eorum opulentia ditentur, si velint edoceri, si placeat locupletari; *Quid enim bonum eius est, nisi frumentum electorum.* Hic idem panis delapsus è cælo, *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Ps. 17. 12. Psal. 18. 2. Ioa. 13. 1. Zach. 14. Luc. 1. 3.

Quæst.

Quæst. XIX.

Quænam Sympathia est inter speculum, & Eucharistiam?

1. Cor. 13. 12. VIdemus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Quicquid creaturarum est, speculum Dei est, ubi varijs ac diversis modis exprimitur ac repræsentatur, in nulla vero creatura verius & melius Deus apparet, quam in anima habente in se ac referente divinam effigiem. Gen. 1. 26 Cum igitur dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, facere sibi speculum voluit, in quo sui effigiem imprimeret, & expressam redderet, Habemus apud nos hoc speculum naturale, in quo Deum naturę speculemur, donec tandem facie ad faciem eum intueamur Cum idem ipse supernaturalis gratiæ Deus sit, donec illum in cælo clarè videamus, nunc per varia mysteria fidei tamquam per specula subobscura illum cernimus, potissimum autem Sacramentum Eucharistiæ, quod *mysterium fidei est*, unde loquendo de hoc Sacramento dicere possumus, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Habent igitur Speculum & Eucharistia hanc Sympathiam, quod utrumque repræsentatiuum sit. Cum itaque in memoriam passionis, resurrectionis, & ascensionis Dominicę mysterium hoc fiat, necesse est, ut in eo Christus patiens, resurgens & in cęlum ascendens repræsentetur. Sed cum in speculo sit effigies hominis, & non homo, quomodo in mysterio altaris non est imago Christi, sed ipse Christus, siquidem speculi instar est? Quomodo videmus eum per speculum? Hoc certè non paruum ænigma est, sed in præsentia solvendum.

Christus seipsum repræsentat. Cum R. Admod. P. Lainius secundum Societatis nostræ Præpositus Generalis venisset in Gallias, ad summæ eius doctrinæ famā confluxerunt viri docti, & non pauci hæretici, qui rem habere cum illo ausi sunt in publica disputatione, quæ de sacrosancta Eucharistia instituta est. Cum urgerent hæretici fieri nequaquam posse, ut sacra Eucharistia esset repręsentatio Christi, & in ea Christus reipsa esset; ad eorum perfidiam redarguendam ac refellendam usus est hac similitudine. Si quis Princeps insignem aliquam victoriam comparaverit, velletque eam ad vivum repræsentari, & pro maiori celebritate prodiret ipse in theatrum, & esset actor, indubiè idem ipse esset, qui seipsum pugnantem, atque vincentem repræsentaret. Ad hanc eandem formam Christus pro maiori gloria beatæ suæ passionis, cum decrevisset, ut eius solennis memoria ageretur in Ecclesia, ipse voluit esse gloriosus actor & repręsentator suę pugnæ atque victoriæ, quæ in Sacramento datur & celebratur. Non minus apta, quam digna tanto viro similitudo, quæ summo cum applausu excepta est, & ora loquentium iniqua planè obstruxit.

Hinc solutio propositi ęnigmatis pendet. Mysterium Eucharisticum speculum est, in quo cernitur patrata prius pugna atque victoria, & tamquam in theatro apparet in speculo ipse pugnator, ipse victor in persona, ipse repræsentat seipsum certantem atque triumphantem, in omni loco per totum terrarum orbem, ubi fit memoria sacramentalis gloriosę Christi passionis. In quem sensum accipiendi sunt nonnulli Patres, cum asserunt

runt in hoc fidei mysterio esse formam & imaginem Christi patientis. Nec dubium quin Eucharistia sit speculum & imago ea ratione, quæ iam explicata est, sicut nec dubium est, quin Verbum divinum Patris sit *speculum & imago bonitatis illius*: unus quippe & idem Deus est, qui Verbum generat, & in Verbo seipsum gignẽtem exprimit ac repręsentat, unus & idem Christus, qui passus est & resurrexit, & seipsum profert ac producit in Eucharistia victorem & triumphatorem. Profert se, & ad viuum se producit in speculo, in hoc nimirum mysterio, in quo se ad passionem composuit. Sap. 7. 26

Habes in speculis materialibus mirabilis Sacramenti huius quædam rudimenta. Cum sis solus & unus te unum, non diversum varia repræsentant specula, sic & variæ hostię post consecrationem unum & eundem Christum proferunt. Rudimenta quidem illa sunt; in materialibus quippe specillis accidentariæ imagines sunt, diversę omnino a te ipso, qui per eas efformaris: in hoc vero mysterio Christus substantialiter est, & idem est, quem nunc per speculum in ænigmate videmus, & quem facie ad faciem postea in cęlis videbimus. Videbimus, quod sicut Pater repræsentatur verè & realiter in Filio, sic & Filius realiter & substantialiter se exprimit in Eucharistia, & sicut Filius personaliter a Patre solum differt, sic & Christus a se in Eucharistia Sacramentaliter solum discrepat, residens ad Patris dexteram. Certè, certè cum te ad speculum intueris, in eo tua apparet imago, quidni illam ipsam Deus ad viuum realiter producere posset, quam intentionaliter solum natura produxit? Esset illa viua tui ipsius forma, non tu ipse, Verumenimvero ita se Christus repræsentat ad vivum, ut & idem, ipse sit in Eucharistia.

Quæst. XX.

Quanam Sympathia inter Christum incarnatum & consecratum?

CUm divinitas immensa sit, omnem occupat locum, & implet spacia omnia. Humanitas finita est ac limitata intra certos & breves terminos contenta atque conclusa. Inter id autem, quod est immensum, & id quod arctum, & constrictum est, quæ potest esse proportio? quę sympathia? Sympathia quidem est, qualis esse solet inter servitium & stipendium; inter obsequium & præmium.

Sacra Christi humanitas, tempore incarnationis servivit Verbo divino, *Præmium* quod cum esset immensum, voluit, se coarctare & angustiare. Abbreviatũ *sancta hu-* est Verbum, sed cum ministerio humanitatis, *Verbum caro factum est*. In *manitatis* hoc puncto consistit maximè œconomia Incarnationis patratæ in sacra- Ioa. 1. 14. rio virginitatis, *Sãcta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio, quia quem cæli capere non poterãt, tuo gremio contulisti*, Dedit de suo humanitas divinitati parum, quod habebat, ut Deus, qui in statu immensitatis suæ nec crescere nec augeri poterat, cresceret & augeretur virtute humilitatis. Testis mihi S. Ambr. est Serm. 20. in Psalm. 118. *Qui nihil habebat, quod ad potestatem suam adderet, habuit, quod ad cultum suæ maiestatis adiungeret. Audeo dicere, operationis suæ munus amiserat, nisi id humilitas recepisset. Itaque nos quidem redemit, sed etiam sibi acquisivit*. Adulatio, quæ divinas laudationes ad humanos Principes transferre solet, transtulit hãc laudem ad Traianum

in

in Pliniano Panegyrico. *Cui ad augendum fastigium nihil superest. Hic uno modo crescere potest, si seipse submittat securus magnitudinis suæ, nec enim ab ullo periculo fortuna Principum longius abest, quam ab humilitate.* Hoc humanitatis & simul humilitatis obsequium præstitum divinitati irremuneratum non mansit, quandoquidem Verbum Patris rependit de sua immensitate, quod acceperat ab humanitate. Huius rei gratia sacra Christi caro, quæ ex se & secundum se uni adstricta est loco, virtute divinitatis, ui & efficacia cõsecrationis in locis pene infinitis reponitur. Sũma hęc remuneratio est, cujus meminit Deus cap. 1. Malach. *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quod autem hæc verba ad stipendium & præmium sint referenda, hinc constat, quod neminem sibi gratis servire eo loco evincere & concludere vellet; *Quis est*, inquit, *in vobis, qui claudat ostia, & incendat ad altare meum gratuitò?* Subiungitque deinde verba de sacra Eucharistia, in qua divinitas solvet humanitati, quod sibi solvit officium, ut nimirum in omni loco sacramentaliter immoletur, offeratur & simul commuuicantibus prębeatur.

Quæst. XXI.

Quare Christus ita odit, & punit indignè Communicantes?

PAulus a Christo accepit, quod scripsit de sacra Eucharistia, ait enim; *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Accepit & tradidit, quod indignè communicantes apud Deum tanto essent odio, & tãto digni supplicio, ut extremè puniri deberent. Verba horroris & pavoris sunt; *Quicumque manducaverit panem, & biberet calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini*: & rursus: *Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Assonat & Paulo Ecclesia; *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vita vel interitus. Mors est malis, vita bonis: vide paris sumptionis, quam sit dispar exitus.* Dissimilis sibi videtur in passione Christus, ubi pro suis tortoribus orat, hic minatur, ibi absoluit latronem, hic reos corporis & sanguinis sui graviter iudicat, & ad mortem acerbam damnat.

1. Cor. 11. 28.

Odium Dei erga peccatores *Ps. 55.* Nemo vult esse id, quod odit, *Si quis ergo odit Verbum, id non vult esse*, ut ait Clem. Alex. lib. 1. Pædag. ca. 8. Cum itaque invisi Deo peccatores sint, procul esse ab eis amat: idcirco David ait, *Manè astabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Qui peccator est, & indignè sumit Eucharistiam, non vult esse quod est Christus, sectator planè eorum, qui in sacra passione clamarunt, *Tolle, tolle, Crucifige eum*, & vult præterea, ut Christus sit, quod odit, dum sacramentaliier illum intra se recipit, & secum indignè concorporat. Hęc iustissima cavsa iræ, & indignationis Christi arguentis, & graviter punientis hominem hunc sacrilegum, cum quo res est, Psal. 49. *Existimasti inique, quod ero tui similis, Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Intelligite hac, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendã illi salutare Dei.*

Luc. 23. 21.

Interim mirari quis posset, quod cum D. Paulus meminerit gravis offensæ

fensæ & supplicij debiti indignè communicãti,nec vel unum dixerit verbum de obsequio & præmio parato animæ , quæ pro dignitate de altari participaverit.Habes in Festo corporis Christi Evangelium &Epistolam, in Evangelio nihil de pæna,omnia de præmio sunt:in Epistola vero nihil de remuneratione,sed totus sermo de punitione est. Christus in Evangelio postquam dixit,Ioan.6.*Caro mea vere est cibus,& sanguis meus vere est potus*:statim agit de Communione, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem,in me manet,&ego in illo.* Sacrę statim communioni adjungit pręmium;*Sicut misit me vivens pater,& ego vivo propter patrem, & qui manducat me,& ipse vivet propter me.*Non intentat mortem, sed vitam æternam pollicetur;*Non sicut manducaverunt patres vestri manna,& mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*Quod ad supplicium pertinet,Apostolus in Ecclesia publicat,quæ a Christo & Paulo edocta complectitur hodie utrumque,vitam scilicet & mortem,canitque simul & monet: *Mors est malis,vita bonis,vide paris sumptionis quam sit dispar exitus.*

Quæst. XXII.
An deceat in privatis domibus sumere sacram Communionem?

CHristus cum primam dedit Cõmunionem,non præbuit illam in tẽplo,cum posset.Et primi Christiani in privatis suis ędibus communicabant,iuxta id,quod scriptum est Act.2. *Quotidie quoque perdurãtes unanimiter in templo,& frangentes circa domos panem sumebant cibum cum exultatione,collaudantes Deum,& habentes gratiam ad omnem plebem.* Quem locũ de fractione panis Eucharistici intelligendũ Patres docent.Docẽt qnoque non pauci,quod cum duo discipuli cognoverunt Christũ post resurrectionem *in fractione panis*;fractio illa accipienda sit Eucharisticè, & illa in privato quodam diversorio celebrata est.Cum autem è cælo descendit,panis in privata domo Virginis exceptus est,& cum non esset ei locus in diversorio,quando ex utero Matris prodijt,in stabulo & præsepio repositus est. Cur ergo non solum liceat,sed etiam deceat,ut fideles utriusque sexus in particularibus ædibus,privatisque Oratorijs sacram Eucharistiam sumãt? Luc.24.5[?]

Accepimus arcam Dei,in qua cæleste manna , typus Eucharistiæ erat, ante fabricam templi in privatis domibus aliquantulum remansisse , puta in domo Obededon,& nõ sine magno lucro,quo ductus & doctus Rex David iuxta se , & aulam transtulit eandem arcam. Postquã vero ędificatum est templum,in eo constituta est,ibidemque suam fixit stationẽ,quo confluebant omnes,ut Deum colerent,& honorarent,iuxta illud oraculum,*In templo eius omnes dicent gloriam.* Quod accidit arcę,accidit etiã Eucharistiæ, ut antequam templa conderentur,in privatis domibus illa esset, coleretur & sumeretur. Pro cujus majori cultu ac reverentia,ut dicitur in Festo Dedic.Ecclesię Salvatoris:*ab Apostolorum tempore loca fuerunt Deo dicata, quæ a quibusdam Oratoria,ab aliis Ecclesiæ dicebantur,ubi collectæ fiebant per unam sabbati, Christianus populus orare,Dei verbum audire , & Eucharistiam sumere solitus erat.* Antequam publica templa fabricarentur sub imperio Constantini,erat in privatis domibus.& Oratorijs Eucharistia,quin etiã in speluncis & cavernis terræ,in quibus se abdebant Christiani, ut fugerent diros tyrannos & immanes persecutores.Postquam constructæ sunt sacræ ædes , in

Communicare oportet in templo.

Ps.28. 28.

quibus firmam habet mansionem, in eisdem pro decentia sibi debita gaudet Christus celebrari, & manducari.

Quod si primi illi Christiani in templo Solymitano orabant, & nõ in eodem cõmunicabant, inde hoc proveniebat, quod sacra Eucharistia nõ pertinebat ad Synagogam, nec consequenter ad eius templum, sed ad sanctã Ecclesiam, & sacra eius delubra, quæ necdum fundata erant. Donec illa fundarentur, panis hic, qui de cælo descendit in privata Virginis domo, in stabulo, in pręsepio, in hospitio & diversorio traditur fuisse.

Laudabilis ille usus proveniens ex causa justa & honesta, non favet nec favere potest abusui malè introducto privatorũ sacellorũ, in quibus indecenter & inhoneste celebratur. Scio quod multi non curantes pietatẽ & devotionem, sed honorem & vanitatem domi sacra volunt, ne dicã, emũt, & mercantur Oratoria. Sunt & multę fæminæ, quę prætexentes puritatẽ & honestatem intra domum se & suas ancillas continere velle jactitant, dum sacella habent particularia pro recitanda Missa, & sacra accipienda Eucharistia. Credat qui volet, nec quispiam volet credere, qui noverit eas non esse similes Iudithę, quę in Oratorium se recipiebat cũ religiosis ancillis, sed similes potius Dinæ, quæ per plateas discurrebat, & ipsę, excepto tempore sacri, totos dies huc & illud vagantur, præsertim siquando Festa sacra sive prophana fiant. Et certè prętaret feriatum sacrum omittere, quam ita illud audire.

Quæst. XXIII.

Quare communicantes manu propria, & non sacerdotali Communicant?

DE primis Christianis Act. 2. traditũ est, *Frangentes circa domos panem sumebant cibum cum exultatione.* Igitur, qui postea secuti sunt cõmunicantes, quare non moribus antiquis agunt, & frangũt suis manibus panem? Hoc namque adultorum est, ut sibi panem parent & sumant, infantium vero, ut de aliena manu cibum capiant, & gustẽt. Hoc quoque ægrotantium, & infirmantium graviter est, ut prę fastidio & deliquio cordis & virium, sibi cibum in os immitti patiantur, quod sani & benè valentes non permitterent, sed per se escam sumerent & ederent.

Hic sacer panis pro infirmis est, & tamquam ægri & infirmi accedimus ad Eucharistiam, cujus ea virtus est, ut cor humanum confirmet. Accedit li. 5. in Ioan. c. 34. Cyr. *Vt panis hic terrestis facit, imbecillitatem nostram sustinẽs & conservans, ita & ipse per Spiritum sanctum spiritum nostrũ vivificat, & corpus ipsum à corruptione liberat.* Et quidẽ Christus in promulgatione Eucharistiæ facta Ioa. c. 6. tamquã cum infirmis & ęgris egit hominibus, cũ dixerit Ioa. 6. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Dici solet infirmo fastidienti ac recusanti cibum, Nisi comederis, morieris, & eadem omnino phrasi usus est Christus in eos qui Eucharistiam præ fastidio recusantes ajebant, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Qui infirmi sumus ne fastidiamus, ne recusemus capere vitalem & salutarem escam de
Ps. 80. 11. manu Christi monentis ęgrum & debilem. *Dilata os tuum, & implebo illud.*

Hic sacer panis paruulos infantes quærit, & infantibus porrigitur, ut
Panis infirmorum & paruulorum. multis probat Clem. Alexand. lib. 1. Pędag. cap. 6. unde pauca hæc allegan- da sunt; *Alimentum est Dominus Iesus, alimentum infantium est, spiritus incarnatus, caro calestis sanctificata.* Confirmat assertum testimonio D. Petri qui
Ioan. 6 Epist. 1. cap. 2. nos vult more infantium procedere quoties ad sacram

Sy-

Synaxin accedemus, ex quo concludit; *Deposito ergo omni vitio, & omni dolo & simulatione & invidia, detractione tamquam nuper nati infantes verbale lac concupiscitis, ut ipso crescatis in salutem, si gustastis, quod Christus Dominus.* Christus igitur Dominus communicanti tamquam nobili infanti cibum porrigit ac dicit, *Dilata os tuum, & implebo illud.* Ps. 80. 11.

Quod si primi illi Christiani *frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione,* in ipsis planè Ecclesia erat, & in ipsis illa ostendebat quid posset, nimirum quod non poterat Synagoga. Hæc paruulis suis subministrare non poterat cibum, ac proinde *paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Hanc subministrationem penes Ecclesiam esse facto suo, & fracto per se pane, antiqua illa Christianitas ostendebat, quod & nunc Sacerdotes confirmant, qui nomine Ecclesiæ offerunt, & conferunt Eucharistiam. Adde, quod tunc rari erant & pauci Sacerdotes, qui possent tantæ Christianorum multitudini Eucharistiam ministrare, ac proinde cū non essent ad manum Sacerdotes, proprijs manibus in suis domibus sacros frangebant panes. Thren 4. 4.

Quæst. XXIV.

Cur per modum sancti osculi accipitur Euchaaistia?

SUmma familiaritas despectum affert, & idcirco Reges ac Principes consortia hominum fugiunt, ut ab eisdem magni æstimentur. Deus ipse, quamvis immensus sit, & omnem occupet locum, suam aulam in cœlo habet, in cuius latet sacrario, ut in majori pretio ac cultu à mortalibus habeatur. Quæ etiam causa fuit, ut intra adyta, & abdita tabernaculi ac templi se contineret Et nunc etiam videmus, quomodo Christus non exponatur, sed intra sanctuariū altaris claudatur, ut major illi cultus prçstetur. Convenienter satis hoc fit, nam ubi passim exponitur, & proponitur Eucharistia, non parum, sed multum de reverentia eius remittitur. Hæc est humana conditio, ut minoris faciat ea, quç nimis parvia sunt: merces quippe ultroneç vilescunt. Argumentū summç familiaritatis illud est, si nō solum ad colloquium, sed etiam ad osculum quis admittatur. Cum igitur Christus in Euchar istia, cælesti more coli velit, & debeat, quomodo se osculari permittit ab eo, qui sacram accipit communionem. Hæc certe via ad æstimationem non est, sed potius ad despectionem, quam solet nimia familiaritas generare.

Sunt oscula sancta, sunt oscula carnalia, carnalia ejusmodi sunt conditionis, ut per eorum consuetudinem cōtemptus introducatur: sancta vero oscula hanc habent vim, ut maiorem efficiant æstimationē. Quapropter 2. Cor. c. 13. monet Apost. *Salutate vos invicem in osculo sancto*: In quem locum Ambr. *Hæc salutatio Ecclesiastica est, quia oscula hæc non carnalia, sed spiritualia sunt, quæ cōplexu corporum animos copulant non desiderio carnis, sed spiritus* Non carnis, sed spiritus osculum est, per cuius modum & formā accipitur Eucharistia. Rursus Paulus scribens 1. ad Thesal. c. 5. *Salutate fratres omnes in osculo sancto:* rursus & Ambr. *Sancta oscula sunt in salutatione Christiana, cætera carnalia sunt, quia quicquid sine Christo fit, carnale est, ac per hoc mortale.* Christus in hoc Sacramento vel ab eius institutione fraternè nobiscum egit; *In suprema nocte cænæ, recumbens cum fratribus, cibum turbæ duodenæ, se dat suis manibus;* hunc igitur divinum fratrem in osculo sancto salutamus, cum Sancta oscula.

 in

in sacro altari cõmunicamus, ut magis illũ amemus, & pariter æstimemus. Accedit D. Greg. Hom. 36. in Euangelia expendens illud Psalmistæ Ps. 33 *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*, ac si apertè dicat, inquit ille. *Cibum vitæ ex palato cordis tangite, ut probantes eius dulcedinem amare valeatis*;

Non spiritualiter, sed carnaliter Christum osculatus est Iudas, & tam parvi Christũ fecit, ut triginta illum argenteis vẽdiderit. Similis Iudæ est, qui cum peccator sit, non in osculo sancto, sed prophano dolosè agens cũ Christo, Christum accedit. Quod dixit ille Iudæ. *Iuda osculo filium hominis* (Luc 22. 46.) *tradis?* dictũ sibi quoque arbitretur. Uterque non absimilis Ioabo, de quo scriptum est 2. Reg. 20. *Dixitque Ioab ad Amasan; Salve mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere.* Similis uterque Ioabo in osculo & nece, cuius reus Iudas fuit, & eius socius, *reus erit corporis & sanguinis Domini*.

Cum vero lib. de Isaac & anima c. 3. Ambr. dixerit, *Osculum est, quo sibi amantes invicem adhærent, & velut gratiæ interioris suavitate potiuntur*, osculãti se in Eucharistia Christus ait; (Ioa. 6. 55.) *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Subjungit Ambr. *Per hoc osculum adhæret anima Deo Verbo, per quod sibi transfunditur spiritus osculantis: sicut etiam ij, qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi invicem videntur infundere.*

Mutua itaque hæc osculorum familiaritas argumẽto est, quanti Christus animam, quanti anima Christũ faciat, & quo frequentior est usus osculorũ & sacrarum Communionum, eo major non solum Christi erga animã, sed etiam animæ in Christum æstimatio est. Dixit Christus de Magdalena, *Nõ* (Luc. 7. 45) *cessavit osculari pedes meos*, & quidem quot fuerũt oscula, tot etiam fuerunt & amoris & ęstimationis erga Christum argumenta. Qualis Magdalena, talis & anima. *Quæ enim diligit*, ut ait citatus Ambr. *non est unius osculi parcitate contenta, sed plura exigit, plura vindicat, & ita se amplius dilecto commendare consuevit. Denique illa in Euangelio sic probata est, quia non cessavit, inquit, osculari pedes meos, & ideo remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.*

Quæst. XXV.

An possit esse circa Eucharistiam Concupiscentia carnis?

MUndus malè audit a tribus, quæ cõmemorat S. Ioannes, *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum & superbia vitæ.* (1 Ioa. 2. 16) Primo loco est concupiscentia carnis, quæ in perpetua lucta est cum anima & spiritu, (Gal. 5. 17.) *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Placet in hac parte quod Philo li. 1. de Alleg. leg. conferat & componat *concupiscentiam cum immanissimo animali tigride*, cum qua perpetuo anima negotium habeat? Tota maculosa tigris est, & caro eiusque concupiscentia plena maculis est, *manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, cõtentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidia, homicidia, ebrietates, comessationes & his similia.* Viden quam sit maculosa tigris, cum qua spiritus negociũ habet? omnes prædictę labes & maculæ ortum habent ex concupiscentia, concupiscentia cum conceperit parit peccatum. Quid igitur tigridi cum Agno? quid immaculatæ hostię cum maculata carne? quid carnali concupiscentię cum mystica mensa Eucharistiæ?

Post-

Postquam Apostolus maculosam carnis pellem ita depinxisset, ac descripsisset, tandem subjungit, *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*: ut nimirum depositis maculis, & simul earũ causis, non modo carnali, sed & spiritali affectu res cælestes concupiscant. Hæc virtus venerabilis Sacramenti est, ut carnem ipsam reddat spiritalem, Accedit S. Laur. Iustinian. Serm. de Euchar. *Mira divinæ sapientiæ dispensatio, miraque prudentia, ut illius tentationes a tentatione te liberent, eius te sanet infirmitas, ipsius obedientia te obtemperantem faciat, te vivificet mors, te spiritualẽ eius efficiat caro.* Christus ex anima & carne constabat, & quod altera pars desiderabat, altera sanctè concupiscebat, & cum ille hominem spiritalem reddit, effecit, ut eadem appetentia sit animæ & carnis, ut & dicere queat, *Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Gal 5. 24 Ps. 62. 2.

Christus fassus est de se: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Quæ verba expendens Tertull. lib. 4. advers. *Martion.* inquit; *Professus itaque se concupiscentia concupiisse edere pascha suum: indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus, acceptum panem corpus suum illud effecit.* Hoc ipsum quod Christus in carne existens concupivit, appetere carni licet, licet concupiscere carnem sacramẽtalem, qua Christus alit & fovet Ecclesiam, ut & ad eius exemplum cum carne sua quis se habeat & gerat, illamque pane cælesti sustentet. Luc. 22. 15

Quæst. XXVI.

An odium vel amorem erga carnem propriam pariat Eucharistia?

Sanctus Greg. Nyss. Hom. 8. in Ecclesiast. euulgat & promulgat, in favorem Eucharistiæ, *Qui amat hãc carnem, non est amicus suæ carnis.* Quomodo verum esse assertum potest, cum Paulus c. 5. ad Ephes. scripserit: N*emo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam.* In hunc locum ita discurrit Anselmus. Quod nonnulli dicũt se malle esse sine corpore, omnino falsum est. Non enim corpus suum, sed corruptiones eius, & pondus oderunt. Non enim corpus nullum, sed incorruptum & celerrimum corpus volunt habere. Sed nec illi, qui se occidunt, odio habẽt carnem suam, sed aliqua gravia incommoda se per mortem effugere putant. Qui vero continentia quadam & laboribus persequuntur corpora sua, qui hoc rectè faciunt, non id agunt, ut non habeant corpus, sed ut habeant subiugatum & paratum ad opera necessaria. Libidines enim malè utentes corpore, id est, consuetudine inclinationis animę ad fruendum inferioribus, per ipsius corporis laboriosam quandam militiã llud extinguere affectant. Nã non se interimunt, & curam valetudinis gerunt. Itaque, *nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam.* Ecclesiam Christus, sicut concludit Ans. *Spiritualiter nutrit cibo, potuque corporis ac sanguinis sui.*

Qui carnis sarcinam, laboriosam eius vitam gravesque eius tentationes effugere & vitare cupiunt per mortem, videntur odisse suam carnem, sed non oderunt. Quomodo ergo stare potest sententia illa Nysseni, ut amator carnis Christi in Eucharistia carnem suam propriam oderit? Caro Christi Eucharistia est, ut hanc à se diligi inde probat, quia *spiritualiter nutrit cibo, potuque corporis ac sanguinis sui.* Quisquis *Molesta caro, sed non exosa*

quis igitur ad eius imitationem carnem suam alit, ac sustentat cęlesti pane Eucharistiæ, non erit inimicus carnis suæ, sed potius summus amicus & familiaris. Ex dictis solutio pendet.

Qui amat hanc carnem, non est amicus sua carnis. Sentit enim, quam sit grave carnis pondere gravari, cum videat posse esse se, qualis Christus est in Eucharistia, cuius pretiosa caro nullum gravamen habeat, nullum pondus. *Qui amat hanc carnem, non est amicus sua carnis.* Humanæ vitę incommoda odit, memor beatę & æternæ vitæ, cuius certum pignus est sacra Eucharistia, & de qua Christus, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* (Ioa. 6. 60.) Tandem, *qui amat hanc carnem, non est amicus carnis sua*, cum qua hostiliter agit, ut eam subijciat animæ, ut per hanc militiam pax bona fiat inter spiritum, & corpus, & in pace simul Deo, & regno cælorum fruantur.

Quæst. XXVII.

An possit esse erga Eucharistiam concupiscentia oculorum?

AMant homines vani inanem sui ostentationem, & pro sua conditione finxerunt & coluerunt deos, magnum quid ostentantes, & avidè amantes æquè spectabiles & venerabiles apparere curiosis oculis cultorum suorum. *Non est Deus noster ut dij eorum*, cui dixit Isaias, (Deut. 32. 13.) *Verè tu es Deus absconditus.* Quid ni hoc diceret Propheta, qui Seraphicis alis & plumis vidit totum Deum tectum & coopertum? Nec quærit, nec amat oculorum curiositatem, ac proinde dicenti ac petenti olim Moysi, *Ostende mihi faciem tuam*, responsum præbuit, *Non me videbit homo, & vivet.* (Exod. 33. 13.) Et ut viveret Elias, cum Deus iuxta transiret, pallio suo vultum suũ texit, ne curiosus haberetur, & puniretur. Christus cum verus Deus sit, dum vixit, in sacra se occultavit humanitate, & postquam iam resurrexit, ita occultus esse voluit, ut cum dixisset Thomas, *Nisi videro, non credam*, & videndo præ reverentia exclamaret: *Dominus meus, & Deus meus*; Deus responderit, *Quia vidisti me Thoma, credidisti, beati qui non viderunt, & crediderunt.* (Ioan. 20. 25.) Hic idem Deus in Eucharistia est celatus & velatus sub formis accidentarijs panis & vini, & cum sit *mysterium fidei*, arcet a se omnem oculorum concupiscentiam. Unde & Ecclesia monet; *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem.* Noverat S. Ludovicus Francorũ Rex, quam esse procul à fide deberet concupiscentia oculorum, ac proinde cum ipsi significaretur Christum visibiliter in hostia consecrata cõparuisse; noluit ire, planè indicans præstare in Eucharistia Christum credere, quam videre.

(*Pascit oculos Eucharistia.*) Nihilominus David Rex oculatos nos esse vult pro mysterijs Eucharisticis, *Gustate*, inquit, *& videte, quoniam suavis est Dominus.* Non reijcit Eucharistia oculos, quos aspectu suo beat, iuxta illud 33. Deuter. *Habitabit Israel confidenter, & solus oculus Iacob in terra frumenti & vini, cælique caligabunt rore. Beatus es tu Israel, quis similis tui popule, qui salvaris in Domino?* Habet in hoc Sacramento locum concupiscentia oculorum, qua tacti fideles anhelant ad videndum Christum, & ideo apud Chrysostom. Hom. 83. in Matt. scriptum legimus; *Quot nunc dicunt, Vellem eius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta.* Hanc curiositatem Chrysostom. non damnat, sed approbat, cum respondeat; *Ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum manducas.* Nec ipsa

ipsa Ecclesia, quæ dicit, *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides*, libera est ab hac sancta curiositate, cum supplex oret; *Cælesti lumine, quæsumus Domine, semper & ubique nos præveni, ut mysterium, cuius nos participes esse voluisti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus affectu.*

Procul hinc profani oculi, sed religiosi oculi prope. *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus.* Et quidem visus est Rex dignitate & cōditione, ut probat Philo lib. de Abrahamo, *Hunc enim Deus Regem cæterorum constituit omnium editissimum, & tamquam in arce collocatum, perquam familiarem fecit animæ.* Et paulo inferius: *Satis constat sapientiam & philosophiā non aliud in nobis habuisse initium, quam ex visu sensuum omnium principe.* Rex & princeps tunc temporis est, quando *elata cervice quæsivit sibi delicias meliores corporeis ex contemplatione mundi, & rerum in eo comprehensarum.* Non ibi tantus Rex, quantus ex contemplatione Eucharistię, & rerum, quæ in ea comprehenduntur.

Fides ex auditu est, & non ex oculis, ac proinde prius audire oportet, videre postea, unde monetur Ecclesia Psalm. 44. *Audi, Filia & vide.* Postquā audieris & credideris, ut quęras videre Deum, damnabile non est, sed laudabile. Præcedat auditus, sequatur visus. Habet cum aure visus quoddam quasi coniugium, ut docet ibidem Philo. *Tardiores autem, & quodammodo magis fæmineæ sunt aures, quam oculi, qui ad visibilia properant fortiter, & non expectato motu illorum ultimo in occursum festinant, ut ea percipiant. At auditus ut tardior, & deterioris sexus secundum teneat ordinem, & prærogativam quandam concedat visui.* Et si fæminam vir pudeat in rebus fidei auris præcedit visum, quia *qui cito credit, levis est corde*, unde *fides ex auditu* est, quia tardus est non ex visu, quia levis ac velox est. Quod si sapientia & philosophia ortum ex oculis habuit, fides ex auditu orta est, & unaquæque suo respondet principio, ut fides aurita potius sit quam oculata, sapientia vero & philosophia magis oculata quam aurita debeat esse.

Rom. 10. 17. Ecc. 19. 4

Quæst. XXVIII.
An superbia vitæ sit aliena a sacra Communione?

CUm de concupiscentia carnis & oculorum egerimus, & dixerit Ioannes, præter carnis & visus appetitiones esse superbiā vitæ, restat, ut consideremus, an superbia exulare debeat à sacra Communione, in qua mortalis homo summo afficitur honore. Cū dixerit Christus Matt. 11. *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*, videbitur paradoxon, quod Eucharistiæ annexa possit esse vitæ superbia. Christus in hoc Sacramento non esset, nisi humilis esset. Confirmat hoc assertum Aug. in Ps. 32. *Notus est Dominus noster Iesus Christus in corpore & sanguine suo*: rogat, *Vnde autem commendavit corpus & sanguinem suum? De humilitate sua, nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius, in principio erat Verbū, ecce cibus sempiternus, sed manducavit Angelus. Quomodo ergo de ipsa pascit Sapientia Dei? quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducavit homo, & scriptum est, panem cæli dedit eis.* Ubi tanta humilitas est, non potest ullum locum habere superbia.

Superbire est super se ire, & super se ire potest quis non solum male, sed etiam benè. Malè, sicut ille, qui dixit, *In cælum conscendam*: benè, sicut ille solitarius, in cuius laudem locutus est Ieremias; *Sedebit solitarius, & tacebit, & levabit se super se.* Hoc superbire sancte est, & potest & debet ita su-

Sancte superbire licet. Thren. 3. 28.

per se ire, qui particeps fit sacrorum mysteriorum. Hac sancta elatione ta-
Ioa.13.25 ctus & affectus Ioannes, elevavit se super se, cum sedens *recubuit super pe-
ctus Iesu*, ea nocte, qua sacram accepit Communionem, & in qua prævi-
Psa.67.28 dens illum David modulatus est, *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis exces-
su*. Christus infra se venit, ut homo super se esset per Eucharistię sumptio-
Ioan.6.58 nem, dicitque propterea Dominus, *Sicut misit se vivens pater, & ego vivo
propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Missus est infra se,
ut qui ipsum manducaret, ascenderet super se, & similis Altissimo evade-
ret. Accedit S. Dionys. agens de cælest. Hierarch. *Dominus noster & Deus,
qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratißimum in sui traducit effigiem,
deiformesque reddit.* Hic ipse ignis est, qui planè comburit Luciferum, qui
similis esse voluit Altissimo, nec potuit, potuit homo & voluit virtute
sacræ Eucharistiæ.

1.Ioa. 2. 16. Quæ est in mundo præsumptio, appellatur a Ioanne *superbia vitæ*, ex eo quod homines, cum sint mortales, serò aut nunquam se morituros esse co-
Iob.14.5. gitant. *Breves dies hominis sunt*, & species vanæ superbiæ est, de vitę diuturnitate & de immortalitate pręsumere. Quasi semper Cęsares victuri sint, *semper Augusti* nuncupantur. Hinc ortæ regiæ illę acclamationes, *Rex in æternum vive*, &, *Vivat Rex in æternum*. Frivola & inanis superbia vitæ est. Solus superbire, & super se ire ritè ac rectè potest is, qui susceperit Eucharistiam, cui annexa est de ęternitate præsumptio, non frivola, nec inanis, sed fundata & stabilita in certa Christi promissione, *Qui manducat*
Ioa.6.59. *hunc panem, vivet in æternum.*

Quæst. XXIX.

An Christus in Eucharistia sit totus gustabilis, & comestibilis?

Ioan.1.1. CHristus Deus & homo est: *Deus erat Verbum*, &, *homo factus est.* Si Christus totus gustabilis esset, divinitas Verbi comestibilis foret, & tamen nec cum promulgavit hoc mysterium, nec quando illud cō-summavit, de sua divinitate locutus est. Et si Christus homo totus esset gustui & palato humano idoneus, cum constet corpore & anima, non solum carnem & sanguinem obtulit, & dedit, sed etiam sacratissimam animam, cuius non meminit, sicut & divinitatis nullam mentionem fe-
Ioan.6.56 cit, dixit tantum, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* dixit tantum, *Hoc est enim corpus meum*, &, *Hic est calix sanguinis mei.* Et si divinitas & anima in consecratione carnem & sanguinem comitentur, non ideo evincitur, quod possint aut debeant gustari, cū multa sint interdū annexa materialibus escis, quæ sumpta per se nec alunt, nec pascunt comedentē.

Christus totus pascit. Christus secundum quod Verbum Dei est, pascit & sustentat in hoc Sacramento comedentem. Repetenda sunt verba August. in Psalm. 32. *Respice altitudinem ipsius. In principio erat Verbum: ecce cibus sempiternus, sed manducavit Angelus. Quomodo ergo de ipsa pascit Sapientia Dei, quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum mãducavit homo.* Verbum fructus divinitatis est, quem Angelus in alto cacumine arboris edebat, illum ipsum ex alto demissum atque dejectum accipit & percipit homo. Cum diabolus Christum tentaret, diceretque, *Si*

filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant, respondit; *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Omnia verba Dei gustum recreant. *Quam dulcia faucibus meis, eloquia tua super mel ori meo?* Quid ni primum illud Verbum quod processit de ore Dei, gustabile sit? Ritè ac rectè comeditur Eucharistia, cum sumitur per modum Verbi, quod erat apud Deum, & caro factum est. Apud nos idem omnino Verbum est, quod ore pronunciamus, etsi per varias medij aeris partes, & simul aures auditorum multiplicetur. Ad hanc formam Verbum Dei, cum sit idem in varijs ac diversis hostijs, consecratur, & consecratum percipitur. Matt. 4. 5. Psal. 118. 113.

Christus quoque, secundum quod habet animam, pascit animas hominum, unde & panis viuus est, & rationalis hostia, quia nimirum anima prędita ratione, per quam vitam Christus habet, sibi similem humanam animam pascit & alit. Et quidem reddens rationem Philo, quare cruenta & incruenta sacrificia olim fiebant, ait lib. de Victim. *Placuit, ut sacra in sanguine fiant pro nobis, qui constamus è sanguine, incruenta vero pro principali nostri parte anima ratione prædita factaque ad exemplar divinæ imaginis.* Quæ causa est, ut celebrans hoc, incruentum sacrificium & simul Sacramentum invitet nos ad Christi cultum & adorationem. *Venite adoremus Regem regum, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.* Benè itaque percipitur Eucharistia, si per modum animæ rationalis sumatur: sicut enim una & eadem anima in varijs partibus nostri corporis est, sic & Christus, qui & anima & vita uostra est, in diversis locis Ecclesiæ, quę & corpus Christi est, virtute consecrationis statuitur & invenitur.

Quæst. XXX.

An nimis bene tractet Christus suos Communicantes?

MAle cadere solet dominis, cum nimis benè servos tractant. Malè cessit Davidi, quod ita Achitophelem promoverit, malè Salomoni, quod Ieroboamum ita ditaverit: malè Assuero regi, quod Amanum nimis evexerit. Et quidem Deus ipse immunis non extitit ab hac iniuria & offensa, famuli ab ipso nimis evecti & erecti in ipsum conspiraverunt. Famulus Dei erat, & summis favoribus ornatus, qui dixit, *In cælum conscendam*, & a Deo defecit, defecit & Adamus, qui cum in honore esset, non intellexit, cumque David ita illum auctum cerneret, exclamavit Psalm. 8. *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus eius.* Seruus erat Israel, quem ita invit Deus in Ægypto & in deserto, in quo & cælesti pane eum aluit & recreavit, & quia nimis benè illum tractaverat, qualis in Deum evaserit, tamquā testis oculatus, & morti iam vicinus declarat in suo Cantico Moyses Deut. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus. Dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo.* Nulli favores recedere possunt, nec accedunt ad illum, quem Deus præstitit famulis ac servis; cum eos participes fecit sacrosanctæ communionis, in qua sola plus confert homini Deus, quam Angelo, Adamo, & Israeli simul contulit, exclamatque propterea Ecclesia, *O res mirabilis, manducat Dominum pauper*

seruus

seruus, & humilis! Timendum igitur est, ne Deo malè cedat. Cessit malè, cum benè Iudam tractavit.

Satisfacit Christus servis. Novit Christus querelum esse servorum genus. Semper, qui serviunt, conqueruntur de suis dominis, nec mirum est, quia non inveniunt satisfactionem, quam desiderant. Unus Dominus est, qui satisfacere servis potest, & hic solus est Christus, nec Christus satisfaceret; si solum conferret dona, quæ Angelo, Adamo, & Israeli largitus est. Necesse erat, ut seipsum communicaret, quia in solo Deo esse potest satisfactio. Seruus erat David. Ps. 115. 6. *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ.* Nec alibi quam in Deo habere potuit sui desiderij complementum. Ps. 72. 25 *Quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Solus hic Dominus est, qui dicere potest suis servis, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Nimis itaque benè tractat servos suos, ne vel minimam de se querelam habeant, quamvis se exponat periculo injuriæ & offensionis, illatæ ab ingratis servis, qui cælestibus hisce favoribus abutuntur. *Confitemini Domino dominorum;* Ps. 135. 4. Quis ista est? *Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia eius.* Ps. 135. 25. Vere se bonum Dominum esse in hoc Sacramento ostendit; *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus; escam dedit timentibus se:* Ps. 110. 4. & idcirco Apostolus sub hoc nomine eum prædicat: *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem.* 1. Cor. 11. 23. Hunc eundem acceperat moriturus jam Ambr. & post eius perceptionem meritò testatus est: *Bonum habemus Dominum.* Bonus Dominus, sine quo vivere non possumus. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Ioa. 6. 53. Novi in Hispania Magnatem, cui cum suç familiæ famulus valè diceret, rogavit servum quomodo sine se vivere posset, respondítque ille, malè se posse vivere sine suo hero, posse tamen vivere, sed non sine Deo. Et verè dixit magisque verò loquens cum Domino Aug. cap. 13. Soliloq. *Mundus clamat, Deficio, tu vero clamas, Reficio, & miseria mea prava magis sequitur deficientem, quam reficientem.*

Quæst. XXXI.

An fiat in sacra Communione adoptio filiorum Dei?

APud Iustinian. §. de adoptionibus lib. 1. tit. 11. *adoptio naturam imitatur:* & Papinian. l. 23. §. de Liber. vocat adoptionem imaginem naturæ. Cum ergo dicat Christus; *Sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me;* Ioan. 6. 57. satis clare ostendit, quod cum ipse natura sit filius Patris virtute processionis & missionis divinæ; ex vi sacrç Communionis similis sibi sit omnis fidelis per naturç suæ imaginem & imitationem, in qua ratio adoptionis constituta est. Hæc adoptio cum sit tanta, optioni nobis datur, ut si illam adipisci voluerimus, dignè ac sanctè communicemus. Habet hic locum, quod agens de sua Philosophia dixerat Seneca de Brevit. vitæ cap. 15. *Solemus dicere non fuisse in nostra potestate, quos sortiremur parentes: sorte nobis datos, nobis vero (Philosophis) ad nostrum arbitrium nasci licet. Nobilissimorum ingeniorum familiæ sunt, elige, in quam adsciscí velis: non in nomẽ tantum adoptaveris: sed in ipsa bona quæ*

quæ non erunt sordidè ac malignè custodienda, majora fient, quo illa pluribus diviseris. Hi tibi dabunt ad æternitatem iter, & te in illum locum, ex quo nemo eijciet, sublevabunt.

Verumenimvero cum in filios Dei adoptemur virtute sacri Baptismi, non videbatur Eucharistia necessaria, ut filij Dei nominemur & simus. Nulla melior familia, quam sancta Ecclesia est, in qua fideles adoptantur in nomen Christi facti Christiani per sacrum Baptisma, & deinde per Eucharistiam adoptantur in bona divina: *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Hæc certè bona sunt, quę dum pluribus dividuntur, majora & ampliora fiunt, dant ad æternitatem iter, & in cælum, ex quo nemo eijcit, sublevant, & extollunt. *Adoptio Eucharistica.* Zach. 9. 17.

Ex meritis adoptio fit, dixitque propterea Galba apud Tacit. lib. 1. c. 16. *Optimum quemque adoptio inveniet. Nam generari & nasci a Principibus fortuitum, & si velis eligere, consensu monstratur.* Hinc efficitur, ut cum quis velit in bona Christi adoptari virtute Sacramenti, si non optimus, saltem bonus & justus esse debeat; quandoquidem scriptum est, & simul præceptum, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Quæ fit in Baptismo adoptio, id non requirit, qui venit ad Baptismum non cum meritis, sed potius demeritis culpæ originalis admittitur & abluitur, cum in nomen Christi adoptatur, cum adsciscitur in bona, est alia ratio, & observatio juris divini, quod Apostolus promulgavit. Cadit hoc loco, quod est apud Calpurn. Flacc. *Adoptio sancta res est, quæ beneficia naturæ, & iuris imitatur.* 1. Cor. 11. 28.

Quæst. *XXXII.*

Cur non liceat vesci carne humana exemplo Eucharistiæ?

CErtum & ratum est apud omnes, extra necessitatem extremam non licere vesci carne humana: at in casu gravissimæ indigentiæ, cum de vita res est, sunt qui affirment posse fieri, alij negant. Et quidem Deus videtur casum hunc prævenisse, cum Gen. 9. sanxit, *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in escam, quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis.* Quod autem hoc loco usus carnis humanæ prohibeatur, contextus ipse declarat; *sanguinem enim animarum vestrarũ requirã de manu cunctarum bestiarũ & de manu hominis: de manu viri & fratris eius requirã animam hominis: quicumque effuderit sanguinem humanum super terrã, fundetur sanguis illius.* Ita hunc locũ intelligunt Lyran. & Burgens. Repugnat usui & esui carnis humanæ natura, & idcirco veluti quid horribile lib. 7. de bello Iudaico cap. 8. refert Iosephus, quod in obsidione Ierosolymitana mater carnes suæ prolis comederit. Reluctatur quoque ratio. Alimẽtum quippe debet esse ignobilius alito, si rectus servetur ordo, ut ex inferiori gradu ad superiorẽ evehatur; plantæ enim aluntur ex succo terræ animalia ex plantis: perfectiora & robustiora animalia ex speciebus animalium inferiorum & debiliorũ, homo vero tam ex plantis, quam ex animalibus. Quod si aliquando animalia hominem devorent, non debet in consequentiam trahi, cum pervertendo præscriptum a natura ordinem id efficiant. Quod si homo carne humana vescatur, similia animalia imitabitur, quę ordinem & rationem omnem naturalem violant & frangunt. Non tamen

tamen propterea desunt Theologi, qui tueantur in casu gravissimo, cum non est aliud remedium pro conservatione vitę, licere homini de cadavere humano comedere, & probant, quia licitum est causa morbi uti carne humana in medicamentis, ut usus receptus declarat in mumia, quia nihil est aliud quam caro corporis humani cum pretiosis unguentis sepulti, cur non etiam in extrema necessitate famis, cum sit tantus morbus, illicitum sit illa condita uti? secundo licitum est haurire sanguinem humanum ex vena adolescentis detractum causa conciliandi vigoris corpori senili, quod tamquam remedium singulare ad hunc finem præscribunt & applicant medici: cur etiam pro famis & sitis re medio non possit homo ad hoc medicamentum recurrere?

Eucharistia non adstruit, sed destruit escã carnis humana. Videri posset alicui sacram Eucharistiam abstulisse illum horrorem, qui erat in cibo carnis humanę. Horruerunt Hebræi, cum audierunt Christum dicentem Ioan. 6 *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus*, & prę horrore rogarunt: *Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum?* Quorum errori & simul horrori occurrit Christus, & ostendit, qua ratione posset de carne & sanguine suo pretioso hominem alere, & quidem præter rerum ordinem, qui servari solet in usu & esu ciborum, ut quod debilius est & ignobilius, serviat in alimentum superiorum. Nihil fortius Christo, nihil nobilius, & tamen se offert & confert in alimoniam

Ioan. 6. 58 mortalibus; *Sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

Censere posset quis, assonare epulo carnis Christi pretiosis divinitatis unguentis delibutę caro illa, quæ datur in remedium infirmitatum; nec dubium quin caro Christi sit talis, qualem illam describit Cyrill. lib. 3. in Ioan. ca. 34. *ut panis hic terrestris facit imbecillitatem carnis nostræ sustinens & conservans, ita & ipse* (nimirum in Eucharistia) *per Spiritum sanctum spiritum nostrum vivificat, & corpus ipsum à corruptione liberat.* Quod si sanguis iuvenilis propter virtutem & vigorem sumi solet à senibus, sanguis quoque Christi hunc ipsum habet effectum, cum a Presbyteris, qui & senes sunt,

Ps. 42. 4. capitur in altari, ac proinde statim in principio Missæ dicit; *Introibo ad altare Dei: ad eum qui lætificat iuventutem meam.*

Hæc omnia quæ videntur censuræ mortalium habere nonnihil similitudinis cum Eucharistia, in qua caro humana Christi editur, & sanguis bibitur, multum distant à sublimi eius mysterio cælesti planè & divino, ac proinde est supra omnem regulam naturæ & ordinem. Quæ natura horret, translata ad ordinem gratiæ alliciunt & placent. Horret natura paupertatem, afflictiones, morbos, dolores, & quod amplius est, ipsam mortem sed hæc in serie & statu gratiæ grata sunt servis Dei, qui de rebus similibus gloriantur. Hoc idem accidit in sacrosancta Eucharistia, quam in ordine naturę considerabant Israelitæ, & horrebant, horrentesque dicebant;

Ioa. 6. 53. *Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum?* Refugiebat animus, cum audiret in arcta Solymorum obsidione esse potuisse matrem, quæ propria prole vesceretur, sed non dolet audire, sed gaudet pia & devota anima scire, quod ipsa sancta parens, quæ Deum & hominem genuit,

1. Cor. 11. 28. Deum & hominem in Eucharistia comedit. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Sit homo in ordine gratiæ, ut, quod dico, capiat mysterium si quis indignè communicet, *reus erit corporis & sanguinis Domini*, quoniam non more Christiano, sed barbaro venit ad sacram Synaxin, vesci volens

Psa. 34. 21 carne humana socius factus ijs, qui dixerunt, *Euge, euge devor avimus eum.*

Hæc

Hæc vis, hæc est virtus venerabilis Sacramenti, ut sacrificia & cibaria carnis humanę è mundo ablegaverit, & amandaverit. Quò pertinet illud Sap. cap. 20. *O quam bonus & suavis est Domine Spiritus tuus!* reddit rationem; *illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, & sacrificia iniusta, & filiorum suorum necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum a medio Sacramento tuo, & auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti per manus parentum nostrorum.* Perditi sunt *a medio Sacramento*, quod est Eucharistia, unde & in eius solennitate exclamat merito cum Sapiente Ecclesia, *O quam suavis est Domine Spiritus tuus!* Bonus & suavis est, qui usum barbarum carnis humanę edendæ penitus abstulit.

Quæst. XXXIII.

An possit esse gula circa Eucharistiam?

GUla presse sumpta importat inordinationem in cibo, latè vero accepta se extendit etjam ad potum, in quibus quinque peccatur modis, quos declarat D. Greg. li. 30. Moral. c. 27. *Quinque modis nos gulæ vitium tentat: aliquando namque indigentiæ tempora prævenit: aliquando lautiores cibos quærit: aliquando, quæ sumenda sunt, accuratius præparari appetit: aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit: aliquando in ipso æstu immensi desiderij aliquis peccat.* Hæc omnia brevi versiculo complectitur S. Tho. 2. 2. qu. 148. a. 4. *Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose,* Quid Eucharistiæ cum gula?

Sunt qui præpropere sine ulla animi dispositione & præparatione accedunt ad Eucharistiam: sunt qui lautè communicent, & nihil aliud quęrant in sacra Communione, nisi gustum & voluptatem, & non utilitatem: sunt qui nimis frequenter sacram Synaxin accipiant: sunt qui ardenter edunt, immortificatis passionibus ac carnis concupiscentijs: Sunt qui studiose communicant inquirentes & discutientes ea sacra mysteria non studiosè indaganda, sed religiosè veneranda. *Gula & temperantia Eucharistica.*

Sunt etiam qui sedate se parant ad sacram Synaxin percipiendam, & pacatè illam percipiunt, oppositi planè his qui pręproperè communicāt. Sunt qui in Eucharistia non sensibilem voluptatem quærant, sed imitantur Davidem profitentem se venire ad templum, non ut suam curet, sed, *ut videam*, inquit, *voluptatem Domini*, alius ab his, qui lautè volunt in Com- *Psal. 26. 4* munione tractari. Erat & alia S. Mater Teresia, quæ multos per annos sine corporali gustu accepit Sacramentum Eucharistiæ, suæ delectationi divinam præferens voluptatem. Sunt qui modo debito, & in tempore communicant, *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno:* *Ps. 103. 27* igitur qui non opportunè, sed importunè nimis accipiunt Sacramentum, id habent ab eo, qui dat escam *in tempore opportuno.* Sunt qui accedunt ad Eucharistiam, carnem suam cum vitijs ac concupiscentijs crucifigentes, ut assimilentur Christo, non Christianis, in quibus appetitus irę, & concupiscentiæ viget, & ardet. Sunt tandem, qui non studiosè inquirūt in mysteria, sed religiosè illa colunt ac venerantur. Hæ sunt sobriæ animę, in quarum communicatione nullum habet gula locum.

Quæst. XXXIV.

An gulæ filias evertat sacra Communio?

DIvus Gregor. li. 31. Moral. quinque numerat filias gulæ. Cum gula consistat in usu immoderato cibi & potus, quando superflua quæritur delectatio, quę inde proveniunt mala, utpote nascentia ex gula, filiæ eius appellantur & reipsa sunt. Nascitur imprimis *hebetudo mentis* in intellectu tum ratione vaporum, quibus cerebrum opprimitur & obruitur, tum quia affectus & imaginatio tota est in patinis, neque de alijs mentem cogitare sinit. Nascitur in appetitu *inepta lætitia:* cum enim hebetata mens non queat aspirare ad sublimia, detinetur in mensis, nec aliam putat esse felicitatem. Nascuntur in ore duæ proles nimirum *scurrilitas & stultiloquium*: inepta enim lætitia excitat ad indecora & turpia verba proferenda: & anima vaporibus & voluptatibus intenta, non considerat quid dicat, sed primum, quod occurrit, effutit. Parit denique in corpore *immunditiam*, cum ex nimia saturitate vitia carnis proveniant, & fędę aliæ superfluorum excretiones. Quid Eucharistiæ cum cum filiabus gulæ?

Sacra filia Eucharistia. Longè aliæ sunt filiæ Eucharistiæ, ex qua imprimis non nascitur hebetudo mentis, sed claritas intellectus, quę mentis hebetudinem destruit, cū ex D. Chrys. hom. 24. in 1. ad Cor. Eucharistia sit *spes, salus, lux, & vita nostra.* Cum quis communicat, cibatur *pane vitæ & intellectus*, cujus effectus est mentem intelligentem & sapientem reddere. Nascitur ex Eucharistia lætitia & exultatio, quam describit S. Luc. c. 2. Act. *Frangentes circa domos panē cum exultatione, & in simplicitate cordis.* Hæc hilaritas simplex erat & pura, quę se non adjungit ineptæ alteri lętitię, sed illam evertit, intenta semper non mundanis neque terrenis, sed cęlestibus ac divinis epulis. Subjungit S. Lucas, *Collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Non erat scurrilitas in eorum ore, quorum lingua divinis laudationibus vacabat, & laudabili modo agendi & procedendi gratiam sibi omnium conciliabant. Semel tantum in sacra scriptura scurrilitatis mentio fit, ut condemnetur, condemnatur ab Apostol. in epist. ad Ephes. c. 5. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.* Eucharistia dicitur *gratiarum actio*; quæ sola expellit & evertit tres gulæ filias scurrilitatem, stultiloquium & immunditiam per proles oppositas, quæ ex illa oriuntur. Oritur ex Eucharistia moderata gravitas contra scurrilitatem, sapientia contra stultiloquium, puritas contra immunditiam. Nascitur ex Eucharistia modesta gravitas, quę linguam compescit, ne se diffundat in vanos & inanes jocos, oritur & sapientia, quæ stultiloquium evertit: unde sapienter Iustinian. Serm. de Eucharistia dicit, *Huius Sacramenti sumptione efficitur homo alius, non per naturam sed gratiam, mutatusque totus in melius compescit linguam, amat silentium.* Oritur ex Eucharistia puritas contra immunditiam, oratque propterea Sacerdos post acceptam Communionem; *Mundet & muniat nos quæsumus Domine munus oblatum.*

Quęst.

Quæst. XXXV.

An virtute percepta Eucharistia possit amissa virginitas reparari?

VIrginitas æque vitrea ac pretiosa est, quę semel violata ac fracta nequit reparari ac restaurari, ut scribit S. Hier. epist. 22. quæ est ad Eustochium; *Audenter loquar, cum omnia possit Deus, suscitare non potest virginem post ruinam; vales quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam.* Ejusdem plane mentis & sententiæ Basilius est lib. de vera Virginit. *Cæterum si hoc amittas patrimonium integerrimæ castitatis, quamvis illa omnia facias, quæ dixi cælumque ac terras, maria, & abissos, immensumque aerem pervagata fueris, nulla omninò ratione hoc recuperare jam poteris. Quo enim pacto, quod corruptum semel, incorruptum fuit? qua ratione, quæ cognovit virum, quasi non agnoverit, existimabitur?* Concludit, *Pœnitentia quidem peccatum relaxari certum est, verum quæ corrupta est, quasi inviolata perstiterit, redintegrari omnino non valens, dum vivit, lugebit.* Non erit igitur tanta virtus Eucharistiæ, ut possit reparare Virginitatem.

Quamvis res adeo desperata sit, ut Virginitas semel corrupta iterum restauretur, nihilominus ausus est dicere Zacharias. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans Virgines?* Quod accidit in vino, cur non etiam in Virginibus? Ex aceto, cum esset planè corruptum, vinum facere Christus novit, cur non etiam ex Virginibus violatis sacras Virgines condere nequeat? Aug. Serm. 2. de accedentibus ad gratiam; *Acetum bibit Christus, & vinum eructavit. Majus hoc miraculum in passione fuit, quam quando de aqua vinum fecit: tunc enim aquam convertit in vinum, nunc acetum vertit in sanguinem. A Iudæis enim inimicis amarum acetum bibit, & suis credentibus dulcem calicem sui sanguinis propinavit.* Adde quod non est minoris virtutis Eucharistia, quam Baptisma. *Reparatio amissæ virginitatis.* Zach. 9. 17.

Mirabilis potentia Dei, quæ elucet in sacro Baptismo, ut corruptam Gentium Ecclesiam reddat omninò incorruptam, reddat castam, reddat Virginem, cum dicat Apostolus: *Despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* Hæc Virginitas provenit ex sacro baptismate, ut scribit idem Apost. cap. 5. ad Ephes. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Si tam potẽs est lustralis aqua, quid ni consecratum vinum, quod Virgines generat? *Virginitas carnis*, ut ait Aug. lib. de vera innoc. cap. 79. *est corpus intactum, Virginitas animæ est fides incorrupta.* Eucharistia *mysterium fidei* incorruptæ est, in qua Virginitas sponsæ Christi, quæ est Ecclesia, consistit. Cum autem Ecclesia non solum ex Virginibus componatur, sed etiam ex conjugatis, propter hanc fidem *simile est regnum cælorum decem Virginibus.* Quapropter expendens Aug. Serm. de Christo contra Arrianos illud Apostoli. *Despondi enim vos uni viro Virginem castam*, inquit, *Virginitas nostra in mente, Virginitas corporis in paucis. Ecclesiæ Virginitas mentis in omnibus fidelibus esse debet. Hanc Virginitatem vult serpens corrumpere, de quo idem Apostolus dicit. Timeo autem, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus ve-* 2. Cor. 11. 2. Matt. 25. 1.

ſtri, & excidant a ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto. Dixerat Apoſtolus: *Deſpondi vos uni viro Virginem caſtam.* Aſſonat Auguſtino Cyrill. Alexand. libr. 12. *in Levit. Mirum fortaſſe videatur, quomodo ij, qui diverſis peccatis corruptè ad fidem Chriſti venerunt, omnes ſimul virgo caſta dicantur. Reſpondet, ſimplicitas fidei, quæ in Chriſto eſt, Virginitas ejus appellata eſt: & per hoc, quoniam ceſſantibus, vel philoſophorum ſchiſmatibus vel ſuperſtitionibus Iudaicis in fide ſimplici Chriſtus ſibi aſſumpſit Eccleſiam Virginem, de genere ſuo accipit uxorem. Hujus namque fidem non corrumpit philoſophi ſenſus, nec circumciſionis ambitio, ſed in ſimplicitate confeſſionis tamquam in virginali integritate permanſit, Sic enim dudum promiſerat per prophetam dicens, Deſponſabo te mihi in fide.* Hic vir divinus unus & ſimplex eſt ſponſus Virginitatis, auctor incorruptę fidei, & ſi illa interdum pereat, reparatur, ut apparet in Petro, elucet in Thoma. Quamvis homo fuerit ſeductus a ſerpente, ſi Chriſtum accedat, & confiteatur cum Petro, *Tu es Chriſtus filius Dei vivi,* & exclamet cum Thoma, *Dominus meus & Deus meus,* inveniet in Euchariſtia Chriſtum Deum ſuæ incorruptę fidei, & immaculatæ Virginitatis reſtauratorem.

Reſtaurator etjam eſt corporalis Virginitatis, per quandam æquivalentiam. Non eſt jactura irreparabilis homini, qui poteſt illam reſarcire, ſi non reipſa, æquo tamen pretio. Qui perdidit adamantem alterius, damnum fecit, ſed non irreſtaurabile, cum valorem reddere queat. Amiſit Virginitatem Magdalena, acceſſit ad Chriſtum, & æquivalet Virginibus, cum quibus ita convenit, ut prę feratur Marthæ, & quidem ab ipſo Chriſto, cum ait, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Quæ cauſa eſt propter quam ſancta mater Eccleſia in ejus ſolennitate utatur albis & candidis ornamentis, quibus utitur in celebritatibus Virginum, & earum reginæ Mariæ. Color itaque albus eſt plane Virginalis & ſimul Sacramentalis Euchariſtię, de qua lib. de vita Mos. ait Nyſſen. *Fameſcentes myſterium Virginis hoc pane facilè ſaturantur.* Hinc efficitur, ut Virgo Agnes, & ea, quæ Agneti æquivalet, accedens ad Euchariſtiam dicere queat, *Iam corpus ejus corpori meo ſociatum eſt, & ſanguis eius ornavit genas meas; cujus mater virgo eſt, cujus pater feminam neſcit. Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſerviunt, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur.* Poſſit & addere; *Amo Chriſtum, in cujus thalamum introibo, cujus mater virgo eſt, cuius pater feminam neſcit, cujus mihi organa modulatis vocibus cantant. Quam cum amavero caſta ſum, cum tetigero munda ſum, cum accepero, Virgo ſum.* Habuit itaque cauſam cur aſſereret Paſchas. libr. de corpore & ſanguine Domin. *Omnis Eccleſia Virgo nominatur, quia iſto repleta vino nullum præter Chriſtum amare novit, nullum eſurire alium, nullum que ſitire; quoniam ſummum ejus bonum Chriſtus eſt, & ſumma pulchritudo veſtis illa, contexta deſuper ex vellere Agni, quæ nuptialis appellatur. Sed & charitatis vino inebriata, iure omni anima, quæ Chriſti potatur ſanguine, Virgo dicitur.*

Quæſt.

Quæst. XXXVI.

Qui fieri potest, ut quis sit reus corporis & sanguinis Domini?

DIuus Thom. 22. quæst. 99. a 3. pro numero rerum sacrarum tria cõstituit sacrilegia, circa personas, loca & res omnes, quæ ad cultum Dei ornatæ sunt. Ad primã speciem pertinet injuria, quæ fit Sacerdoti, cum percutitur, & Religiosæ, cum quis cum ea fornicatur. Ad secũdam speciem referuntur omnia, quę fiunt cõtra sanctitatem loci sacri, effractio vel incendium loci, eversio altaris & alia similia. Ad tertiã speciem reducuntur peccata, quibus res aliæ sacrę violantur ac temerantur. Sunt res sacrę, quę faciunt sanctitatem, qualia sunt Sacramenta, & hæc primum locum tenent; sunt res aliæ, quæ rebus sacris deserviunt, ut vasa, vestes, ornamenta, & id genus cætera, quæ secundo haberi loco debent. Quia verò inter reliqua Sacramenta eminet Eucharistia: quod fit contra ea sacrilegiũ gravissimum est, ut admonet S. Th. siquidem illa non solum confert sanctitatem, sed habet in se totius sanctitatis fontem, qui est Christus. Hinc argumentum deduci potest sacrilegium commissum in Eucharistiam, non esse tam in rem sacram, quam in ipsam personam Christi, præsertim cum dicat Apostolus, *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* 1. Cor. 11. 27.

Sub speciebus panis & vini *latent res eximiæ*, corpus nimirum & sanguis Christi, ex vi & virtute consecrationis, ac proinde non tam Christo, quam pretiosæ carni, & sacro ejus cruori in celebratione, & communione injuria infertur, unde & Apostolus reum corporis & sanguinis Christi, non tamen ipsius Christi indignè sumentem exposuit ac declaravit. Hinc efficitur, ut licet divinitas & humanitas vita prædita sint in Euchaistia, non primariè, sed secundariè illis injuria fiat, & consequenter non esse ita enorme sacrilegium Christianorum indignè communicantium, quam Iudæorum, Christum in persona sua crucifigentium, & occidentium. Accedit, quod ut ait S. Th. in citat. locum Pauli; *Magis peccat, qui ex odio aut invidia vel ex quacumque malitia peccat, sicut peccaverunt illi, qui Christum crucifixerunt, quã qui peccat ex infirmitate, sicut interdum peccant illi, qui indignè sumunt hoc Sacramẽtum.* Verum est quod ait Ambr. in orat. funeb. Satyri; *Nullum referendæ gratiæ majus est officium. Quod si homini non referre simili homicidio indicatum est, quantum crimen est, non referre Deo?* Adde, quantum crimen erit pro bona gratia Eucharistiæ malam Deo referre?

Reatus indignè communicantis.

Quæst. XXXVII.

Quod jus habeat Ecclesia in bona Christi per Eucharistiæ perceptionem?

PRęfert Christus in Eucharistia typum & imaginem Religionis monasticæ, cum sit non solum intra sanctuaria sacrarum ędium, sed etiã intra sancta accidentium sacraria. Deprehenduntur in eo exemplaria obedientiæ, paupertatis & castitatis: obedientię quatenus obtemperat Sacerdoti consecranti: paupertatis, quatenus tam parvo contentus est: castitatis, quatenus virtute solius Spiritus sancti producitur, & idcirco nihil

Bona Christi accrescunt Ecclesiæ.

hil nisi puritatem spirat & Virginitatem. Præscribit formam & normam monasticè degendi, & religiosè vivendi in perpetuum, *Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Degit & vivit tamquã verus monachus & religiosus, cui tota Ecclesia instar monasterij est, & idcirco per Eucharistiam habet Ecclesia jus in bona Christi, quę post institutionẽ factam nocte cænæ illi competebant. Non sine causa tempore suæ consecrationis dixit, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, ut nimirum se mysticè velle mori declararet, sicut in hoc Sacramẽto moritur, religioso planè more, ut & monastico modo frueretur Ecclesia bonis, quę ad ipsum pertinerent. Et quidem fruitur bonis non solum passionis, sed etjam Resurrectionis & Ascensionis, dicitque propterea se celebrare Missam *in memoriam passionis, resurrectionis & ascensionis Domini nostri Iesu Christi.*

Matt. 28. 20.

Lex monastica est illa, ut habeat monasterium, si qua bona pertinẽt ad monachum. Præscribit Novella. 123. c. 38. *Si qua mulier aut vir Monasticam elegerit vitam, & intraverit Monasterium, filiis non extantibus, Monasterio quod ingreditur, competere iubemus.* Idem habetur Auth. Si qua mulier de sacrosan. Ecclesijs & c. Si qua mulier 19. q. 3. Idem probatur. c. *Quia ingredientibus.* 19. q. 3. ex registro Greg. li. 7. epist. 7. *Quia ingredientibus Monasterium convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia, sed ut res eorum ejusdem Monasterij sint, aperta legis definitione decretum est.* Et quidem Christus in ipsa Cõsecratione Calicis condidit testamentum in favorem Ecclesiæ, *Hic est Calix sanguinis mei novi & æterni testamenti*, &c. cumque æternum sit, licentia alterius condendi nequit esse, ut revocari possit, quemadmodum vetus testamentum revocatum est. Cum illud condidit Deus, nec paupertatem nec obedientiam profitebatur. Summè dives & opulentus erat supremus Imperator, sed *ipse egenus factus est, ut vos divites essetis.*

2. Cor. 2. 9

Quæst. XXXVIII.

Cur Christus in Eucharistia præsens est, & non adest in cæteris Sacramentis?

QUamvis Christus reali sua præsentia cohonestaverit Baptismum, cum in Jordane suum Baptistam purificavit, non tamen deinceps esse præsens voluit, quoties sacrum baptisma impenderetur, adest quidem moraliter & mysticè non realiter, *Ipse est, qui baptizat.* Assistit quoque in Sacramento Pænitentiæ, sed non assistentia reali, sed morali, ut absolvat confitentem. Christus est, qui ungit ad luctam & certamen in Confirmatione virum Christianum, absens tamen realiter est: & siquis ungatur in Sacerdotium, vel in mortem per extremam unctionem, illum apud se reipsa non habet. Quod si matrimonium inter personas habiles celebretur, non interest nuptijs, sicut interfuit in Cana Galileæ, ubi aquam in vinum convertit. Solum in Eucharistia nõ mysticè & moraliter sicut in aliis esse voluit, sed realiter etiam summo hoc honore afficiens & simul cæteris Sacramentis præficiens Eucharistiam. Unde hęc tanta differentia?

Sacramẽtum est & sacrificiũ.

Hoc autem indè provenit, quoniam in alijs Sacramentis nõ celebratur sacrificiũ, quod Christus de seipso fecit, sicut ad viuum exprimitur & repræsentatur in Eucharistia, consecrata *in remissionem peccatorum*, pro nostra utilitate. Cum vero sacrificium pro peccatis fiat, servãda erat lex c. 5. Levit.

vit promulgata, ut non solum cedat Deo, sed etiam homini. Scriptũ enim est de simili victima data & oblata a reo: *Tradet eam Sacerdoti, qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare, in monumentum eius, qui obtulerit rogans pro illo & expians, reliquam vero partem ipse habebit in munere.* Habet in munere Sacerdos ex sacrificio Christi, quod reliquum est, nimirum Sacramentum, quod accipit atque distribuit. Sacramentum non esset reliquum de sacrificio Christi, nisi & ipse Christus, qui præsens est in sacrificio, esset quoque realiter in Sacramento præsens & assistens. Hinc facilè perspici potest, quantum sit beneficium Eucharisticum, & quantus hic favor cæteros alios favores excedat, qui per reliqua Sacramenta conferuntur. Cæteris Sacramentis quasi vicarijs utitur Christus, ut suam administret gratiam, sed ipse per se in Eucharistia illam pręstat, & dispensat. Ipse est donũ & donator, ipse est beneficium, & benefactor, ut & dicere possit is, qui cõmunicat; *Deus cordis mei & pars mea Deus in aternum. Quid mihi est in cælo, &* Ps. 72. 25 *à te quid volui super terram?* Satis doctus in hac materia erat Angelicus Doctor, & idcirco laudatus, & rogatus quid vellet, respondit Deo: *Non aliud nisi teipsum.* Hoc est summum, quod cum unus haberet Thomas in manibus, exclamavit. *Dominus meus, & Deus meus*; alter vero Thomas cum dare- Ioa. 20. 28 tur ei optio, ut peteret quicquid vellet, hoc unum sibi delegit.

Quæst. XXXIX.
Cur Baptismus prait in Ecclesia Eucharistiæ communionem?

SOlennis mos erat olim apud antiquos Romanos, ut nova sponsa, antequam in domũ sponsi introduceretur, attingeret ignem & aquã, unde apud Plut. inter qq. Centuriatas illa est prima: *Quare nuptam attingere ignem & aquam iubebant Romani?* & reddit ille rationem petitã ex natura ignis & aquæ, quia ignis purgat, & aqua expiat, & per hæc elemẽta monetur spõsa, qualis esse debeat. *Debet*, inquit, *mũda & sancta, quæ nupta est, permanere*

Celebrantur nuptiæ in Eucharistia, ad quas invitati sunt in Evangelio, qui se excusarunt, & recusarunt venire, & assistere Christo & Ecclesiæ sacrum inter se matrimonium celebrantibus, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ecclesia, priusquam ad nuptias intret, jubetur baptizari, non solum in aqua, sed etiam *in Spiritu sancto & igne*, moneturque tam per aquam quam per ignem officij sui, debet autem munda & sancta, quę nupta est, permanere, ut digna fiat nuptijs, quas cũ ea Christus agit & celebrat in venerabili Sacramento. Maritũ igitur monet Ambr. li. 10. in Luc. *Ordinem noverimus mysticum, quia non fuit ante altaris Sacramentum, quam Baptismus*, Baptismus præit augustissimum Sacramentum, & id quod est prius, posteriori cedit. Cedit in honorem & gloriam sacræ Eucharistiæ quod cũ tanta celebritate inductus & conditus fuerit Baptismus, inductus per Ioannem, conditus per Christum in Jordane, assistente ejus institutioni tota sanctissima Trinitate. Non accidit hic, quod accidit pictori, cujus meminit Valer. Maxi. li. 8. ca. 11. *Natura*, inquit, *quemadmodum sæpenumero amulã virium suarum artem esse patitur; ita aliquando irrito fessam labore dimittit: quod summi artificis Euphranoris manus senserunt. Nam cum Athenis duodecim Deos pingeret; Neptuni imaginem, quam poterat excellentissimæ majestatis coloribus cõplexus est, perinde ac Iovis aliquanto augustiorem repræsentaturus. Sed omni*

Ecclesia & anima nuptiæ in Eucharistia.

Eph. 5. 31.

impetu cogitationis in superiore opere assumpto posteriores eius conatus assurgere, quo tendebant, non potuerunt. Potuerunt in Christo, qui post tam sublime sacri baptismi opus ad condendam augustissimam Eucharistiam ascenderunt, & assurrexerunt. Assurrexit Christus ex mystica pedum lotione, in qua sacrũ baptisma figurabatur, ut altam & sublimem Eucharistiam conderet, & institueret.

Quæst. XL.

Cur Sacramentum mirabile?

Comes admirationis ignorãtia est, unde Philos. li. 1. Metaph. c. 2. *Qui admiratur*, inquit, *putat se ignorare.* Cum autem admirationis causa sit ignorationis abundantia & experientię deficientia, nõ videtur posse esse mirabile Sacramentum, cuius certa experientia est, & certior omni experimento fides tollit omnem ignorantiam & dubitationem. *Quæ unde manaverint, aut qua ratione constiterint dignoscere arduum est, meritò miracula vocantur*, inquit Val. Max. li. 1. c. 8. Unde autẽ manaverit Eucharistia, scimus: qua ratioue constiterit acconstet, novimus, quomodo igitur erit in Eucharistia miraculum? Non videtur posse hoc habere locũ apud homines, quorum naturam describit Seneca li. 7. qu. natural. ca. 1. *Ita compositi sumus, ut nos quotidiana, etiamsi admiratione digna sunt, transeant. Hic itaque cætus astrorũ quibus immensi corporis pulchritudo distinguitur, populũ non convocat. At cum aliquid ex more mutatum est, omnium vultus in cælo est. Sol spectatorem, nisi cum deficit, non habet. Nemo observat lunam, nisi laborantem. Tunc vrbes conclamant: tunc pro se quisque superstitione vana trepidat.*

Ps. 102. 14 *Novit Deus figmentum nostrum*, & hinc petenda ratio est, quare Sacramentũ admirabile sit. Admiratur homo solem cum deficit, & in sacra Eucharistia sol patiens repræsentatur: miratur laborantem lunam, & luna humanitatis Christi in laboribus sacræ passionis exprimitur, cum præceperit ipse, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Quod si, cum accidit quid simile in cęlo, omnium oculi in cęlo sunt, quid ni nos omnes sui inspectores sol deficiens habeat, habeat & laborans luna. Tunc urbes conclament, tunc pro se quisque non superstitione vana, sed religione vera fausta omnia ac fortunata sibi promittat.

Ratio mirabilis Sacramenti.

Multa sunt, quæ dicuntur de admiratione, & conveniunt huic admirabili Sacramento, relata comprobabunt assumptum. Arist. li. 1. Metaph. 2. *Propter admirationem, nunc & olim cæperunt homines philosophari: a principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant; deinde paulatim vlterius procedentes, etjam de majoribus dubitando, ut de passionibus lunæ & de his, quæ circa solem & stellas fiunt, & de generatione universi.* Quod accidit in humana philosophia, accidit in divina Eucharistiæ disciplina, quę ortum habuit ab admiratione, quæ fuit apud filios Israelis, cum Deus manna deplueret, unde ad Eucharistiam gradus fit, in qua admiratio talem effectum habet, ut & dicere cum eodem Arist. li. 1. Rhetor. c. 11. possimus; *Discere, & admirari jucundum est plerumque. Nam in admiratione discendi cupiditas est. Quare admirabile excitat cupiditatem.*

Plutarc. de Audit. *Contẽptus*, inquit, *admiratio adversa est, quæ cadit in æquiora & mansuetiora ingenia.* Scribit ad Ianuar. epist. 118. Aug. *Contemptum solum non vult iste cibus, sicut neque manna fastidium.* Ea propter coniuncta est, & esse debet cum Eucharia admiratio, ut omnem expellat contemptum a cordibus, animisque fidelium rite celebrantium, ac recte cõmunicantium

Apud

Apud Valer. Max. li. 3. c. 2. Romani a Gallorum exercitu pulsi, cum se in Capitolium & arcem conferrēt, inque his collibus omnes stare nō possent, necessarium consilium in plana urbis parte seniorum relinquēdorum ceperunt, quo facilius iuventus reliquias imperij tueretur. Defuncti igitur honoribus apertis janius, in curilibus sellis, cum insignibus magistratuum, quos gesserant, sacerdotiorumque, quę erant adepti consederunt: ut & ipsi in occasu suo splendorem & ornamenta vitæ præteritæ retinerent, & plebem ad fortius sustinendos casus suo vigore provocarent. Venerabilis eorum aspectus hostibus fuit, & substitit Brennus Dux, diuque cōmotos Gallos cunctatio attractandi eos tenuit. Benè excogitatum spectaculum, sed evanuit, & simul Romanum Imperium. Cū Christus moriturus iam esset, aliud spectaculum exhibuit plenum gloria, & majestate, exhibuit se in venerabili Sacramento cū omnibus insignibus suæ humanitatis & divinitatis, ut excitaret suos ad patientiam & tolerantiam. Quod quidem spectaculū adeo admirabile est, ut vel ipsos teneat, nec audeant, nec possint illud lædere vel offendere. Nec periculum est, quod cessabit unquam, cum dixerit ipse, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matt. 28. 20.

Christus in se mirabilis est, *Vocabitur nomen eius, admirabilis,* Sacramentū eius mirabile est, & qui hoc non capiunt, non mirātur Christum artificem tanti mysterij, nam ut ait Sidon. Apoll. li. 5. epist. 10. *Fixum & radicatum est pectoribus humanis, ut qui non intelligunt artes, non mirentur artifices.* Qui sapiens est, miratur Eucharistiam, & non sine magno emolumento. Habet in Eucharistia locum, nō philosophia; quod ait Plato li. 6. de Republ. *An enim putas fieri posse, ut illud non imitetur aliquis, cui cum amore admirabūdus adhæret? Quare cum Philosophus divino atque decoro frequenter adhæreat, divinus ipse; atque decorus, quoad homini possibile est, efficitur.*

Quæst. XLI.
An sacra Eucharistia sit remedium adversus maleficium?

MAgna est audacia dęmonis, sed tunc illa major est, cum intervenit magia, cujus reus homo pactum cū dæmone agit, & habet. Ex hac pactione oriuntur maleficia, quibus miseri homines affliguntur & vexantur. Contra hujusmodi maleficia multa sunt in Ecclesia remedia, & ut omittam nunc exorcismos & conjurationes, aquam benedictam, & reliquias Sanctorum, tria sunt Sacramēta, quæ maxime diabolicis maleficijs medentur. Susceptio imprimis Baptismi, siquis Christianus non sit, quēadmodum ex varijs constat historijs, & simul ratione; Baptismo enim exuitur vetus homo inductus a diabolo, & induitur Christus, cujus efficimur mēbra, quæ lędere aut offendere diabolus non præsumit. Prodest etjam confessio sacramentalis, quę dum peccata tollit, a dæmone tollit vires, quibus usus nocet mortalibus. Habes hujus rei certa exempla ac testimonia apud Petr. Clun. li. 1. de mirac. c. 6. & li. 1. vitæ S. Bern. c. 8. Tertium & validum remedium est susceptio sacræ Eucharistiæ. Confirmatur hoc ipsum in vita S. Bern. li. 1. c. 10. & D. Aug. li. 22. de Civit. Dei c. 8. memorat domū quandam, oblato in ea sacrificio altaris, a dæmonis infestatione planè fuisse liberatam. Venit Christus in mundum, ut *dissoluat opera diaboli,* & adhuc manet in mundo, ut eadem enodet & extirpet. 1. Ioa. 38.

Per-

Euchariftia tollit maleficiũ.

Perfarum lingua,ut ait Apule. in Apolog. Magus idem eft atque Sacerdos,& quidem magus eft facerdos diaboli,cui animam fuam obtulit,& immolavit: providit igitur Deus in Ecclefia de Sacerdotibus,qui victimas & hoftias offerunt Deo,& earum virtute dæmonis & magi facerdotis fui maleficia tollant ac deftruant. Evertũt fuas præftigias per Euchariftiam, quæ arti magiç penitus adverfatur,nam ut ait Lactant. de Orig. erroris cap. 15. *Magorum ars omnis ac potentia fpirituum perditorum afpirationibus conftat, a quibus invocati, vifus hominum præftigiis obcæcantibus fallunt, ut non videant ea, quæ funt,& videre fe putent ea,quæ non funt.* Oportebat,ut fimiles præftigiæ tollerentur per Euchariftiam,in qua oculorum lumina non obfcæcantur fed illuminantur, ut judicent de accidentibus fibi notis, & de ignoto fibi Deo fuam non ferant cenfuram. Fremit dæmon, cum videt tale effe Sacramentum,ut homines in eo fine ulla fraude & fallacia illuminati fidei Chriftianæ fplendore,*non videant ea,quæ funt,& videre fe putent ea, quæ non funt.* Sic dæmon fuo perimitur gladio. Qui erat ipfa juftitia, voluit fub fpecie peccati auctorem ejus deftruere,idem ipfe,cum ipfa veritas fit, voluit uti detectu fenfuum in Euchariftia,ut erroris & mendacij patrem confunderet & deftrueret.

Huc pertinet,quod referunt Comes Mirandulæ lib. de ftrigib. & Boffius de notis Ecclefiæ Tom. 2. ca. 2. Fuit in Alpibus Rhetijs Sacerdos quidam probus ante annos duodecim,cui cum foret opus ad ægrotum quendam gravi oppreffum morbo Euchariftiam deferre, cum longius ille abeffet,videretque fe non ita,ut oportebat, celeriter ad eum pedibus poffe pervenire,afcendit equum,colloque fanctiffimum Chrifti corpus pyxide inclufum fatis honorifice alligavit,iter fuum quanto ocyus accelerans: cũ nonnihil proceffiffet obvium habuit quendam,quem ut equo defcendens fecum pergeret ad fpectaculum quoddam mirabiliffimum invitavit. Imprudens homo,& cupiditate rei tam ftupendç ductus paruit: vix equo fe demiferat, cum fenfit fe per aera una cum comite deferri,& brevi tempore in altiffimo mõtis cacumine ftatui,ubi ampliffima & amæniffima planities erat,arboribus undique excelfiffimis obfepta, rupibufque horrendis circumcincta. In medio choros innumeros, ac varios ludos cujuflibet generis,menfas lautis ac diverfis ferculis inftructas erat videre. Audiebantur etjam concentus quilibet omni fuavitate affluentes. Denique aderant quæcumque animos hominum iucundiffimis delinimentis tenere poffent. Obftupefactus improvifa re,fimplex bonufque Sacerdos,neque eloqui præ admiratione audens hærebat attonitus. Tum focius,qui illum adduxerat,petijt ab eo,vellet ne Reginam,quæ ibi aderat, fupplex adorare, & munus offerre. Annuit putans effe Matrem Chrifti. Reputans apud fe, quid illi daret,exiftimavit nihil ei fore gratius,quam filij corpus. Acceffit & ad pedes accidens in modum fupplicis,arculam,in qua erat auguftiffimum Sacramentum è collo detractam,in gremio mulieris illius pofuit. Mira res. Omnia continuò evanuere, Reverfus tandem ad fedes fuas Sacerdos,rem totam detulit ad Magiftratum. Contigit hoc imperante Maximiliano primo.

Quæst. XLII.

An fide cæca debeat quis ferri in Eucharistiam?

PAter nostræ fidei extitit Abrahamus, & ut scribit Apostolus, *nesciens quo iret*, ferebatur non secus ac cæci ducuntur atque trahuntur. Sic trahi postulat Ecclesia, quæ orat: *Trahe me post te*, & optat, ut unusquisque suorum fidelium feratur & ducatur in venerabile Sacramentum, monetque propterea; *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.* Et quidem Isaacus, qui in benedictione filij sui dixit, & prędixit, *Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini*, mysterium Eucharistię vaticinatus est, & simul cum cæcus esset, expressit in se cæca fide opus esse, ut coleretur ac celebraretur. Sed quomodo potest esse cæca fides, ubi clarum testimonium Dei est, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Nec video, quomodo cum cæca fide stare queat oratio & postulatio Ecclesiæ; *Cælesti lumine, quæsumus Domine, semper, & ubique nos præveni, ut mysterium, cujus nos participes esse voluisti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus affectu.* Qui cæcus est, nō petit lumen, ut videat, cum careat oculis, non caret oculis Ecclesia, cum lumen poscat, ut puro intuitu tanta cernat ac penetret mysteria. Cęcus non erat S. Laurent. Iustinian. cum cap. 9. de Monastica perfect. ita precabatur; *Aperi igitur, ô melliflue Amor, aperi inquam, ô divina bonitas, interiores fidelium oculos, ut formatæ fidei irradiati lumine mereantur videre te.* Non igitur cæca fide duci ac ferri cupiebat, qui oculis fidei interioris res eximias Eucharistiæ, quæ latent sub accidentibus, introspicere desiderabat & postulabat. Accedit, quod Apostolus indignè communicantem arguit & damnat, ut non benè discernens visu, *non dijudicans corpus Domini* sacram perceperit Communionem.

Heb. 11. 8. | Cant. 1. 3. | Gen. 27. 28. | Ps. 118. 104. | 1. Cor. 11. 30.

Fides non potest non esse cęca, cum sit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: non, inquam, apparentium sensui & rationi humanę, quibus se accommodans fides versatur circa ea, quę latent, & non comparent. Hæc cæcitas laudabilis est, quam more suo cæca participat obedientia: Audi S. Basil. Constitut. Monast. ca. 23. *Quemadmodum pastori suo oves obtemperant, & viam quamcumque ille vult, ingrediuntur; sic qui ex Deo cultores pietatis sunt, moderatoribus suis exequi debent, nihil omnino eorum jussa curiosius perscrutantes, quando libera sunt à peccato.* Audi Cassian. de Instit. renuntiant. lib. 4. c. 41. *Quartum hoc præ omnibus excole, ut stultum te secundum Apostoli sententiam facias in hoc mundo, ut sis sapiens nihil scilicet discernens, nihil dijudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata, sed cum omni simplicitate & fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodò sanctum, illud utile, illud sapiens esse iudicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel superioris examen indixerit.* Hæc obediētia cæca prima ac primaria esse debet in rebus fidei, cujus obsequēs seruus extitit Paulus vocatus a Deo, ut scribit c. 1. ad Rom. *ad obediendum fidei.*

Fides cæca. | Heb. 11.

Fides relata ad res, circa quas versatur, cæca est, relata ad Deum, quem respicit, & à quo suum accipit lumen, non minus oculata, quam perspicax est. Fides collimat in Deum dicentem & simul illuminantem, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Collimat fides Eucharistiæ in

Ver-

Verbum, de quo Ioannes, c. 1. *In principio erat Verbum*, & de quo paulo post: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Unde & inter cætera elogia sacræ Eucharistiæ est unum, quod sit lux & lumẽ animæ, ut ait Chrys. hom. 27. in 1. ad Cor. *Ipsa*, inquit, *mensa animæ nostræ vis est, nervi mentis, fiduciæ vinculum, spes, salus, lux & vita nostra.* Lux est inextinguibilis, quæ semper lucebit & fulgebit usque ad finem mundi, cum dixerit Christus *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad finem sæculi.* Lumen Christi perpetuum est, non sic lucerna legis. Conjunxit utrumque David Ps. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Adjungo Commentarium Cyrilli Alexand. lib. 13. in Levit. *Lucerna erat apud Iudæos sermo legis, & sermo propheticus intra angustos conclusa parietes, quæ non poterat in orbem terræ lumen effundere. Vbi vero exortus est sol justitiæ per universum mundum, scientiæ Dei lumen effusum est. Sermo ergo legis, & sermo propheticus erat lucerna ardens, sed ardebat intra ædem, nec ultra poterat emittere splendorem suum. Quod autem sermo legis & prophetarum lucerna dicatur; Dominus ipse nos docuit, dicens de Ioanne Baptista; ille erat lucerna ardens & lucens, & vos voluistis ad horam exultare in lumine eius.* Concludit, *Donec ergo populus ille habebat oleũ, quod conferret ad lumen; lucerna non est extincta: ubi vero defecit in eis oleum inferendum, purum oleum bonorum operum, nec inventa est apud eos (purum namque oleum quærebatur ad lumen) necessario extincta lucerna est.* Perpetua lux solis, non lucernæ.

Matt. 28. 20.

Quæst. XLIII.

Fuerit-ne Christus affabilis, cum ageret de Eucharistia Communione?

AFfabilitas est virtus, quæ præstat, ut nostra conversatio cum proximis in rebus serijs sit grata & accepta, servata conditione nostra, & personarum, cum quibus agimus, negotiorum & cęteris circũstantijs, ita, ut neque nimis blandè, neque nimis asperè in congressibus nos geramus. Audio Christum cum turbis Iudæorum agentem de sacro Eucharistiæ mysterio, turbis enim dixit, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus*; quis non crederet virtuti affabilitatis derogasse, cum ita se summiserit, & tantum Sacramentum depresserit, ut se & sua, & sublimia quidem cum plebe communicaverit? Cum vero tantum Sacramentum condidit, mirum in modum affabilis in cæna fuit, sed cum pauperculis piscatoribus, quod alienum videri posset a tantæ personæ majestate, & tanti mysterij dignitate.

Ioan. 6. 56

Affabilitas Christi

Christus æquè amat, & æstimat animas, & quamvis tantus Deus sit, non dedignatur cum illis affabiliter agere & conversari, attemperans se earum statui ac conditioni, Ubi affabilitas est, necesse est, ut inveniatur debita ac proportionata conversatio cum proximo, qualis fuit in Christo, cum egit de sacra Eucharistia. Egit cum turbis & discipulis de carne & sanguine, ex quibus homines componuntur, & quidẽ cum omnibus, neque nimis blandè, nec nimis asperè. Magnum profecto argumentum affabilitatis, quod cum ita aspere loquerentur Hebræi, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Jta placide se Christus gesserit. Sed ne nimis blandus esset, suaviter eos redarguit, & cum a suis auditoribus desereretur, pro sua affabilitate dixit

Ioa. 6. 53.

dixit Apostolis. *Numquid & vos vultis abire?* Petrus vero tanta Christi comitate captus, ac victus respondit, *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.*

Litigium & jurgium adversantur virtuti affabilitatis, ut docet S. Tho. 22. q. 116. unde cum Christus ita comis esset & affabilis, litigabant Iudæi ut se opponerent per litigium & jurgium, tanta cum comitate loquenti & agenti, utpote genus hominum ubique difficillium & contradictorium, ad omnem societatem & amicitiam inhabile & inidoneum. Nec quidem in ipsa nocte cænę, cum se ita Christus placidum ostendit, jurgium & litigiũ defuit, tunc enim rixantibus Apostolis, *facta est contentio inter eos quis eorum videretur esse major.* Luc 22. 24 Adversatur etiam affabilitati nimia laudatio & commendatio, a qua satis alienus Christus erat, cum pro sua modestia semper egerit de Eucharistia, tam in promulgatione, qnam in ejus institutione. Nec periculum est, ut in hac parte quis peccet, laudando ac celebrando tantum ac tam magnificum mysterium, cum dicat Ecclesia; *Lauda Sion Salvatorem, lauda ducem & pastorem in hymnis & canticis. Quantum potes, tantum aude, quia major omni laude, nec laudare sufficis.*

Major omni laude est, qui comiter & amanter egit in hoc Sacramento. *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Differunt inter se Ioa. 13. 1. amicitia & affabilitas, non possunt in sacra Communione non associari, cum amicitia proprie dicta nihil sit aliud, quam mutua benevolentia, in peculiari quadam communione fundata, quæ communio & consociatio causa est amandi alterum sicut seipsum & comiter cum illo tractandi. Sic inter milites est amicitia ratione societatis & communionis militiæ: inter eruditos ratione communionis in eruditione: inter Religiosos ratione societatis vitæ religiosæ: inter Deum & hominem ratione communionis bonorum supernaturalium, sed maximè sacrę Eucharistiæ, in qua nobiscum non minus affabiliter quam amicè Christus se gerit.

Voluit sic affabilis esse, ut per blanditias nos ad se traheret, nam ut ait Ambr. in 1. ad Timoth. c. 5. *Blanditiis solent obtineri, quæ auctoritate non possunt.* Hoc ipsum in ipsis animalibus liquet, vel in ipsis leonibus & elephantis, cum non auctoritate, sed blanditijs potius domentur, ac mansuefiant, inter quæ cum sit primum ac principuum animal homo; blanditijs ab eo obtinetur, quod non impetratur auctoritate.

Quæst. XLIV.

Quænam sit inter jejunium & escam Eucharistiæ Sympathia?

QUamvis adversari sibi videantur cibus & jejunium; talis est Eucharistica alimonia, ut in multis cum jejunio facile conveniat. Cyprian. Sermon. de jejunio; *Iejuniis, inquit, petulantia marcet, concupiscentia languet, fugitivæ abeunt voluptates, extinguitur ardentis Æthnæ incendium, & flammiuomi fornax Vulcani extincta intrinsecus montes contermi- nos non adurit.* Hic idem effectus mirabilis Eucharistiæ est, idcirco David hortatur, ut tam Sion, quam Ierusalem laudent ac celebrent Deum, *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, &c. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te*: conjungitque cum sacro frumento hiemem. *Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus, Qui dat nivem sicut lanam nebu-*

Consonantia Eucharistiæ cum jejunio.

Ps. 147. 1.

nebulam sicut cinerem spargit. Mittit cristallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris ejus qui sustinebit? Sacra quippe Eucharistia affert secum hiemem, qua petulantia carnis marcescit, friget concupiscentia, & ardores voluptatum carnalium vim non habent. Ea propter sacerdotes in actione gratiarum, post sacrum jam absolutum orant, *Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium; concede, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum;* & iterum, *Da nobis quæsumus Domine vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui B. Laurentio tribuisti sua incendia superare.* Et certè, cum quis videt intra vitra cristallina sacras hostias impositas & expositas, habet cur dicat; *Mittit cristallam suum sicut buccelas, ante faciem frigoris quis sustinebit?*

Quid Basilius Orat. de Iejunio? *An ignoras, quod perinde atque in acie hinc atque hinc instructa ad conflictum, qui alteri parti fert suppetitias, facit, ut altera vincatur? ita, qui carni se adjungit, expugnat spiritum, & qui stat a spiritu, carnē in servitutem redigit: perinde si cupis mentem reddere validam, fac, ut carnem domes jejunio.* An ignoras quod etiam Eucharistia instituta sit in spiritus subsidium? ait propterea Christus, cum loquitur de Sacramento, *Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt:* & ut ait Gregor. Nyssen. hom. 8. in Ecclesiast. *Qui amat hanc carnem, non est amicus suæ carnis.* Totus pro Spiritu stat, qui dignè communicat, & virtute sacrę Eucharistię victor contra carnem evadit. Quisquis contra fas sanctam accipit Synaxin, carnaliter illam percipit, & cum sit suæ carnis amicus, quantum in se est, vellet, ut Christus non tam animę, quam corpori suppetias afferret, quod summum est sacrilegium.

D. Chrysost. hom. 1. in Genes. *Iejunium,* inquit, *leues pennas animæ producit, ut in sublime feratur, & summa contemplari queat, & omnibus, quæ in hoc mundo habentur suavia, ipsa sit superior: & sicut leviores naves maria facilius transeunt: contra multis oneribus gravatæ submerguntur; ita jejunium leviorem reddens mentem, efficit, ut facilius hujus vitæ pelagus transmittat, & in cælum, atque ea quæ in cælo sunt, respiciat, & nihil faciat præsentia, sed ut umbras & somnia, & siquid minus, diffugere censeat.* Ante consecrationem excitamur ad volandum, cum dicitur. *Sursum corda,* respondemus, *Habemus ad Dominum,* ut ostendamus, quales habeat anima pennas, ut mundanis rebus superior ad Deum ipsum perveniat. Quod si jejunium navem celerem, & securam reddit, reddit & Eucharistia, cum scriptum de femina forti sit, Prou. 31. 14. *Facta est quasi navis institoris de longè portans panem suum.*

Magna dignitas jejunij, cum totum Eucharisticum sit, & ejus virrtutes sint ita Sacramentales. Magnam habet cum cibo Eucharistiæ concordiam, siquidem hoc solo cibo & potu illud nec frangitur nec violatur, ut apparet in ijs, qui Sacrum post sacrum celebrant in solennitate Dominicæ nativitatis, & tamen jejuni esse censentur. Pascitur de pane cælesti jejunium. Accedit S. Cyprian. Sermon. cit. *Iejunium scripturarum deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, calesti pane nutritur.*

Quæst.

Quæst. XLV.

Cur post Quadragesimam Communio præscribitur?

MAximum Ecclesię jejunium Quadragesimale est, quod indicitur Christianis omnibus, tempore verno ante Pascha Sanctæ resurrectionis. Hujus sanctæ consuetudinis causę assignari quatuor solent. Prima, ut tunc temporis fideles magis sint apti & idonei orationi & considerationi, quam exigunt sacra mysteria nostræ redemptionis. Secũda, quoniam tempore verno caro cum cęteris rebus majores vires concipit contra spiritum, & oportuit, ut jejunio tali reprimeretur. Tertia est, quoniam sanguis totus vividus crescit & augetur, & ne noceat etiam valetudini corporali, salubriter impositum est jejunium, & simul injectum frænum, ne sanguis terminos debitos transiliat. Quarta & ultima causa est, quia tunc fideles debent se parare ad Confessionem & Eucharistiam, debent & suas animas jejunio purificare; unde & in collecta dicitur; *Deus, qui Ecclesiam tuam annua quadragesimali observatione purificas.*

Quo tempore pręscriptum est hoc jejunium, institutum est Sacramentum Eucharistiæ, quæ imprimis facit nos memores mysteriorum nostræ redemptionis, dixit enim Redemptor; *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Secunda illa causa, quæ datur pro jejunio, ut carnem reprimat; competit etiam Eucharistiæ, de qua Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 17. inquit; *Sedat in nobis sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.* Tertia, quæ desumitur ratio pro quadragesimali jejunio, quod fit etiam pro curandis corporibus salubriter institutum, congruit quoque Eucharistię, de qua idem Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 34. testatur, quod *corpus ipsum a corruptione liberat.* Quod si jejunium animam parat & purgat pro sumenda sacra Communione; refert jejunio gratiam sacra Eucharistia illud sanctificando, & consecrando in fine Quadragesimæ. *Respondēt sibi Eucharistia & Quadragesima.*

Huc pertinet ratio, quam assignat D. Grego. Hom. 16. in Evangelia, ut exponat causam dierum, pro quibus hoc jejunium mandatur, & observatur. Constat annus diebus 365. huius numeri decima pars sunt 36. quibus decimas totius anni Deo persolvimus. Et quidem primis Ecclesiæ temporibus Quadragesimæ jejunium solum sex hebdomadis constabat, nimirum 36. diebus, & inchoabatur a Dominica Quadragesimæ, ut habetur c. Quadragesima d. 5. dicebatur tamen jejunium Quadragesimæ includendo Dominicas, etsi illis non jejunaretur. Postea Telesphorus, qui fuit nonus Pontifex, addidit septimam hebdomadam pro Clericis, nimirum eam, quæ est a dominica Quinquagesimæ, ut patet. c. *Statuimus.* d. 5. Hoc tamen statutum admissum non est. Manet autem in Ecclesia consuetudo, ut a feria quarta cinerum Quadraginta dies, expleantur, quos olim expleverunt Moyses & Elias, & totidem Christus in solitudine servavit. Tũc decimæ totius anni dantur & offeruntur Deo feria quarta Septimanæ sanctæ, in cujus quinta feria sacra Eucharistia instituitur, ut per illam anni decimæ sanctiores ac sacratiores efficiantur & reddantur sanctę decimæ, quæ desinunt in sacrificium. Accedit Philo lib. de Erudit. quęrend. *In*

novem partes mundus distribuitur, octo in cælo supremum orbem & septem reliquos erraticorum siderum similes cursus habentium, nonam autem terram cum aqua & aere. Horum enim una est cognatio varias mutationes recipientium. Vulgus autem has novem partes, & compactum ex his mundum colebat: at vir perfectus superiorem his opificem earum Deum decimum, emergens enim super omnia eius opera desiderabat artificem ipsum, supplex eius cultor fieri cupiens. Ideo decimas perpetuas decimo illi, qui solus æternus est, dedicat Sacerdos, quod propria animæ pascha dicitur omnium affectuum & omnium sensibilium, dum properat ad decimum illud, quod est divinum & intelligibile: scriptum est enim, Decima mensis decimi sumat unusquisque agnum per domos singulas: ut a decima illi decimo consecrentur victimæ servatæ in anima, duas e tribus partes illustratas habente, donec in totum versa in in splendorem, velut luna toto orbe fulgida, per duas septimanas aucta, non solum custodire, sed & sacrificare iam valeat integras & inculpatas. Hic finis communis est Quadragesimę decimis, & sacro agno Eucharistiæ, qui decima die mensis decimi uni Deo sacratur & consecratur. Accedit Nicolaus Cabasila qui est in Biblioth. Patrum, cap. 3. Exposit. Liturgiæ; *Fructuum primitias offerebant antiqui, vel pecorum vel armentorum, vel aliarum possessionum. Nos autem tamquam vitæ nostræ primitias, hæc divina* (Eucharistica) *Deo consecramus ut quæ sunt hominum nutrimentum, &c. Sed dixerit fortaße quispiam, quod etiam omnia ferè, quæ ab antiquis Deo offerebantur, poterant hominem alere: erant enim fructus, pro quibus agricolæ terram colunt, & animalia esculenta. Quid ergo? illa ne omnia erant vitæ humanæ primitiæ? Nequaquam, nihil enim illorum est propriè nutrimentum humanum, commune est enim aliorum animalium. Humanum illud dicimus, quod ad solum hominem pertinet, confectione autem panis opus habere, ut comedat, & vinum conficere, ut bibat, est solius hominis proprium. Et hæc quidem est forma donorum oblationis.* Nulla itaque potest esse gratior Deo decimarum & primitiarum oblatio, quam Eucharistica.

Quæst. *XLVI.*

An præstet Eucharistiæ Communio, quod præstat Martyrium?

MAgna vis martyrij est, de qua Clemens Romanus lib. 5. Constitut. Apostol. ca. 5. inquit; *Qui martyrio habitus est dignus, is lætitiam in Domino percipiat, quod tantam coronam adeptus sit, & quod propter confessionem ex hac vita exeat, & si catechumenus sit, recedat ad Deum lætus, cruciatus quo propter Deum afficitur, erit ei verior baptismus: quod is quidem experientia ipsa mortis commoritur Christo, reliqui vero mystica repræsentatione.* Magna vis martyrij est, de qua Tertull. in Scorpiaco; *Martyribus nulla delicta posse imputari, quibus in lavacro vita ipsa deponitur,* & in Apologet. prope finem; *Quis non pati exoptet, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat, omnia enim huic operi delicta donantur?* Hęc condonatio culparum fit virtute martyrij ante susceptum baptismum, & post eius quoque susceptionem, cum martyr Christo reipsa commoriatur: *Pre-*
Ps. 115. 15 *tiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* In quem locum August. lib. 13 de Civit. cap. 13. inquit; *Quid pretiosius quam mors, per quam fit, ut delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur?* Martyrium tantam vim habet ex eo, quod Martyr reipsa Christo assimilatur per mortem, quam pro illo

illo patitur, cum autem dicat Christus, *Sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me:* propter hanc similitudinem præstat ne Eucharistia, quod præstat effusio sanguinis Martyri?

S. Thom. 3. p. quæst. 87. ad 2. *Passio*, inquit, *pro Christo obtinet vim Baptismi, & ideo purgat ab omni culpa veniali & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem.* Hoc autem inde provenit, quoniam martyrium eam animi dispositionem & præparationem invenit in confitente, cui si baptismus accederet, ab omni culpa & eius reatu hominem liberaret. Hanc eandem efficaciam potest habere Eucharistia, si inveniat dispositam animam ad tolerantiam, quam Rex Martyrum & Martyres habuerunt. August. Homil. de bono pastor. munitus testimonio Salomonis Proverb. 23. *Si sederis*, inquit, *cænare ad mensam potentis, sapienter intellige, quæ apponuntur tibi, & mitte manum tuam sciens, quia talia te oportet præparare. Mensa potentis quæ sit, nostis ubi est corpus & sanguis Christi: qui accedit ad talem mensam, præparet talia; & quid est præparare talia? Sic & nos debemus animas pro fratribus ponere.* Quotiescumque similis animus fit, respondens planè martyrio, faciet opus suum Eucharistia, si tamen homo prius se probaverit, & sine culpa mortali purus & mundus accesserit ad Communionem. *Via Eucharistiæ tendit ad martyriũ.*

Sunt etiam, qui velint idem ipsum requiri pro martyrio, cum dixerit Apostol. *Si dedero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Sic accipit Apostol. S. Bonavent. in 4. d. 4. p. 2. quæst. 2. *Baptismus*, inquit, *sanguinis solum a veniali liberat, a mortali non, quia præsupponit charitatem, aliter nihil valeret ad salutem;* & infra, *Gratiam non tribuit, sed consummat.* Ejusdem planè mentis est Alexand. Alens. 4. p. quæst. 22. membro 5. a. 1. *Virtute martyrij, ait, non confertur gratia, sed collata confirmatur.* Hoc ipsum efficit & pręstat animæ percepta Eucharistia. *1. Cor. 13. 3.*

Quæst. XLVII.

Cur fortis sit cibus Eucharistia?

Qualis debeat esse vir fortis, & quas habeat debere conditiones & dotes, definit Aristot. 3. Ethic. cap. 7. *Qui ea, quæ oportet, & cuius causa oportet, & ut oportet, & quando oportet, perfert, & timet & similiter confidit, fortis est.* Qualis esse debeat fortitudo, & quales eius prærogativæ, statuit Diuus Ambrosius libr. 1. de Offic. cap. 36. *In duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primo, ut externa corporis pro minimis habeat, & quasi superflua despicienda magis, quam expetenda ducat. Secundo, ut ea, quæ summa sunt omnesque res, in quibus honestas cernitur, præclara animi intentione usque ad effectum persequatur.* Quæritur, Fortis ne sit cibus Eucharistię, ut qui illum participant, participes fiant eius virtutis ac fortitudinis, quę iam definita atque descripta est.

In duobus generibus fortitudo spectatur animi & cordis, quod panis Eucharisticus confirmat, ut externa corporis pro minimis habeat, & ea, quæ summa sunt & sublimia, curet, affectet, & impetret, & utrumque tribuit communicantibus ac celebrantibus Eucharistia, cuius effe- *Virtus Eucharistiæ.*

ctum assignat Cyrillus libr. 3. in Ioannem cap. 34 *Cum ut magni ponderis lapis ad hæc instabilia prematur appetitus, quasi fræno quodam ad desi drium rerum meliorum Christus nos circumducit hoc spirituali cibo*. Accedit S. Laur. Iustinian. lib. de perfect. monast. conversat. *Quia rationalis Spiritus inclinatione quadam, naturali, & non earum, quæ corpori utilia & delectabilia sunt, cogitare cogitur, aliquo Spirituali cibo erigendus est, in quo quanto amplius fuerit occupatus & illectus; tanto minus carnalia cogitabit*. Accedit & exemplum Sancti Francisci, de quo mense Octobr. Surius, Flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis fervore omnium medullarum; stupore admirans charissimam illam dignationem, & dignantissimam charitatem. Sæpe communicabat, & tam devotè, ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem suavem, quasi Spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum. Hoc satis mirabile est, quod Sanctus Frsnciscus ita fieret ebrius per solius panis cælestis escam. Laudatur a fortitudine vinum, quod potest inebriare, cum autem in carne Christi sit sanguis, in cælesti pane mysticum vinum est, cujus sumptione inebriatnr homo. Unde Glossa, quam citat Alexander Alens. 4. p. 4. quæst. 10. a. 2. in verba illa Marc. 14. *Accepit Iesus panem*, exclamat; *Ebrietas felix, salutaris facietas, quæ quanto copiosius sumitur, tanto maiorem sobrietatem mentibus donare dignatur.*

Quod si fortitudo ea, quæ oportet, & cuius causa oportet, & ut oportet, perfert, timet & confidit; ea virtus sacræ Eucharistiæ est, ut homines reddat patientes, timentes & bene sperantes, sicut ratio poscit & exigit, Reddit Eucharistia patientes, & idcirco priusquam Martyres ad passiones duras & diras irent, Eucharistia roborabantur ac muniebantur, ut scribit Sanctus Cyprianus epist. 54. *Vincentibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus, & exhortamur ad prælium; non inermes & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus*. Reddit & timentes homines, cum dixerit David, Psalm. 110. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*: & cum Salomon moneat Proverbiorum 23. *Quando sederis, ut comedas cum Principe; diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo*. Addit animos & affert communicantibus spem & fidutiam certam. Scriptum est Proverbiorum 28. *Iustus ut leo confidens absque terrore erit*, & sancte ac justè communicantes leones tales fiũt, dicitque propterea Chrysostom. hom. 61. ad popul. *Tamquam leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus*. Quid ni justi confidant, cum apud se habeant *pignus æternæ gloriæ?*

Quæst. XLVIII.

An sensibilis saporis sit interdum Eucharistia?

MEminit Galenus Sacchari lib. 7. de Simplic. cap. 101. *Saccharum*, inquit, *quod ex India atque felici Arabia convehitur, in calamis, ut aiunt, concrescit, & ipsum mellis est species, minus certe nostrate dulce, sed assimiles ei vires obtinet, quod ad abstergendum & digerendum attinet*. Meminit

minit & Plinius libr. 2. cap. 25. & alij, quemadmodum astruunt Conimbric. agentes de Metheor. tractat. 7. cap. 19. & ajunt antiquis innotuisse duplex Saccharum, alterum natura exiliens à matrice, alterum arte exemptitium, quamquam non ea arte, quæ nunc illud igne ad candorem miro modo excoquit.

Christus dulcis instar Sacchari a matrice & matre exiliit, cum natus fuit in civitate Bethleem, tunc exilijt, qui dicit Patri, *In te projectus sum ex utero.* Tunc *melliflui facti sunt cæli,* cum Christus in imis apparuit, & dulcior atque suavior propterea, quoniam totus sacchareus erat. Inter quæst. Convivales apud Plutarch. est una; Cur infima mellis laudetur pars? Et causa est, quod optimum mel illud habetur, quod minus fluit, & quasi saccharum concrescit; tale verò suo pondere ad ima labitur. Sic & puer sacchareus in Nativitate, de se dicit; *Magis cum essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Bonum in cælis mel, sed melius in terra, & idcirco infirma mellis pars laudatur ab Angelis; *Gloria in altissimis Deo.*

Mel, & Saccharū sapit Eucharistia. Ps. 21. 11. Sap. 8. 20

Accessit & ars amoris, accessit & ignis, cujus opera prodijt Eucharistia, & colore, & sapore tota saccharata, in cujus primo gustu exclamat Ecclesia; *O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares; pane suavissimo de cælo præstito esurientes reples bonis!* Huc pertinet, quod est apud Surium in mense Sept. de Eleazaro Comite: Omnibus diebus Dominicis Quadragesimæ, & Advent. itemque magnis ferijs totius anni per multorumque aliorum Sanctorum, præsertim Virginum pijssimè sumebat sacram Eucharistiam. Retulitque ipse quandoque Virgineæ conjugi suæ, cum Christi corpus acciperet, videri sibi *optimum Saccharum* in ore habere ac deglutire. Illa autem interrogante, quid id sibi vellet, respondit existimare sese velle Deum, ut crebro sacrosanctam percipiat Eucharistiam.

Sapit Saccharum, sapit mel. Præludebat Ioannes in melle silvestri, sicut & in aqua campestri. Præludebat in aqua, ut Christi baptismum præiret, præludebat in melle, ut Eucharistiam mellifluam præveniret. Et quidem mel silvestre erat, quicquid erat in Synagoga, præ melle sacræ Eucharistiæ. Silvestre mel amarum est, de quo S. Isidor. Pelusiota lib. 1. epist. 132. scribit; *Non est herba mel silvestre, sed mel montanum, quod ab agrestibus apibus conficitur, summèque amarum est, & gustatui omni infestum & iniurium.*

Quæst. XLIX.

Cur in sacrosanctis altaribus maneat Eucharistiæ Sacramentum?

De asservando sacræ Eucharistiæ Sacramento agit Concilium Tridentinum SS. 13. cap. 6. *Consuetudo*, inquit, *observandi in sacrario Sanctam Eucharistiam adeò antiqua est, ut eam sæculum etiam Concilij Nizeni agnòverit.* Inter Centuriat. quæst. apud Plutarch. est illa sexta; *Quare Romani mensam sustolli non sinebant inanem, quin aliquid in ea superesset?* Respondet, *ut meminerint diei crastini & reservent pro illo aliquid. Se-*

cundo, ut contraherent appetitionem, & inhiberi præsentibus adhuc illecebris elegans esse ostenderent: minus inhiant remotis, qui temperare præsentibus sunt assueti. An etiam adversus servos mos ille humanus, ut ex mensa capiant? Præterea, quia sacrorum nunquam vacuum quicquam fieri permittendum: mensa autem sacra est.

Mensa sacra Eucharistia. Mensa sacra vere & proprie sola est Eucharistica, in qua nihil esse potest vacuum, cum Deus illam impleat, qui dicit; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Manet in altaribus, non ut homines pro die crastino aliquid putent sibi reservandum, cum moneat ipse, *Nolite solliciti esse de crastino.* Cibus hic quotidianus est, qui & singulis diebus petitur & obtinetur; *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Non remanet in altaribus, ut appetitio circa carnem Christi minuatur, sed augeatur fames videndi eum, qui latet in templo, & in cælo manifestatur, Psalm. 16. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Non sunt reliquiæ pro servis, cum & servi æquè & pariter cum heris sacræ sint participes Communionis; *O res mirabilis, manducat Dominum pauper servus & humilis!* Manet igitur in altari, quia mensa sacra est, & non oportet ut sit vacua, sed semper in ea Christus sedem habeat, nos asylum, ad quod perpetuo recurramus, & cum affixi lectis non possimus ad eum venire, qui clamat. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, nos ipse accedat & rependat visitationem sacro nos reficiens viatico: nec fieri posset, si totum Sacramentum absumeretur. Quam etiam ob causam cap. citat. Concilij Tridentini, docet in Ecclesia asservatum semper fuisse, & præcipit imposterum conservandum, & quidem pro divino more, ut in omnem occasionem sit sacer hic commeatus paratus. Cum Deus creavit hominem, prius parata est mensa, qua aleretur & sustentaretur, & similis Deus sibi sanctum viaticum præparavit, præveniens mortem Apostolorum, in qua accepturi illud erant. Hic ipse Deus est, qui dicit de se Luc. cap. 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia iam parata sunt omnia.*

Matt. 28. 20.
Matt. 6. 34
Mat. 6. 11.
Matt. 11. 28.

Quæst. L.

Quanto tempore possit aliquis vivere sine cibo Sacramentali?

CUm Christus per formam cibi condiderit Sacramentum altaris; censebit fortasse quispiam, non posse animam vivere, nisi quotidie communicet. Nec quidem gratis id existimabit, cum præceptis salutaribus moniti dicamus & petamus; *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Et quidem primi Christiani, quorum meminit S. Lucas cap. 2. Act. *quotidie perdurantes unanimiter in templis, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.* Ergo cum dixerit Christus, *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ad ejus conservationem erit planè necessarium singulis diebus sacram Synaxin capere, maiore necessitate & simul utilitate, quã olim manna cœleste percipiebatur, cum dixerit Christus, *Non sicut mãducave-*

ducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, vivet in æternum. De manna providit Deus in singulos dies, & cum Sabbato cælestis hic panis non defflueret, duplicabatur ante, & servabatur, ne ille pro sustentatione deesset, vel uno Sabbati die. Quod si populus non poterat vivere sine quotidiano manna, quomodo vivere poterit Ecclesia sine quotidiano cibo venerandi Sacramenti? E contra vero videtur non ita necessarium esse hoc sacratum alimentum, quandoquidem Christus in formam sancti viatici illud instituit & constituit. Viaticum vero tunc requiritur, cum quis ad iter accingitur. Non igitur ut quis vivat, sed ut quis è vivis decedat, erit necessaria Eucharistia, ac proinde sine illa poterit homo totum suæ vitæ tempus transigere. Ioa.6.59.

Multum interest inter corpus & animam, quod attinet ad sustentationem. Corpus ut alatur & sustentetur, habet certam formam proprij alimenti, quo utitur pro victu quotidiano, ut possit vivere. Quamdiu verò possit homo sine cibo corporali corporalem vitam producere, non satis compertum est. Apud Diogenem Laert. lib. 8. Dicæarchus in delubrum Musarum confugit, ibique quadraginta diebus jejunavit, & paulo post mortuus est. Apud Lilium Girald. Dialogism. 17. lego in pago Rhodo urbi Spyræ proximo fuisse quandam Virginem nomine Margaretam, quæ triennio cibum non gustavit. Cornelius Agrippa lib. 1. de occulta philosophia refert apud Venetias fuisse virum, qui in singulos annos per quadraginta dies absque ullo cibo servaret jejunium. Quodque magis mirum est fuisse eodem tempore in inferiori Germania mulierem, quæ in tricesimũ annum nihil unquam cibi sumpsisset: quod quidem, inquit, nobis incredibile videri posset, nisi confirmaret hanc rem recens & nostri sęculi miraculum in fratre Nicolao de Saxo, natione Helvetio, quem in eremo duobus & viginti annis, quousque vita excessit, sine omni cibo vixisse constat. Sit fides penes auctores, quod attinet ad veritatem prædictarum historiarum. *Diversimodè aluntur corpus & anima.*

Differt & valdè differt a corpore anima in sustentatione sui, quæ non habet ita determinatum, sed indeterminatum alimentum. Pascitur illa verbo Dei; *Non solum in pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei:* pascitur dolore & pænitentia; *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris*: pascitur iustitia, *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam quoniam ipsi saturabuntur.* Nulla virtus est, quæ non cedat in alimoniam spiritus & animę, quę instar ignis ali & pasci debet non solum singulis diebus ut corpus, sed etiam singulis horis ac momentis. Igitur, cum habeat, unde sic alatur, non ita astricta est alimento sacræ Eucharistiæ, ut sine illa ad aliquod tempus vivere nequeat. Quæ causa est, ut semel tantum in anno cunctis Christi fidelibus præcipiat Ecclesia necessariam sibi Communionem. Suadet tamen ut frequentius ad illam accedant. Tantum abest, ut Eucharistia solum pro viatico detur & accipiatur. Mat.4.4.

Quis est homo, qui vult vitam? Homo avidus vitæ audiat S. Augustin. Sermon. 19. de verbis Apostoli, *Manducent, qui manducant,* accipiant optatum pro suo voto responsum; *Manduca vitam, & bibe vitam, habebis vitam, & integra est vita.* Idem ipse Tract. de 4. feria; *Vt anima permaneat, carnem eius quotidie manducabis, ut vitam æternam habeas, sanguinem eius potabis.* Cyrill. Alexandrinus in Ioan. lib. 4. cap. 17. *Ecclesiæ Patrumque sensus est melius omnino nos frequentare Venerabilem Eucharistiam, quam abstinere etiam reverentiæ prætextu.* Monet deinde, *Si vitam æternam consequi volumus, si largitorem immorta-*

mortalitatis desideramus, ad recipiendam benedictionem libenter cõcurramus, caveamusque, ne loco laquei, damnosam religionem diabolus nobis prætendat. S. Petrus Damian. ad Blancam Comitiss. de institution. Monial. cap. 3. *Terretur adversarius, cum Christiani labia videt Christi cruore rubentia, agnoscit enim præsto suæ perditionis indicium, & divinæ victoriæ, qua captivatus est, & obtritus non tolerat instrumentum.* Gregor. 7. Mathildi Ecclesiæ benefactrici pro præstitis obsequijs, ac collatis beneficijs agit gratias epist. 74. & 50. & pro actione gratiarum scribit, ac confert hoc unum; *Inter cætera, quæ tibi contra principem mundi arma, Deo favente, contuli, quod potissimum est, ut corpus Dominicum frequenter acciperes, indicavi, & ut certæ fiduciæ Matris Domini, te omnino committeres, præcepi. Debemus ó filia hoc ad singulare confugere Sacramentum, singulare appetere medicamentum.* Concludit. *Hæc ideo charissima Beati Petri filia scribere procuravi, ut fides ac fiducia in accipiendo corpus Domini maior tibi accrescat. Talem quidem thesaurum, taliaque dona, non aurum, non lapides pretiosos, amore patris tui, cælorum videlicet Principis, a me tua requirit anima.*

Quæst. LI.

An rite ac rectè inducta sit Communio generalis?

NOn a multo tempore introducta est singulis mensibus Communio generalis cum indulgentia plenaria, cuius applicatione queat ab uno quoque communicantium una anima a pęnis purgatorij liberari, si tamen certis in locis, templis & ecclesijs Regularium & non Regularium, quibus est gratia concessa, sacra Eucharistia percipiatur. Cum res nova illa sit, non caret difficultate, orta ex varijs personis, quibus non ita placet. Non placet his, qui toti sunt pro ecclesijs suis Cathedralibus, ad quas maiori ex parte concurrit populus, quem divertere ita alio ęgrè ferunt. Non placet parochis, qui ita zelant pro suis parecijs, ut velint in eis oves suas & non alibi sacris doctrinis ac Sacramentis sustentari. Sunt quoque Regulares, qui cum suas statas ac fixas habeant Communiones pro pænitentibus, qui ad sua templa devotionis ergo confluunt; non libenter patiantur a sacris suis domibus, ut pręter ordinem communicent, avocari. Nec videtur satis, quod in gratiam animarum sub ignibus expiatorijs manentium fiat, cum ex Eucharistia quatenus sacrificium est, tantum habeant subsidium à tot sacerdotibus, qui singulis diebus celebrant, immo & ab omnibus fidelibus, qui cum Sacerdotibus offerunt simul sacrificium laudis. Quod si Missa nulli adstringitur loco, ut audiatur, cur sacra Communio, ut percipiatur? Adde quod cum tot sint altaria privilegiata, in quibus celebrantes defunctorum animas ex Purgatorio eripiunt & eximunt, non ita æstimarentur illa sicut hactenus ęstimata sunt, si singulis & omnibus communicantibus utriusque sexus fidelibus per singulos menses hęc ipsa gratia cõcedatur. Et certè præter rerũ ordinem esset, ut omnia altaria certarum quarumdam ecclesiarum privilegio illo gauderent, quid ni fideles? Scimus S. Cornelium scripsisse ad S. Cyprianum, ut circa usum sacri Baptismi nihil innovaretur, oportebat igitur, ut circa usum Eucharistię nihil omnino innovetur, nec ea consuetudo introducatur, ex qua tanti ac tam pretiosi Sacramenti contemptus procedat, siquidem

dem merces vltroneę omnibus expositæ, & simul oblatæ vilescunt.

Communio generalis in Ecclesia non est res nova, siquidem cum ipsa Ecclesia nata & orta est. Hujus assumpti confirmatio invenitur ca. 2. Act. ubi de primis Christianis dicitur. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Nec semul tantum id testatur sacer Historicus, sed repetit iterum in eod. capite, ut mos, & consuetudo repetita maiorem habeat laudem; *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.* Confirmant quoque assumptum de Communione generali Apostoli. can. 10. *Omnes fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, & Scripturas audiunt, non tamen perseverant in oratione, nec sanctam Communionem percipiunt velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, convenit Communione privari.* Hinc promanavit decretum Anacleti epist. 1. *Episcopus*, inquit, *Deo sacrificans testes, ut præfixum est, secum habeat, & plures quam alius sacerdos. Sicut enim maioris honoris gratia fruitur, sic maioris testimonij incremento indiget. In solennioribus quippe diebus aut septem aut quinque, aut tres Diaconos (qui eius oculi dicantur) & subdiaconos, & reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestibus, in fronte & à tergo, & Presbyteri dextra, levaque, contrito corde & humiliato spiritu & prono stent vultu, custodientes eum a malevolis hominibus, & consensum eius præbeant sacrificio. Peracta autem eius consecratione communicent.* Ex hoc idcirco desumptum est cap. *Peracta* de consecret. d. 2. *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Hanc ipsam generalem Communionem, quæ erat olim in usu, vellet eadem mater Ecclesia, ut denuo introduceretur & renovaretur. Hoc Sanctę Ecclesiæ votum exprimitur in Concil. Trid. Sess. 22. c. 6. *Optaret quidem ipsa sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus uberior proveniret.* Non est igitur res nova Communio generalis, quæ orta est cum Ecclesia, & quam ipsa vellet & optaret, ut & nunc etiam suscitetur. Suscitata est, ut ad singulos menses fiat ad libitum & voluntatem fidelium.

Ad hanc voluntatem excitandam addita est indulgentia plenaria, ita tamen, ut si quis sacram suam Synaxin velit applicare pro liberanda ex Purgatorio anima, illam liberet. Quanti autem referat non solum vivis, sed etiam defunctis frequentia sacræ Communionis; Serm. de Eucharistia docet Iustinian. cuius verba referenda sunt. *Frequentatur autem Eucharistia, ut justis gratiam, peccantibus veniam, debilibus robur, lætitiam mæstis, diligentibus exultationem, nutantibus spem, credentibus pacem, victoriam certantibus, captivis libertatem, atque defunctis conferat requiem.*

Hæc Communio generalis quod uni vel alteri templo adstringatur, specialis gratia Romani Pontificis Vicarij Christi est, & quidem secundũ usum concessarum indulgentiarum pro sacris ędibus, extra quas ulterius illæ non se extendunt. Hoc autem ideo fit, ut congregati fideles mutuo se excitent ad maiorem devotionem. Et quidem magnum incentiuum pietatis Christianæ est concursus & confluxus euntium ad unum templum pro sacris indultis lucrandis, ac comparandis, quæ quidem pietas non minuitur, sed augetur communi communicantium frequentia, introducta per generalem Communionem, quæ cum per totum annum duodecim solum diebus agatur, nihil derogat ullis Ecclesijs, immo proficit, nam quo animæ

animæ devotiores fiunt, eo frequentiores sunt in sacris templis, & divinis officijs assistunt. Nec est, nec esse potest causa ulla æmulationis data, sed solum affectata & quæsita, siquidem hæc ipsa gratia, quæ uni vel alteri Ecclesiæ conceditur, ab alijs impetrari posset, quemadmodum impetrata est. Et quidem optandum erat, ut in singulis templis & ecclesijs fideles Sacramentali perceptione communicarent, ut ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus uberior proveniret: Quoniam vero de frequentia sacræ Communionis tertia Part. sacri Oratorij diximus multa, nunc hæc pauca dicta sufficiant.

Quæst. LII.

De Sacramento miraculoso, quod Bruxellis habetur & colitur summa veneratione?

Ps. 110. 4. PLena miraculis est sacra Eucharistia, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* Et quidem ipsum Sacramentum per se mirabile est, quid ergo opus est, nova miracula fieri pro miranda Eucharistia, in silvam ne ligna feras, & sacra hostia quid nisi silva mirabilium & miraculorum est? Nihilominus varijs in locis scimus esse miraculosa Sacramenta divinitus condita, quorum unum & quidem valdè celebre habetur Bruxellę, & colitur summo cultu ac veneratione in templo Sãctę Gudulę sacro, quod singulis annis publica supplicatione, & solenni pompa defertur confluentibus undique populis tãti mysterij cultoribus & adoratoribus. Eo ipso die Parasceues, quo passus Christus fuerat, & a Bruxellensibus pie ac sancte colebatur, acti in rabiem Iudæi, qui in hac civitate habitabant, decreverunt apud se in sacras sęvire hostias, quas cum clanculum accepissent, ad suam Synagogam attulerũt, & eas suis cultris blasphemantes confixerunt. Ecce dum eas cultris confodiunt, effluit ex eis in magna copia sanguis, cuius roseo colore rubricatæ illæ apparuerunt. Carnifices illi attoniti, toti trementes fugerunt, non tamen effugerunt pęnas, quas postea dederunt debitas tanto flagitio, quod latere minime potuit. Hoc est miraculosum Sacramentum, quod olim contigit, & adhuc manet Bruxellæ, & colitur summa veneratione. Quod latere non potuit Catholicos, quominus miraculosa Eucharistia fruerentur, latuit hæreticos rebelles, qui cum templum S. Gudulæ, tempore rebellionis factæ in Deum, & Regem invasissent, perfregissent sanctas imagines, sacraque omnia prophanassent, miraculosæ hostiæ ereptæ & absconditę fuerunt in domo paupercula, ex qua postea restitute sunt suo loco, sacello planè regio, in quo magno, concursu visitantur, & non minorè reverentia coluntur & adorantur. In hujus Sacramenti miraculosi cultu ac veneratione ita pius populus est, ut multæ, etiam notabiles personæ, nudis pedibus obeãt plateas, per quas deducitur in publica supplicatione, quę quotannis summa cum solennitate agitur & celebratur. Solennis mos semper fuit Catholicis Principibus Belgij huic adesse supplicationi, quam Sereniss. Archiduces Albertus & Elisabetha sua regią pręsentia semper & honestarunt, prælucentes exemplo devotionis & religionis erga miraculosum Sacramentum. Hoc in loco Albertus Pius sepeliri voluit disponens & mandans, ut non in sublimi monumento, sed humo, & humili

mili terræ corpus eius mandaretur, cum quo etiam charissima eius sponsa sepeliri se velle per suum testamentum ordinavit.

Occurrit autem circa hoc miraculum noua quæstio de sacro illo sanguine, qui ex confossis hostijs promanavit, & quo cruentatę illæ fuerunt & permanserunt. Sanguis ille vel verus est, vel apparẽs: si verus, quomodo corpus Christi, quod impassibile sub accidentibus panis est, pati potest usque ad sanguinis effusionem? si solum apparens est, quomodo potest esse testis veritatis Sacramentalis? *Tres sunt qui testimonium dant in terra spiritus, sanguis & aqua*; nec verum testimonium darent, nisi verus spiritus, verus sanguis, & vera aqua forent.

Considerare oportet Christum passibilem & impassibilem. Cum esset in statu suæ mortalitatis verum ex se sanguinem fudit, circumcisus & crucifixus. Cum autem in statu sit impassibilitatis, sicut est in cælo & etiam in Sacramento, sacrum ex se cruorem non effundit, ac proinde cum sanctum calicem consecravit, dixit. *Hic est Calix sanguinis mei, &c. qui pro vobis & pro multis effundetur*, non dixit, *effunditur*, sed *effundetur*, ut declararet se de seipso tunc incruentum condere sacrificium, qui ex se cruẽtum holocaustum in passione & cruce esset consummaturus. Ergo ut se passibilem & mortalem ostenderet, opus erat, ut ex se verum sanguinem daret, ut autem se impassibilem declararet in Sacramento non verum, sed apparentem sanguinem exhiberet, in hoc Sacramento miraculoso. Nec tamen propterea minori cultu ac reverentia mysterium hoc colendum est. Nunquam magis reverens Ioannes fuit erga Spiritum sanctum, quam cum apparuit in specie columbæ super caput Servatoris, nec tamen vera illa columba erat, unde licet verus sanguis ille non sit, quia veri sanguinis effusi in cruce signum est, & simul certum argumentum veri corporis Christi, quod in sacris hostijs continetur simul cum divina Christi carne, colendus & adorandus est, sicut & accidentia operientia Christi corpus coluntur & adorantur. *Differentia sanguinis naturalis Christi ac miraculosi.*

Cum autem in hoc mirabili Sacramento tot ac tanta mirabilia velentur & occultentur, tunc apparent, cum Sacramenta miraculosa fiunt, ac proinde per præfatum miraculum & alia similia non efficitur Eucharistia in se magis mira, sed signatur, & apparet mirabilior.

Quæst. LIII.

CONSONANTIÆ

Sanctæ Crucis, & sanctissimi Sacramenti quot & quales?

CRux non solum convenit cum Eucharistia, quatenus sacrificium est, sed etiam quatenus est Sacramentum, de quo omnes participamus & communicamus, unde & sacra Synaxis sub signo sanctæ Crucis datur & porrigitur a Sacerdote & Sacerdos, cum seipsum communicat, Crucem format, sive cum dicit; *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam*: sive cum ait, *Calix Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.* *Crux cruenti & incruenti sacrificij*

Crux arbor est fructus Eucharistia. Crux *Arbor una nobilis, Fronde, flore, germine.* Hæc arbor nobilem fert fructum Eucharisticũ, de quo sponsa, *Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Cęterę arbores tunc æstimantur, cum suo fructu decorantur, sed postea in nullo habentur pretio. Crux pretiosa semper est, quia semper fructificat Eucharistiam. Cæteræ arbores pro suis proventibus pendent a tempore, quod si non faveat, nihil producunt, nihil generãt. Crux vero non subjacet tempori, quę cum Christo resurrexit ad gloriam perpetuam & immortalem, unde & a favore humano non dependet, quominus frondeat, floreat
Zach. 9. 17. & germinet cibum, & *vinum germinans Virgines.*

Effectus Crucis & Eucharistia. Crux nobilis in suis effectibus salutis, vitę, & resurrectionis. *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra.* Nobilis quoque in eisdem effectibus sacra Eucharistia, a qua imprimis salus animę pendet, cum sit *in remissionem peccatorum,* dicat-
Gal. 6. 14 que propterea Sacerdos; *Calicem salutaris accipiam:* Accedit quod *Dominus*
1. Cor. 11. 23. *Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem:* ideo autem vocatum Iesum scimus, quod saluum fecit populum suum a peccatis eorum. Vita est in sanctissimo Sacramento, *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem,*
Ioan. 6. 58 *& qui manducat me, & ipse vivet propter me,* & iterum, *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* quod autem pendeat hinc resurrectio, testatur ibidem Christus, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Crux & Eucharistia sunt res communes. Crux omnibus communis est, & idcirco in aere suspendi voluit Christus, ut in cap. 1. ad Collocens. docet Chrysostom. *Sicut aer omnibus est communis, ita illius mors omnibus extitit communis.* Et quidem manus, pedesque in Crucem ad omnem mundi plagam extendendo velle se omnibus communicare planè demonstravit. Sacræ Communionis nomine insignitur Eucharistia, omnibus & singulis communis, *O res mirabilis! manducat Dominum servus pauper & humilis.* Non ita communis est aer, sicut est Crux sacrosancta, aer enim per partes singulas communicatur, Crux autem tota, quanta est, omnibus & singulis convenit, convenit & sacra Eucharistia, *Quantum iste, tantum ille, nec sumptus consumitur.*

Crux principium sacra alimonia. Crux non absimilis est quercui, a qua pependit Absalon, ut docent Patres. Quercus olim dicata erat Iovi, unde *Quercinus* vocabatur, ad quem alludens Oseas c. 4. ait, *Accendebant thymiamata sub quercu.* Hæc autem arbor in tanta reverentia erat, quoniam ex ea olim homines alebantur & sustentabantur. Omnia mutata sunt in melius, falsus Iuppiter in Deum verum, quercus in Crucem Domini, cibus glandium in veram alimoniam Eucharistiæ, quæ ex ipsa sancta Cruce provenit, ac promanavit. *Accendebant thymiamata sub quercu,* in qua Jovem consulebant, & errabant, nos sapimus, cum in Cruce verum consulimus Deum, & ex eius ore divina responsa accipimus, divina oracula, sicut etiam in sacra Eucharistia, ubi idem Deus est, idem oraculum.

Crux & Eucharistia tutum refugium. Crux tutum refugium est. Veteres Aquilam super quercum depingebant, ut securitatem significarent, cum hac inscriptione, *Requies tutissima.*
Deut. 32. 11. Scriptum de Christo est, quod sit *sicut aquila provocans ad volandem pullos suos.* Mystica hæc aquila fuit in Cruce, cum inscriptione *Iesus Nazarenus,*
Ioan. 19. 19. qui dicit de se. *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Dixerat prius, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis,*
Matth. 11. 13. *& ego reficiam vos.* Hac itur ad requiem, nimirum per mysticam refectionẽ

Hæc

Hæc tutissima, hæc securissima requies est, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Sacramentum Eucharistiæ ab Ecclesia vocatur, & planè est *tutamentum mentis & corporis*, quoniam tam corpus, quam anima in tuto est loco, cum protegitur ab illo, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Huc alludit oraculum illud Isaiæ. cap. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & tabernaculis fiducia, & requie opulenta.* Ioa. 6. 57. Psal. 22. 1.

Ex Crucis ligno invento Jerosolymis totum mundum repletum fuisse scribit Cyrill. Jerosolym. Catech. 10. & 13. Et quidem sicut sacra Eucharistia per totum orbem crescit, & multiplicatur, augere sancta Crux debuit, ut totus mundus de utraque participaret, & in utriusque cultu, & adoratione se occuparet ad confusionem Calvini, & Centuriatorum, qui neutram esse colendam & adorandam malè dixerunt, & peius docuerunt, ac defenderunt: Nos dicimus cum Ecclesia Christo, *Tuam Crucem adoramus* sacramque reveremur Eucharistiam, *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.* *Crux & Eucharistia implent mũdum.*

Crux a cruciando nomen habet, in qua postquam Christus cruciatus est, totam naturam mutavit, unde & canit Ecclesia, *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera.* Hinc Paulus, *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Hinc etiam Andreas, *Salve Crux pretiosa, suscipe discipulum eius, qui pependit in te magister meus Christus.* Labor quoque annexus erat pani, antequam Christus illum consecraret, *In sudore vultus tui vesceris pane.* Alludit huc cum inquit David: *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Post Christi consecrationem cessat labor, cessat dolor, ad cujus depositionem vocat simul & invitat, cum ait; *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quò etiam pertinet id, quod tradit S. Gregor. Nyssen. lib. de vita Moysis. *Hunc corporis panem non aratio, non satio, non agricolarum opus efficit, Virgo intacta permansit, & tamen pane plena fuit.* *Mutantur in melius Crux et panis.* Gal. 6. 14. Gen. 3. 19. Psa. 126. 2. Matt. 11. 12.

Crux, ut legimus in Actis Martyrum apud Baron. tom. 4. Annal. anno 308. & apud Surium in vita S. Eustratij Martyris gestabatur in sinu & pectore, ut eius armatura munirentur ac roborarentur contra tormenta tyrannorum, quam etiam ob causam Christi Martyres, antequam suam coram persecutoribus facerent confessionem, cum scirent quantas vires haberet panis cor hominis confirmans, hoc ipso munimento seipsos armabant, & ad pugnandum pro aris veræ fidei ac religionis excitabant. Accedit S. Cyprian. epist. 54. *Vincentibus communicatio à nobis danda est, ut quos excitamus, & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus, & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ passionis armamus.* Prævidit, & prædixit hoc mysterium David Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Unde & cum nos ipsos sancta cruce signamus, dicimus. *Libera nos de inimicis nostris,* ut quod facit Eucharistia, præstari etiam a Cruce Christi protestemur. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Confessorum igitur ora & labia Cruce muniuntur, pectora & corda armantur sacra Eucharistia. *Arma Crucis & Eucharistia.* Rom. 10. 10.

Crux *in numero, pondere, & mensura,* facta est. Penes eam est numerus electorum, quorum frontes signo Crucis notantur & insigniuntur sicut in Apoc. Ioannes vidit. Habet sua pondera Crux *dulcia ferens pondera, quæ & statera* *Numerus pondus & mensura Crucis & Eucharistia.*

statera facta corporis, apparuit. Est quoque mensura mysteriorum nostræ redemptionis, in quem sensum Patres accipiunt dictum Apostoli; *In charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum.* (Eph. 3. 17) Sacra quoque Eucharistia signũ est electorum; *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum?* (Zach. 9. 17.) Quantum ponderat Christus in Cruce, tantum ponderat in Eucharistia, utrobique est *sacrificium iustitiæ*; (Ps. 50. 21.) nec iustitia sine libra est. Mensura una & altera est miserationum ac misericordiarum Dei, quantum Crux extenditur, tantum & Eucharistia. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* (Ps. 101. 4.) Mensura est referta, & coagitata ministris fidei, ac fidelibus demandata, *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram:* (Luc. 12. 24.)

Regnum Christi a Cruce & Eucharistia.

Crux dedit exordium regno Christi *regnavit a ligno Deus.* Ad huius autem regni conservationem instituta est sacra Eucharistia, dicitque propterea Christus; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* (Mat. 24. 14.) Et quidem ibi regnat Christus, ubi sacramentum altaris est. *Non minor est, virtus quam quærere parta tueri.* Hoc autem mirum est, quod Crucem præiverit Eucharistia, cum tamen in Cruce fuerit vita nostra, prior autem vita est, quam eius conservatio sit. Similis sibi Deus est in creatione, & redemptione hominis. Antequam illum crearet, paravit omnia, quæ ad eius conservationem facere poterant. Condidit fructus, animalia terræ, aves, & pisces maris, a quibus humana pendet sustentatio, & deinde hominem fabricavit, cui & vitam inspiravit. Antequam hunc ipsum hominem redimeret, & nova vita illum donaret, providit de congrua esca & alimonia, qua vita illa nova fulciretur ac conservaretur.

Crucis & Eucharistiæ elogia

Crux, ut ait S. Ephrem agens de Cruce Domini; *Inopum abundantia:* talis & Eucharistia; *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* (Ps. 21. 27.) Crux *afflictorum consolatio & sublevamen*, talis & Eucharistia, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* (Matt. 11. 12.) Crux *imperitorum sapientia*, talis quoque Eucharistia, sapientia quippe *insipientibus locuta est; Venite & comedite panem meum.* (Prov. 9. 4) Crux *Iudæorum scandalum*, scandalum quoque passi sunt in Eucharistia, *Durus est hic sermo & quis potest eum audire?* (Ioan. 6. 61) Crux *imbecillorum fortitudo ac firmitas*: nec non etiam Eucharistia; *Panis cor hominis confirmet.* (Ps. 130. 16) Crux *in medio orbis terrarum defixa in loco Calvariæ mox optimum vitæ nostræ racemum germinavit*; racemus hic optimus est, ex quo pro sancto Calice vinum exprimitur. Crux *cibus esurientium & fons sitientium*, & Christus ait de se, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Crux *Virginum pudicitia*, quas generat Eucharistia; *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* (Zach. 9. 17.) Ubi Eucharistia, ibi & Virginitas, ubi & virginitas, ibi & Crux est, sicut & in ipsa Matre Dei facilè comprobari potest.

Crux, Virgo & sacra Communio?

Crux & Communio Virginales.

SAnctus Epiphanius hom. de laudibus Virg. *Dico illam esse cælum, thronum simul & Crucem, extendens enim sanctas ulnas Dominum portavit.* Hinc sacra Communio processit; *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* (Cant 7. 2.) Hinc seges Eucharistica suam originem habuit; *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuũ fuerit, multum fructum* (Ioa. 12. 24)

fructum affert. Habet a cruce suæ Matris, ut mortalis sit, habet a Cruce Calvariæ, quod sit mortuus, habemus nos ab utraque, ut multum fructum afferat. *A fructu frumenti & vini multiplicati fideles in pace Christi requiescunt.* Ut hic fructus maturesceret, & ab eo pastores alerentur, & sustentarentur, ubi primum prodit in mundum, statim Virgo eum inter paleas præsepis statuit & cõstituit. Rogat Arist. sect. 23. problemat. 13. *Cur paleæ fructus duros, atque incoctos emolliunt, in maturitatemque adducunt, mites autem & coctos non putrefaciunt? An quod palea calida & attrahens est? suo igitur calore concoquit, & per vim illam attrahendi saniem omnem sevocat, atque imputridos servat.* Maturuit inter paleas fructus semper mansurus incorruptus, nunquam defecturus; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad finem sæculi.* In ara Crucis torridus Christus fuit, qui prius in clibano fuerat ad escam & cibum decoctus, unde & Epiphanio loco iam allegato est Virgo, *clibanus spiritualis, qui ignem & panem vitæ calidum mundo in esum attulit, de quo Salvator mundi ait; Accipite & comedite: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum.* Crux quem tenuit, non sibi retinuit, nec Virgo retinuit, *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine.* Non sibi retinuit, de qua scriptum est c. ult. Proverb. *Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum, & de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Non sibi retinuit, Aug. in Psalm. 98. *De carne Mariæ carnem accepit Christus, & ipsam carnem nobis manducandam dedit.* Non sibi retinuit, de qua Ambros. in Psalm. 21. *Veluti cælitus veniens cunctis ecclesiarum populus cibum dulciorem melle defluxit, quem qui edere aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait, Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Loquatur ipsa de se, & quidem loquitur cap. 24. Ecclesiast. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Loquatur ipsa de se iterum, & rursus loquitur cap. 1. Luc. *Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis; & divites dimisit inanes.*

Nec omittenda, sed valde notanda est quædam consonantia, quæ est inter Virginem, Crucem & Sacramentum, ut nimirum Christus in omnibus illis tribus non remiserit de sua magnitudine ac majestate, sed potius creverit in cultu & veneratione sacræ suæ divinitatis. Dixit in suo Panegyrico Cæsari Traiano Plinius; *Cui ad augendum fastigium nihil superest, hoc uno modo crescere potest, si se ipse summittat securus magnitudinis suæ.* Nihil superesrat ad augmentum culminis & fastigij Filio Dei Patris, de quo Ioannes, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, uno autem modo crescere Ioa. 1. 1.
potuit, seipsum summittendo, ut Deus fieret homo, *Verbum caro factum est,* Ioa. 1. 14
& habitavit in nobis, & vidimus gloriam eius. Hæc est gloria quam Angeli in summissione Nativitatis cecinerunt, *Gloria in altissimis Deo*; cui ad augen- Luc. 2. 14
dum fastigium nihil supererat, hoc uno modo crescere potuit, descendẽs ad humanitatem, dicitque ipse propterea: *Magis cum essem bonus, veni ad cor-* Sap. 8. 20.
pus incoinquinatum. Hic ipse *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad* Phili. 2. 8.
mortem, mortem autem Crucis: nec tamen propterea decrevit, sed excrevit, additque idcirco Apostolus. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomẽ, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.*

Ioa. 3. 30. Hoc crescere est, unde & merito dixit Baptista, *illum oportet crescere, me autem minui.* Decrevit capite diminutus Ioannes, Christus auctus & exaltatus in Cruce est. Christus etiam, qua nocte tradebatur, sciens *quia a Deo exivit, & ad Deum vadit, & quia dedit ei omnia Pater in manus*, cum ita magnum se esse certò sciret, ut maior, nec excelsior esse posset, uno modo crescere potuit, summittendo se ad pedes Discipulorum, ut eos lavaret, insuper & seipsum in cibum & potum daret. *O res mirabilis! manducat Dominum servus, pauper, & humilis!* Hoc etiam modo sicut in Cruce crescit, sicut in resurrectione assurgit, sicut in Ascensione ascendit, unde & *in memoriam passionis, resurrectionis & ascensionis Domini nostri Iesu Christi* consecramus & communicamus. Crescit se summittendo Christus & consecratus, & sacramentatus, & idcirco post consecrationem elevat hostiam, elevat & Sacerdos calicem, & adstantes omnes flexis genibus Christum adorant: Rite itaque ac rectè Ambr. in Psalm. 118. *Qui nihil habebat*, quod ad potestatem suam adderet, *habuit quod ad cultum suæ maiestatis adjungeret.* Subiungit; *Quanta fecit Dominus, (audeo dicere) & non flexi ei genu, flexi autem postquā se humiliavit.* Humiliavit se in Virgine, Cruce & Sacramento, securus magnitudinis suæ, manens firmus ac fixus in statu suæ deitatis ac divinitatis. Quid ergo magni fecit, si nullo se exposuit damno aut detrimento? Fecit, quod potuit, ut quod tu possis, illud ipsum in gratiam eius efficias. Fecit quod potuit erga Virginem, cum canat ipsa de se; *Fecit mihi magna, qui potens est:* fecit & erga nos, quod potuit, redimendo nos & alendo, sicut

Ioa. 13. 3.

Luc. 1. 49 & eadem Virgo cantavit, *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mēte cordis sui, Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.*

Quæst. LVI.

An Sancta Trinitas communicet suas divinas proprietates dignè Communicantibus?

QUamvis apud Deum tres omnipotentes non sint, sed unus tantum sit omnipotens Deus, nihilominus tamen omnipotentia divino ascribitur Patri, quotusquisque fatetur in Symbolo; *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Quamvis sancta Trinitas una & sola sapientia sit, illa tamen attribuitur Fi lio, qui nascitur & oritur ex mente & ore æterni Patris, & ipse testatur de se; *Ego ex ore Altissimi prodivi.* Licet summa bonitas

Ecc. 24. 5 sola & una Divinitati conveniat, cum Spiritus sanctus promanet ex voluntate Patris & Filij, & voluntas circa bonum versetur, efficitur, ut Spiritus sanctus ratione suæ originis dicatur bonus, & sit. Quærimus igitur an virtute sanctæ communionis derivet homo in se, & sibi vendicet divinas proprietates, omnipotentiam Patris, sapientiam Filij, bonitatem Spiritus sancti. *Sed quis similis tui in fortibus Domine?* ut divinos mores & condi-

Exo. 15. 11 tiones assumere audeat, cum sciat, quam malè cesserit Lucifero, quando

Isa. 14. 14 efferri se voluit, inaniterque elatus dixerit; *Similis ero Altissimo?*

Tres divinæ proprietates datæ communicantibus. Certum est, quod Sacramentum Eucharistiæ omnes tres personæ divinæ declarant esse opus supremæ suæ omnipotentię, sapientiæ, & bonitatis summæ. Elucet in hoc opere omnipotentia Patris, Christus enim sacram hostiam consecraturus elevatis oculis ad Patrem suum omnipotentem,

tem, aggressus & ingressus tantum hoc mysterium est. Prædixerat ita fore præcinens Virgo in montanis; *Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles, Esurientes impleuit bonis.* Igitur cum populus Hebræorum dixit olim, *Numquid & panem poterit dare?* blasphemo ore omnipotentiam Patris offendebat, sicut & illi, qui perfide rogarunt; *Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum?* Splendet in hoc Sacramento sapientia Filij. Sapientia quippe Dei incarnati est, quæ immolavit victimas tuas, & proposuit mensam suam, & quæ invitat, *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Resplendet in hoc Sacramento bonitas Spiritus sancti, *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans Virgines?* exclamatque propterea Ecclesia; *O quam suavis est Domine Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cælo præstito esurientes reples bonis.* Luc. 1. 50. Pf. 77. 20. Ioa. 6. 53. Prou. 9. 5. Zach. 9. 17.

Per suam omnipotentiam ita assistit Pater Eucharistiæ, ut & illam communicet Sacerdotibus, qui solum per summam potentiam Dei possent tale conficere opus, quale est per verba consecrationis creare corpus & sanguinem Christi sub formis panis & vini. Divinæ quoque omnipotentiæ particeps fit, qui dignè sacram Synaxin percipit, ut & dicere liceat; *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Hęc causa, propter quam multa iudicata impossibilia, possibilia fiant post perceptionem sacrosanctę Eucharistiæ. Impossibile erat Eliç, cum esset ad umbram iuniperi vlterius procedere, sed postquam cibum & aquam mysticam accepit, in fortitudine cibi & potus ad montem Dei perrexit, & ad illum pervenit. Quamobrem Bernard. Sermon. de cæna Domini diffidenti homini de virtute sua ac dicenti. *Quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris ferre queat?* respondet, *Confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securis sitis, Sacramenti Dominici corporis & sanguinis pretiosi inuestituram habetis.* Post investituram principatus potest Rex & Imperator, quæ non poterat, & post investituram venerandę Eucharistię nova potentia fruitur anima communicantis, qua antea non fruebatur. Per suam quoque sapientiam adest Filius, quam communicat Sacerdotibus, eos docens & monens. *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Reddit quoque sapientiæ suæ consortem digne communicantem, *Cibavit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ potavit illum.* Quapropter Filius ex mente & ore Patris missus, & emissus ait, *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Quales sint effectus Sapientiæ producti in anima communicantis, ex parte declarat S. Laurent. Iustinianus Sermon. de Eucharistia; *Mira divinæ sapientiæ dispensatio, miraque prudentia, ut illius tentationes a tentatione te liberent, eius te sanet infirmitas, ipsius obedientia te obtemperantem faciat, te vivificet mors, te spiritualem eius efficiat caro.* Assistit denique per suam bonitatem Spiritus sanctus, cuius præ cæteris Sacerdotes oleo Spiritus divini inuncti primas partes habent, secundas communicantes, unde & David Psalm. 135. inquit, *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Ad eius decantandam bonitatem adducit multa, quæ Deus in gratiam sui populi præstitit, & omnia coronat dicens. *Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia eius;* statim iterat ac repetit; *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Spiritus sanctus bonitate sua implet Sacramentum altaris, de cuius plenitudine accipiunt omnes, nemo ad hæc accedit mysteria, ex quibus melior non redeat, ut ait idem Iustinianus. Sermon. de Eucharistia, *Huius sumptione* Phil. 4. 13 Eccl. 15. 3 Ioa. 6. 58. Ps. 135. 1

 efficitur

efficitur homo alius, non per naturam, sed per gratiam, mutaturque totus in melius. *Quis similis tui in fortibus Domine, quis similis tui?* Similis tui est in potentia, quisquis virtute sacræ Communionis facit totum, quod potest. *Quis similis tui?* Similis tui est homo, qui tua instructus sapientia post sacram cõmunionem, non humana tractat sed divina. *Quis similis tui?* Similis est in bonitate, ac sanctitate, quisquis augetur, ac crescit tanti perceptione & perfectione Sacramenti, non ex sua virtute, sed ex gratia Spiritus sancti. Procul hinc, qui suis innixus viribus similis esse Altissimo voluit, factus per omnia dissimilis, quod noluit.

Quæst. LV.

An sint in communicantibus proprietates Angelorum?

DE hominis conditione tam humili quam sublimi egit David Psalm. 8. *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Hoc ad hominis pertinet humilitatem; quæ postea sequuntur, ejus dignitatem & sublimitatem astruunt; *Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus eius.* Nõ ita sursum assurgit, ut & Angelis sit æqualis, cum ibidem Vates dixerit; *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Qui minor ita sit Angelis, qui fieri potest, ut angelicas conditiones attingat, & ad proprietates cęlestium spirituum ascensum facere queat?

Communicantes non ē Choris Angelorum assimilantur.

Panem Angelorum manducavit homo. & illum manducando tantum accipit augmentum & incrementum, ut ad gradum Angelorum virtute sacræ Communionis se transferat. Hujus assumpti probatio pendet ex ijs, quæ S. Isidor. lib. 7. Orig. c. 5. scribit; *Angeli Gracè vocantur, Hebraice dicuntur, Malooot, Latine vero nuncij interpretantur, ab eo quod Domini voluntatem populis nuncient. Angelorum autem vocabulum, officij nomen est, non naturæ: semper enim* Ps. 77. 25. *spiritus sunt, sed cum mittuntur, vocantur Angeli. Quibus ideo pictorum licentia pennas facit, ut celerem eorum in cuncta discursum significent.* Habet hanc vim Eucharistia, ut hominem carnalem reddat spiritalem, *Qui adheret Domino,* 1. Cor. 6. 17. *unus spiritus est.* Tantæ quoque virtutis est, ut ad exequenda mandata divina addat animos & alas, sicut præluxit in Elia, qui post typicum panem acceptum indesinenti gressu festino, ac celeri ad montem Dei advolavit. Exprimento quoque discimus, ut is, qui tardi sunt ad obedientiam, per sumptionem sacræ Synaxis summa celeritate præstent id, quod sibi divinitus injungitur, & imponitur. Quæ causa est, propter quam in oratione Matt. 6. 10 Dominica postquam oravimus, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra:* addimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* ex quo supersubstantiali pane promptitudo pro facienda & implenda voluntate Dei in terra, sicut in cælo procedit ac nascitur.

Assimilantur Archangeli.

Panem Angelorum manducavit homo, ut non solum Angelorum, sed etiam Archangelorum mores & proprietates imitetur. Archangelorum utitur ministerio Deus pro rebus magnis, sic usus est Archangelo Gabriele pro mysterio Incarnationis, & nocte supremę cænæ post susceptionem Eucharistiæ Christus destinat ad magna Apostolos omnes, quemadmodum per aliquot capita scribit, & describit Ioannes Evangelista. Et quidem duo discipu-

discipuli, quos Christus voluit esse magnæ suæ resurrectionis testes, ut illam Apostolis annunciarent, cognoverunt illum prius *in fractione panis* Eucharistici, cuius virtute reddebant testimonium Iesu Christi Domini nostri. Nec vacat mysterio, quod cum ad generalem totius mundi prædicationem mitterentur; *Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ*, præmiserit Evangelista; *Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Iesus*. Vocavit eos a mensa, in qua nocte cænę recubuerunt, ad annunciandum Evangelium, quod Archangelus nunciavit pastoribus nocte Nativitatis, cum dixit, *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Et quidem tamquam Archangelos intueri & revereri debemus Sacerdotes, qui annunciant nobis tātum, tamque magnificum mysterium, idem enim est, quod Archangelus Gabriel Virgini revelavit, Iosepho & pastoribus, & quod suis fidelibus Ecclesiæ pastores annunciant, proponunt, & exponunt.

Luc. 24. 30.

Marc. 17. 16.

Luc. 3. 10.

Panem Angelorum manducavit homo, ut in se referat Virtutes Angelicas. Nuncupatæ Virtutes a rebus mirandis, quas patrant. *O res mirabilis, manducat Dominum pauper servus & humilis*: in quo miranda resplendent, satis hoc mirabile est, *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Hoc quoque mirabile est, *Non sicut māducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Affert secum Eucharistia effectus & virtutes mirandas, de quibus Alexand. Alens. inquit; *Quantum ad tria, augentur in hoc Sacramento virtutes. Primo quantum ad roborandum contra tentationem adversitatis, unde dicitur panis confirmans cor hominis: secūdo, quantum ad efficaciam efficiendi animam sobriam contra incentiva voluptatis, unde Gloss. super illud, Marc. cap. 14. Accepit Iesus panem; ebrietas felix, salutaris facietas, quæ quanto amplius sumitur, tanto sobrietatem mentibus dognare dignatur. Et quantum ad curationem venialium, unde Gregor. in hom. Paschal. Dedit nobis hoc Sacramentum salutis, ut quia nos quotidie peccamus, & ille iam mori non potest, per istud Sacramentum remissionem peccatorum consequamur,*

Cælestibus virtutibus similes.

Ioa. 6. 58.

Panem Angelorum manducavit homo, Quem Deus effert, & evehit, ut sedeat, & edat ad mensam cum Principatibus Angelorum, *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & terra: Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui?* Principatus, ut citatus Isidorus ait, *Angelorum agminibus præsunt; qui pro eo, quod subditos Angelos ad implendum divinum ministeriū disponunt, principatus vocabulum acceperunt. Nam alij, qui administrant, alij, qui assistunt, sicut per Danielem dicitur; Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Cum Principatibus cæli conveniunt in nomine Apostoli & Apostolici Sacerdotes, qui pręsunt alijs, ut impleant suum ministerium, *Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui Domine.* Memores sunt in consecratione, iuxta illud Christi præscriptum; *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Nec solum consecrantes, sed etiam communicantes memoriam Christi faciunt, cum exclament, *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis*: & ijdem ipsi pertinent ad sublimem principatus gradum, quos alloquens Apostolus Petrus monet; *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.*

Principatibus similes.

Ps. 112. 5.

Ps. 44. 18

1. Pet. 2. 9.

Panem Angelorum manducavit homo, ut angelicis Potestatibus similis efficiatur. *Potestates sunt*, teste Isidoro, *quibus virtutes adversæ subiecta sunt: & inde potestatum nomine nuncupantur, quia mali spiritus eorum potestate coercentur, ne tantum mundo noceant, quantum cupiunt.* Hanc etiam potestatem affert secum

Similes potestatibus.

Ps. 22. 6.

secum Eucharistia, de qua David : *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me:* & paulo ante, *Si ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Quò pertinet monitum illud Chrysostomi hom. 62. ad popul. Antiochen. *Tamquam leones igitur ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles.* Communicantes terribiles fiunt dæmoni, qui virtute & potentia sumptę Synaxis coercetur, ne noceat, quantum cupit & potest. Quantum diabolus nocumentum efficiat, ubi exulat sacra Communio, damno suo didicerunt & discunt, non solum privati homines, & domus, sed etiam Status, provinciæ, regna & imperia, quæ propterea vel perierunt, vel adhuc misere pereunt. Ecclesia, ubi sacra Eucharistia est, in tuto plane est, *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* semper
Matt. 16. 17. stabit, quamdiu sacra hęc durant mysteria, secundum illud oraculum; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Ps. 28. 20.

Similes Dominationibus. *Panem Angelorum manducavit homo*, ut more cælestium Dominationum comparet sibi & acquirat dominatum. *Dominationes*, secundum Isidor. *sunt hi, qui etiam Virtutibus, & Potestatibus praeminent, qui pro eo, quod cæteris Angelorum agminibus dominantur, Dominationes vocantur.* Christus Rex regum & Dominus dominantium est. Agit Regem in Eucharistia Christus, *Pange lingua gloriosi corporis mysterium, sanguinisque pretiosi, Quem in mundi pretium. Fructus ventris generosi Rex effudit gentium.* Agit quoque in Eucharistia Dominum, *& Dominus quidem Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem.* Ita
1. Cor. 11. autem Dominus in Eucharistia est, ut sit *Dominus dominantium*, unde & David ait, *Confitemini Domino dominorum:* & postea: *Qui dat escam omni carni,*
Ps. 135. 3. *quoniam in æternum misericordia eius.* Non tam Dominus servorum & inservientium, quam dominorum ac dominantium ille est, *qui dat escam omni carni.* Qualem escam? de qua dicit David, ut advertit S. Hilar. *Memoriam*
Ps. 110. 4. *fecit mirabilium suorũ misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Accedens igitur homo ad panem Angelorum, accipit angelicam dominationem, ut non more servili, sed dominico serviat Deo, & Deo alios servire doceat. *O res mirabilis! manducat Dominum pauper servus & humilis!* Humilis ut elevetur, pauper ut ditetur, servus ut dominetur.

Sedibus cælestibus similes. *Panem Angelorum manducavit homo*, ut sit sedes Sapientiæ, sit sublimis thronus, in quo Christus sedeat, & requiescat, iudicet simul & regnet, sicut sedet in angelicis thronis, de quibus Isidor. *Throni sunt agmina Angelorũ, qui Latino eloquio Sedes dicuntur, & vocati Throni, quia illis Conditor præsidet, & per eos iudicia sua decernit & disponit.* Habet sedem, habet thronum Chri-
Ioa. 6. 57. stus in eo, qui percipit Eucharistiam; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Requiescit in illo a labore sanctæ passionis, *recolitur memoria passionis eius.* Pręsidet in illo, & in eo iudicia sua discernit, & disponit; ac proinde postquam dixerat David; *Lauda Ieru-*
Ps. 147. 1. *salem Dominum, lauda Deum tuum Sion, &c. Qui ponit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te,* concludit, *Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis.* Deus, qui sedet in excelsis Thronis Angelorum, ita disponit, & ordinat sua iudicia, ut dignos afficiat præmio, indignos convivas pæna, quod & præstat in Eucharistia, *Mors est malis, vita bonis.* Pertinet ad remunerationem; *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat*
Ioa. 6. 58. *me, & ipse vivet propter me.* Pertinet ad punitionem, quod ait Apostolus 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans*
corpus

corpus Domini. Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Apposite igitur monet Sacerdotem Sermon. de Eucharistia Iustinian. *Accedat Sacerdos ad altaris tribunal, ut Christus, assistat ut Angelus, ministret ut sanctus, populorum offerat vota, ut Pontifex, interpellet pro pace, ut mediator, pro se autem exoret ut homo.*

Panem Angelorum manducavit homo, totus Cherubicus redditus. De Cherubinis hæc Isidor. *Sunt sublimia agmina Angelorum, qui pro eo, quod vicinius positi divinæ scientiæ cæteris amplius pleni sunt, Cherubin, hoc est, plenitudo scientiæ appellantur. Ipsa sunt duo illa animalia supra propiciatorium arcæ ficta ex metallo, propter significandam Angelorum præsentiam, in quorum medio ostenditur Deus.* Habet hanc vim sacra Synaxis, ut homines reddat sapientes, scriptum enim est, *Cibavit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ potavit illum.* Nihil esse potest magis coniunctum ac propinquum comedenti atque bibenti, quam cibus & potus, in quo Deus ipse est, ac proinde secundum ritum Cherubicum non possunt non esse sapientes, qui ad illum ita accedũt, ita appropinquant. Et quidem duo discipuli, quibus post sanctam resurrectionem occurrit Christus in via, & dixit, *O stulti & tardi corde ad credendũ!* paulo post *cognoverunt eum in fractione panis*; & toti sapientes redditi de divinis mysterijs, Apostolos etiam ipsos instruxerunt. Convenienter igitur monet David; *Accedite ad eum, & illuminamini;* sicut illuminati sunt discipuli duo, quibus mysterium Eucharisticum repræsentatum est. Accedite & illuminamini more sacrorum Doctorum, quorum plenitudo scientiæ ex hoc ipso Sacramento profecta est. Coniunxit Apostolus, *Pastores & doctores*, ut ostendat eos, qui nos pascunt divinis mysterijs, simul esse ministros sermonis & doctrinę.

Assimilantur Cherubinis. Eccl. 15. 3 Luc. 24. 25. Ps. 33. 6. Eph. 4. 11

Panem Angelorum manducavit homo, ut totus Seraphicus fiat. *Seraphin*, ut notat Isidor. *multitudo Angelorum est, qui ex Hebræo in Latinum ardentes, vel incendentes interpretantur. Qui idcirco ardentes vocantur, quia inter eos & Deum nulli alij Angeli consistunt, tanto magis claritate divini luminis inflammantur. Vnde ipsi velant faciem & pedes sedentis in throno Dei, & idcirco cætera Angelorum turba videre Dei essentiam plenè non valet, quoniam Seraphin eam tegit.* Communicantes Christus Seraphicos esse vult, qui dicit, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur.* Ardebat ille amore, cum Sacramentum instituit, *In finem dilexit eos*, & post sacram Communionem accensos esse voluit Apostolos, quibus legem charitatis indixit, *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Et primi fideles, qui frangebant circa domos panes, Seraphici erant, cum essent *cor unum, & anima una.* Ardentes nos vult esse hom. 62. Chrysostom. *Tamquam leones ignem spirantes ab ea mẽsa recedamus.* Ardentes nos vult esse Domascen. lib. 4. fidei Orthodox; *Accedamus desiderio ardenti manus in Crucis modum formantes, Crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes oculos & labia, & frontem divinum carbonem concipiamus, ut ignis in nobis desiderij comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione divini ignis igniamur.* Quisquis sic ignitus est, Seraphicus est, nihil medium inter Deum & seipsum habens, ut & dicere possit; *Quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram?* & cum Seraphico Francisco, *Deus meus & omnia* clamare, atque exclamare queat.

Assimilantur Seraphinis. Luc. 12. 49. Ioan. 13. 1 Ioa. 15. 17. Ps. 72. 25

Cum autem dixerit David Deo; *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, venit ad sacram Communionem homo, ut quod illi deest, acquirat per Eucharistiam. Itaque *panem Angelorum manducavit homo*, ut homo totus angelicus efficiatur. De uno eodemque pane participant Angelus & homo, *Paritas Angelorũ & hominum*

cum

cum hoc tamen discrimine, ut virtute panis, quo fruitur in statu beatitudinis, Angelus non crescat, crescit autem homo, qui adhuc mortalis est, & augeri potest, & ita augetur per gratiam Sacramenti, ut par Angelis reddatur, ne dicam, maior & superior, siquidem ut ait Chrysostom. hom 83. in Matth. *Cogita qualis sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde splendorem, huic nos unimur, & pascimur, & facti sumus unum Christi corpus, & una caro.* Est cur invideat homo Angelo, quod non habeat corpus, non habeat carnem & sanguinem, unde tot mala homini proveniunt: est quoque cur Angelus invideat homini, quod carnem & corpus possideat, ut communicet, & communicando ita crescat & augeatur, ut fiat unum corpus cum Christo & una caro, ex qua summa & infinita bona promanant.

Quæst. LVI.

An sint in communicantibus proprietates Beatorum?

DOtes ac proprietates corporum beatorum quatuor sunt, impassibilitas, claritas, subtilitas, & agilitas, quas quis credat posse convenire communicantibus, cum post sacram Synaxin maneant mortales, nec claritate, subtilitate & agilitate donētur? Cum communicamus, *futuræ nobis gloriæ pignus datur*, & cum futura sit gloria, futurę quoque erunt eius dotes & proprietates, quarum quoque pignus erit venerabile Sacramentum.

Dotes beatorum quatuor participant Communicantes.

Verumenimvero cum is, qui communicat, & Christus, qui communicatur, fiant unum corpus & una caro; impossibilitas, claritas, subtilitas & agilitas, quæ sunt in glorioso corpore Christi, pertinebunt ad carnem cōmunicantis, ut dicat, *Vivo ego, iā non ego, vivit vero in me Christus*: Christus inquam ornatus & decoratus proprietatibus gloriosis. Dixit Paulus, *Omnia possum in eo, qui me confortat*: possum in Christo esse impassibilis, ut nec pœnas nec tormenta sentiam, gaudeam potius, *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*: possum clarescere in Christo, *Nos gloriam Domini speculantes transformamur a claritate in claritatem*: possum in Christo ad cęlos euolare, & eosdem penetrare, raptus in tertium cælum, & in eo communicationem meam stabilire, *Conversatio nostra*, inquit, *in cælis est*. Dicat quoque is, qui communicat, *Omnia possum in eo, qui me confortat*: in illo non patior, in me patior, in illo clareo, in me inobscuror, in illo subtilis fio, in me sum vastus, in illo volo, in me moror.

Gal. 2. 20 Phil 4. 13 2. Cor. 74 2. Cor. 3. 18. Phil. 3. 2[0]

Ioa. 6. 8. Patratur in eo, qui communicat incarnati verbi mysterium. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrē, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Cum hoc ipsum mysterium in Virgine patraretur, apparuit Virginitas Matris, quatuor prædictis dotibus gloriosa. Apparuit Virginitas immortalis & impassibilis; immotalis quidem, quia perpetua ante partu, in partu, & post partum: impassibilis vero, quia nullum detrimentum passa est. Resplenduit claritate conspicua, *O quam pulchra est casta generatio cum claritate*, quę in stabulo visa est? Nec defuit subtilitas, siquidem clausis Virginitatis ostijs prodivit in mundum infans, quem *pannis involuit, & reclinavit eum in præsepio*, ut declararet suam agilitatem præter morem & ordinem-

dinem reliquarum puerperarum, quæ post proles suas effusas manent ita fractæ, ut ęgrè se movere possint.

Quæst. LVII.

An in communicantibus sint proprietates cælorum?

QUale sit cælum, & quales sint eius conditiones ac proprietates, declarat Isidor. lib. 3. Orig. cap. 30. *Cælum Physici rotundum volubile atque ardens esse dixerunt, vocatumque hoc nomine, eo quod tamquam vas cælatum impressas habeat figuras stellarum. Distinxit enim id Deus claris luminibus, & implevit, sole scilicet, & luna orbe fulgente, & astrorum micantium splendentibus signis adornatur.* Cum autem Chrysostom. hom. 24. in 1. ad Corint. dicat, *dum in hac vita sumus, ut terra nobis cælum sit, facit hoc mysterium*, inquirere oportebit, an cælestes proprietates huc etiam adducat sacra Eucharistia, in bonum & commodum hominum communicantium.

Conveniunt non solum incarnatæ, sed etiam consecratæ Sapientiæ, *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Fert secum auroram, solem, lunam, & astrorum castra, ut veniens in terram ex terra cælum Christus natus & consecratus faciat. Aurora, sive aurea hora præit ac præcedit diem, & *ante diem festum Pascha sciens Iesus, quia venit hora eius* seipsum consecravit. Luna est sacra humanitas, quæ tot passa est decrementa tempore vitæ & mortis, cujus memoria passionis agitur in altari. Sol non deficit, nec divinitas deficit in Cruce & in Eucharistia, in qua Deus verus est, colitur & adoratur. *Terribilis ut castrorum acies*, adstruitur & construitur ab Angelis, qui assistunt huic sacrosancto mysterio instar luminarium cælestium. Ergo cum hoc Sacramentum in sacrato suo calice est, considerare illud oportet instar cæli vocati hoc nomine, *eo quod tamquam vas cælatum impressas habeat figuras stellarum. Distinxit enim id Deus claris luminibus, & implevit sole scilicet, & luna orbe fulgente, & astrorum micantium splendentibus signis adornatur.* Quod si cælum rotundum est, cuius forma perfecta est, cælestis hæc victima perfecta est, antiquæ vero hostię imperfectę erant, *Antiquum documentum novo cedat ritui.* Hoc quoque mysterium volubile est, quod ad omnes vertitur, & ad personas omnes convertitur. Quod si ardens cælum est, ardet in Eucharistia Deus, *Deus vester ignis consumens est.* Expertus id dicit Moyses, qui vidit Deum in rubo totum ignitum, & incombustum, rubum accendentem, ac custodientem.

Cælestes communicantium proprietates. Cant. 6. 9 Ioa. 13. 1. Deut. 4. 24.

Cælestis sphęrę motus, ait Isidor. *duobus axibus volvitur, quorum unus est septentrionalis, qui nunquam occidit, appellaturque Boraalus: alter Australis, qui nunquam videtur. Axis est septentrionalis linea recta, quæ per mediam pilam sphæræ tendit, & dicta axis quod in ea sphæra, ut rota volvitur. Poli sunt circuli qui currunt per axem. Horum alter est septentrionalis, qui nunquam occidit, alter Australis, qui nunquam videtur*, Cælica Eucharistię Sphęra duobus polis vertitur ac volvitur, cum sit signum invisibilis gratiæ. Non occidit Christus in hoc Sacramento, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi:* nunquam idem videtur, *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides*, quæ est secundum Apostolum, *Sperandarum substantia rerum, argumentum*

Mat. 28 20.

gumentum non apparentium. His duobus polis innititur hoc mysterium, ut prę oculis habeatur, & panis ac vinum esse videatur, nec tamen videatur id, quod sub formis panis ac vini continetur. Et quidem cum Christus rogavit. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* & Petrus respondit; *Tu es Christus filius Dei vivi,* Apostolica eius fides eisdem polis incumbebat, videbat enim Petrus filium hominis, & in eo Deum, quem non intuebatur, credebat, sicut & Thomas, cum exclamavit, *Dominus meus & Deus meus.* Contemplatus est gloriosum hominem, Deum vero, quem visu non assequebatur, mente coluit. Uterque Apostolus rectam lineam per cælum tetendit, & eo pervenit, quo progredi potuit, ultra vero non potuit, cum Deus invisibilis foret, quorum imitator est, qui recte sentit de hoc Sacramento, videndo quæ videnda sunt, nec ulterius procedendo, sed firmiter, fideliterque credendo.

Matt. 16. 13.

Ioa. 20. 18.

Sub hoc cælo mystico Christi sumus omnes fideles, & cęlestes nos esse oportet. Cælum altum & sublime est, & qui communicant & sacrificant, sursum habere corda debent. Cælum incorruptibile est, & incorruptis moribus sit, qui accedit ad aram; *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Cælum illustratur & ardet, ardeat ille, qui dignè participat Eucharistiam, iuxta doctrinam illam S. Dionysij de cælesti Hierarch. *Dominus noster & Deus, qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratissimum in sui traducit effigiem, deiformesque reddit.*

1. Cor. 11. 28.

Quæst. LVIII.

An sint in communicantibus proprietates gemmarum, & lapidum pretiosorum?

COmmune quid est, quod datur in sacra Communione, & gratis. Quid ergo Eucharistię cum gemmis? quid cum lapidibus pretiosis? Pretiosi lapides sunt, ut ait Isidor. lib. 16. Orig. cap. 6. *Quia carò valent, seu rari sint. Omne enim quod rarum est, magnum & pretiosum vocatur, sicut & in Samuelis volumine legitur, Et sermo Domini pretiosus erat in Israel, hoc est, rarus.* Huic quęsito ut respondeamus, & simul ostendamus, quam sibi consonent gemmæ, & sacrę hostiæ, videamus ea, quæ agentes de gemmis loquuntur auctores, & sacris hisce mysterijs possunt convenire & deservire.

Materia gemmæ, et Eucharistia.

Apud Albert. Magn. 1. de Mineralib. cap. 3. Gemmarum materia communis est aqua, sunt enim vitra naturæ producta, cui aquę est immixtum subtile. Gemma, omnis lapis pretiosus sive pellucidus, sive obscurus. Sine aqua panis & vinum non sunt, quæ in altari consecrantur, ut istar gemmæ procedat indè Eucharistia, procedat non naturæ, sed gratię vitrum, cui aquę est immixtum subtile? Quod si pretiosus lapis pellucidus, sive obscurus est, pellucida est sacra Eucharistia, per quam Deus nos videt, & nos Deum videmus. *Gustate & videte, quoniam suavis Dominus,* cum autem sit *mysterium fidei,* subobscurum est oculis humanis.

Ps. 33. 9.

Gemma animata est sacra Eucharistia.

Gemmarum naturam, & originem differentes errarunt in eo, quod eas animatas esse existimarunt. Neque enim nutriuntur gemmæ, quod convenit animalibus omnibus, ut tradit Aristot. lib. 1. magnor. Moral. cap. 5. Origo igitur gemmarum, discrimina, vires, & effectus earum cælo, & astris attri-

attribuuntur. Cælum enim diversas virtutes rebus imprimit, prout diversa se obtulerit constellatio. Est enim materia gemmarum purissima, earumque operationes a forma prodire certissimum est. Mirabilis est gemma Eucharistia, tota animata est, & tamen illa non nutritur, sed nutrit, cum sit cibus & potus; *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Ioa. 6. 55 Habet hæc ortum & originem a cælo; *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Habet a cælo vires, effectus, & virtutes, quas ibi accepit a Patre, & in suos communicantes derivat. Huius materia gemmæ purissima est, quam accepit a purissimis Mariæ sanguinibus, & cum Dei viriles eius operationes fiat, certum est a forma divinitatis illas procedere ac provenire.

Gemmarum differentiæ communiter desumuntur vel a quantitate, vel a nitore, vel denique a colore: addunt alij effectus & vires: alij duritiem & mollitiem, ut a lima comminui non valeant. *Sub diversis speciebus, signis tantum & non rebus latent res eximiæ,* cum eadem quantitate, nitore, & colore, cujus Christus in cælo est. Quos effectus Eucharistia habeat, quales habeat vires, nemo est, qui nesciat. Mollis & dura est, dura incredulis, qui dicunt, *Durus est hic sermo*: dura peccatoribus, mollis justis & bonis, *Mors est malis, vita bonis.* Ioa. 6. 61 Longè est Eucharistica gemma, ut a lima comminui queat, cum canat Ecclesia, *Nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura, Qua nec status nec statura signati minuitur.*

Gemmarum nitores quinque dicit esse Cardanus, sunt gemmæ quę rutilant, ut Adamas: nitent ut Sapphyrus, languida ut carneolus: inæqualis ut Iaspis, obscura ut lapis Fulmineus. Habet & hos Eucharistia nitores. *Nitores Eucharistici.* Rutilat ut adamas, siquidem in ea est *candor lucis æternæ.* Nitet ut Sapphyrus cæruleo colore præditus, cum sit panis cælestis, *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Ioa. 6. 59. Languet ut carneolus, cũ in mystica carne Christi memoria passionis agatur & recolatur. inęqualis ut Jaspis est, quatenus splendet ut homo, quatenus resplendet ut Deus, quatenus a bonis editur, quatenus a malis comeditur. *Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis quam sit dispar exitus.* Similis Fulmineo lapidi *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*; & cum sit *mysterium fidei*, obscurum sit, consequens planè efficitur.

Gemmarum colores septem numero designantur. Albus, flauus, rubens, viridis, cæruleus, vinosus, & niger. *Colores sacræ gemmæ.* Niger in quadam Achatis specie invenitur, vinosus in Amethisto; cæruleus in Sapphyro; viridis in Smaragdo; rubor in carbunculo; flauus in Chrysolito, albus in Chrystallo. Cæteri autem colores ad hos reducuntur. Nigricat ut Achates Eucharistia, cum recolitur memoria funestæ passionis, in qua Christus ita denigratus est. Refert vinum ut Amethystus, cum sub formis, & accidentibus vini constituitur. Refert cælum, ut Sapphyrus, cum cæleste sit alimentum. Viridis est ut Smaragdus propter spem, quam secum affert. *Futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Rubet ut Carbunculus, candicat ut Chrystallus, de quo Sponsa, *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Cant. 5. 10 Candidus in carne, rubicundus in sanguine, qui cum sit & aureus, apparet, & reipsa est instar Chrysoliti. Habet itaque sacra Eucharistia nitores, habet & colores gemmarum, quid ni vires?

Gemmis varias à natura vires inditas experientia nos docet, idque pro diverso cæli aspectu. *Vires & virtutes Eucharistiæ.* Siquidem Magnes ferrum trahit, quo tamen effectu eum privari volunt, dum adamãti opponitur. Achates & Iaspis sanguinem

guinem sistunt. Ebrietati resistit Amethystus. Somnum conciliat Hyacinthus. Carbunculus pesti medetur. Ad hæc gemmis attribuunt sanitatem, ingenium, gaudium, ac similes animi affectus Albertus Magnus & Cardanus. Quin aliæ visum corroborant, aliæ continentiam augent, venenis resistunt, morbisque varijs medentur, partum facilem reddunt, abortum cohibent, &c. Lex veterum sacrificiorum trahebat ad se ferrum, quo animalia iugulabantur, accessit adamas Eucharistiæ, sustulit ferrum, & gladium, & inermem illam reliquit. Agathes & Iaspis sanguinem sistunt, sistit Eucharistia sanguinem veterum hostiarum: immo & cruenti sacrificij Christi cruor hic sistitur. Resistit ebrietati sacra Eucharistia, cuius hæc virtus est, ut animam sobriam reddat. Somnum mortis conciliat, cum accipitur in Viaticum, Errorum & hæresum pesti medetur, cum sit *mysterium fidei.* Confert sanitatem, & idcirco ægris conceditur. Auget ingenuum hominis, cum scriptum sit, *Cibavit eum pane vitæ, & intellectus:* affert gaudium. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*: confert continentiam. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum & vinum germinans Virgines!* Venenis resistit, quæ expuit in Evam & eius posteros antiquus serpens, mortalia illa erant, contra quæ non prævaluit manna, prævalet Eucharistia; Ioann. 6. 59. *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Medetur varijs morbis corporis & animæ, cum sit *in remissionem peccatorum*, ex quibus morbi, & infirmitates proveniunt. Eucharistia facilem reddit partum matris Ecclesiæ, more Mariæ Virginis parientis suas proles. Et quidem Virgo ipsa facilem partum habuit, quoniam *hic est panis, qui de cælo descendit.* Et quia purissimus eius venter erat, *sicut acervus tritici vallatus liliis.* Nec est, cur sibi ab abortu Ecclesia timeat, cum habeat in se Eucharistiam, & in Eucharistia Deum; *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Quod si gemmæ visum corroborant, quid ni Eucharistia? *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Gemma gemmarum illa ad vires, affectus, & effectus, sicut etiam ad pretium & æstimationem.

Eccl. 15. 3. Ps. 83. 5. Zach. 9. 17. Ioa. 6. 59. Ps. 33. 9. Ps. 33. 9.

Pretiosa Eucharistia.

Pretia gemmarum instabilia sunt, & ab hominum opinione pendent. Tempore Romanorum Achates habebatur lapis omnium pretiosissimus, & memoratur eum tunc præ alijs excellentiorem habuisse Pyrrhum, qui cum Romanis bellum gessit. Polycrates Samiorum tyrannus habuit Sardonichem maximi pretij, annulo inclusum, quem in mare projectum, eo quod nihil triste accidisset ei unquam, piscis, qui annulum ore exceperat, captus, mensæque illius illatus retulit. Quam gemmam vult Petrarcha Dialog. 36. multis sæculis ab Augusto Cæsare coemptam, aureæque coronæ insertam, concordiæ templo dedicatam fuisse. Cleopatra Ægypti Regina in calice propinavit Antonio gemmas duas arte chymica liquefactas, æstimatas 50. millibus sextertium. Nec dubium, quin sint in thesauris Regum & Principum maximi pretij gemmæ, quibus Provinciæ integræ & regna aliquando in pretio cedant. Quam æstimationem vocat Petrarcha periculosam vanitatem divitemque insaniam. Erat olim Romanis Achates in pretio, nunc autem Romanæ Ecclesiæ Eucharistia, cuius cultor bellum ille non infert, sed pro ea pugnat. Hanc divinitatis gemmam cælestis Pater, cui nihil triste accidit, sed neque accidere potest, proiecit in mare, unita est humanitati, & red-

& reddidit eam Patri, *Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Tunc elevatis oculis ad Patrem suum omnipotentem seipsum in Eucharistia Patri & obtulit & reddidit. Reddidit divinitatem divinę coronę Dei Patris concordiæ ergo post factam oblationem inserendam. Quod si Cleopatra duas tanti valoris gemmas liquefecit, in quibus propinaret Antonio, quid duæ illę ad Eucharistiam, in qua sancta mater Ecclesia semper propinat Deo, Angelis, & hominibus? Hæc gemma est excellentior omnibus gemmis, quę habentur in thesauris Regum & Principum, pretiosior omnibus regnis, nec tamen propterea periculosa vanitas est, & dives insania, siquidem *esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Ioan 13.1 Luc. 1 53.

Quanti olim fecerit Deus gemmas, satis ostendit, cum in lege veteri Moyses jussus ab ipso sit, ut Aaronis summi Sacerdotis vestem exornaret gemmis duodecim, quæ a pectore quasi supra cor ad vestimenti usque extremitatem propendebant, & in quatuor ordines distinguebantur. In quorum primo erat Sardius, Topazius, Smaragdus: in medio Carbunculus, Sapphyrus, & Iaspis: in tertio Lycurius, Achates, & Amethystus: in quarto denique Chrysolitus, Onix, & Berillus, auro inclusi & circumdati. His ipsis gemmis, ut refert Iosephus libr. 3. Antiquit. ornabatur & vexillum sacerdotale, ita ut illius majestate oculos hostium Hebræi obfuscarent, & semetipsos ad fortiter dimicandum animarent, & excitarent. Resplendebat in Aaron, quam splendidus esset futurus Christus in sacra Eucharistia, *Splendidum in panibus benedicent labia multorum:* Ecc. 31. 28 splendet sacris panibus, tamquam pretiosis gemmis. Refulgebant in vexillo sacerdotali, sicut & nunc in signis & vexillis Eucharistia, ut *panis cor hominis confirmet*, & simul hostes deterreat, *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Ps. 22. 5. Ps. 103. 16. Placet quoque nunc Deo, ut sacra vasa ad cultum Eucharistiæ pertinentia similibus gemmis, lapidibusque pretiosis exornentur, ut per externum illum ornatum lapidum pretiosorum pretiosi corporis & sanguinis Domini mysterium quale sit, cognoscatur, & in summo pretio ab omnibus habeatur. Et si placet, pro maiore confirmatione dictorum componamus sacram Eucharistiam cum octo lapidibus pretiosis, & eorum proprietatibus acceptis ab Isidoro lib. 16. Orig.

Eucharistia, & Smaragdus.

SMaragdus sicut ait Isidor. *Omnium gemmarum virentium principatum habet, cui veteres tertiam post margaritas & uniones tribuunt dignitatem. Smaragdus a nimia viriditate dicitur, omne enim satis viride Smaragdum sive amarum dicitur. Nullis enim gemmis vel herbis maior hoc austeritas est. Nam herbas virentes frondesque exsuperat, inficiens circa se viriditate repercussum aerem. Sculpentibus quoque gemmas nulla gratior oculorum refectio est. Cuius corpus si extensum fuerit, sicut speculum ita imagines reddit. Quippe Nero Cæsar gladiatorum pugnas in Smaragdo spectabat.*

Sacra Eucharistia convenit cum Smaragdo habens principatum cæterorum Sacramentorũ, in quibus viget & viret spes salutis humanę, per eã enim *futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Quod si veteres tertiã prærogativam post margaritas & uniones Smaragdo tribuerunt, cũ Christus in Patre sit, *Respondet Smaragdus in Eucharistia.*

 & etiam

& etiam in matre, post hæc tertia hæc dignitas est, ut animæ benè speranti communicabilis efficiatur. Cum autem sacra Christi passio in suo vigore & virore semper maneat & perseveret, eius amaritudo tota fit, & certè est plane Eucharistica. Spes omnes humanæ tandem marcescunt, similes campestribus herbis, etiam quæ in aulis Principum splendent, *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Salus in mystico Smaragdo est, in hoc solo Principe, in hoc solo Filio hominis, qui superat omnem mundanam, omnem humanam spem, sicut Smaragdus herbas virentes vincit, frondesque exuperat, afficiens circa se viriditate repercussum aerem. Habet hoc sacra Eucharistia, ut & aerem sacrarum ædium amænum reddat, sicut experiuntur ij, qui in sacris templis illum accipiũt & hauriunt, similes dicenti Davidi, *Os meum aperui & attraxi spiritum;* & exclamanti simul Ecclesiæ; *O quam suavis est Domine spiritus tuus!* Hęc ipsa Eucharistia refectio oculorum est, *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus;* & quidem ita grata hęc refectio est, ut excedat, quicquid est in rebus creatis amabile, visu pulchrum. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Extenditur Smaragdi corpus, ut instar speculi imagines reddat, extenditur corpus Christi in Cruce, ut ad viuum ubique in sacra Eucharistia memoria eius repræsentetur. Non more Neroniano ludos gladiatorum, sed exemplo Christiano in Smaragdo mystico ac Sacramentali certamina sacræ passionis, pugnas Christi cum morte, peccato & dæmone consideramus & contemplamur, ut & nos sequentes eius vestigia, cum eisdem hostibus decertemus, & victoriam reportamus.

(Marginal references: Ps. 145. 3. — Ps. 118. 131 — Ps. 33. 9. — Zach. 9. 17.)

Eucharistia, & Topazius.

TOpazius virentium gemmarum post Smaragdum est. Hæc gemma inquit S. Isidor. *Inventa primum in Arabiæ insula, in qua Troglodytæ prædones fame & tempestate fessi, cum herbarum radices effoderent, eruerunt. Quæ insula postea quæsita nebulis coopertatandem à navigantibus inventa est. Ob hoc locus & gemma nomen ex causa accepit, nam topazion Troglodytarum lingua significationem habet quærendi. Est autem amplissima gemmarum, eadem sola nobilium limam sentit.*

Resplēdet topazius in Eucharistia.

Eucharistia reperta est in sacra passione, & qui illam invenit, prædo nō erat, *Dum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit;* Erant Hebræi prædones, quorum occasione illa reperta est. Fessi illi erant, & famebant; loquebantur tamquam fessi, cum dicerent, *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Famebat & sitiebat sanguinem innocentem, cum responderet Caiphas, *Vos nescitis quicquam, neque cogitatis, expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & nō tota gens pereat.* Sic sitibundi ac famelici una voce dixerunt, *Eradamus eum de terra viventium,* & cum eius radices effodiunt, sacer Topazius eruitur, & apparet in Ecclesia, quæ sub nebulis veteris testamenti latebat, & inventa est à navigantibus cum D. Petro, apud quem sacra est quęrenda Eucharistia. *Quærite, & invenietis:* ibi Eucharistia, sicut & Ecclesia, ubi Petrus est. Excedit illa amplitudine cætera gratiæ mysteria, quæ & limam in accidentibus, dum sacra hostia tangitur, sentit, Christus vero, qui intra accidentia est, intactus prorsus & illæsus manet.

(Marginal references: Phil. 2. 6. — Ioa. 11. 47 — Ier. 11. 19. — Ioa. 7. 34)

Eu-

Eucharistia, & Corallium.

ISidor. *Corallius gignitur in mari, forma ramosus, colore viridis, & maximè rubens: baccæ eius vel venæ candidæ sub aqua & molles: detractæ confestim durantur, & rubescunt, tactuque protinus lapidescunt. Itaque occupari, evellique retibus solet, aut acri ferramento præcidi, quæ de causa corallius vocatur. Quantum autem apud nos margaritum Indicum pretiosum est, tantum apud Indos Corallius. Hunc Magi fulminibus resistere affirmant, si creditur.*

Sacra Eucharistia in mari gignitur, cum proveniat ex sacra passione, de qua Christus; *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Rubet cruore Christus in Cruce, rubet & mysticè in altari; *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Dum esset ramosus in Cruce, viæ & venæ Christi sub aqua molles erant: detractæ inde ad sacramentum confestim durantur & rubescunt, tactuque protinus lapidescunt, siquidem quos cibavit ex adipe frumenti, *de petra melle saturavit eos.* Quia vero præcisus est de terra viventium & quidem acri ferramento clavorum, non absque ratione est, ut & Eucharisticus Corallius appelletur. Quàm apud nos pretiosa est caro Christi, dum unam speciem sumimus, tàm pretiosus est sanguis apud Sacerdotes, dum sub utraque specie sacram accipiunt Communionem. Non eas vires habet Corallius, ut fulminibus resistere valeat, valet Eucharistia, quæ oblata in sacro altari fulminantem Dei iram placat & ignem extinguit accensum peccatis mortalium, cum offeratur, & conferatur *in remissionem peccatorum.*

Corallio similis Eucharistia. Ps. 68. 3. Ioa. 6. 56. Ps. 80. 17

Eucharistia & Hyacinthus.

HYacinthus *ex nominis sui flore vocatur. Hic in Æthiopia invenitur, cæruleũ colorem habens. Optimus, qui nec rarus est, nec densitate obtusus, sed ex utroque temperamento lucens, purpuraque refulgens: hic autem non rutilat æqualiter, sed cum facie cæli mutatur. Sereno enim perspicuus est atque gratus, nubilo coram oculis evanescit, atque marcescit, in os missus frigidus est, in sculpturis durissimus, nec tamen invictus. Nam adamante scribitur & signatur.* Hæc Isidor.

Eucharistia nomen habet à gratia, quæ tota florida est, unde bona gratia vocatur, nec terrena nec mundana, sed cælestis est. Optimum Sacramentum, in quo divina & humana ita attemperantur, ut ex utriusque temperamento luceat candore & splendore divinitatis, ac purpura carnis & sanguinis fulgeat. Eucharistia non rutilat æqualiter bonis & malis, sed cum conscientia, quæ facies animæ est, mutatur. Cum serena conscientia est, perspicua est atque grata, quod si obtenebretur tenebris peccatorum anima, aliter illa comparet. *Mors est malis, vita bonis.* Hyacinthus in os missus frigidus est, sed malis, calidus est, sed bonis, durissimus ijs, qui non diligunt, his vero qui amant, blandus, Eucharistia quippe Hyacinthina non ita invicta est, ut adamante amoris non illa signetur, & inscribatur. Signata & inscripta in ea sacrosancta sunt mysteria passionis Dominicæ, sed amoris adamante, quem secum Christus attulit, & qualis esset, in qua nocte seipsam consecravit, ostendit, *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos:* quibus & dixit. *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam*

Eucharistia refert Hyacinthum. Ioa. 13. 1.

facietis. Recolitur itaque memoria passionis eius signata adamante charitatis & dilectionis, inscripta sacramentali Hyacintho.

Eucharistia, & Adamas.

SEcundum Isidorum Adamas lapis paruus & indecorus ferrugineum habens colorem, & splendorem Christalli. Nunquam autem ultra magnitudinem nuclei avellani repertus, hic nulli cedit materiæ, nec ferro nec igni, nec unquam incalescit, unde & nomen Græca interpretatione, indomita vis accepit, Sed dum sit invictus ferri ignisque contemptor, hircino rumpitur sanguine, recenti & calido maceratur, sicque multis ictibus ferri perfringitur. Cuius fragmentis sculptores qui gemmis insigniendis, perturandisque utuntur. Fertur in electri similitudine venena deprehendere, metus vanos repellere, maleficis resistere artibus.

Similis adamanti est Eucharistia. Eucharistia adamantis instar, si consideretur secundum externa accidentia, non habet magnam speciem, nec pulchritudinem, puris tamen oculis christallina illa apparet emittens ex se insignem & illustrem splendorem. Nunquam hactenus illa reperta, nisi secundum consecratę hostiæ parvitatem, nec unquam eius excedens magnitudinem. Si consideretur ibi Christus, nulli cedit materiæ, nec ferro, nec igni, cum sit impassibilis, ac proinde vis & virtus indomita est. Sed dum invictus, ferri, ignisque contemptor est, dum consecratur, quasi passibilis immolatur, & suo proprio sanguine mysticè maceratur ac proinde in duas species panis & vini dividitur ac distribuitur, quibus pretiosæ animę insigniuntur ac perficiuntur. Eucharistia cum sit *mysterium fidei*, venena errorum deprehendit, & cum *cor hominis confirmet*, vanos & inanes pellit & expellit metus, ac timores: ita bonum beneficium omnia oppugnat & expugnat maleficia.

Eucharistia & Achates.

ACHates, iuxta id quod refert Isidor. *reperta primum in Sicilia iuxta flumen eiusdem nominis, postea plurimis in terris. Est autem nigra habens in medio circulos nigros, & albos, iunctos, & variatos, similis Hæmatiti. Magi suffitu earum, si creditur, tempestates evertunt, flumina sistunt.*

Refert Achatem. Eucharistia non inventa est in ordine creaturarum, sed præter rerum ordinem reperta est in superiori flumine gratiæ, unde & nomen ab ea accepit. *Ps. 64. 10.* *Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum.* Eucharistia primum reperta est in cænaculo Solymorum, postea in plurimis terris Christianorum. Eucharistia prædita est circulis nigris & albis, quia funesta est malis, sed bonis vitalis est, *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ vel interitus*; ac proinde, *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat*. Nugantur Magi cum Achatę tantum tribuunt, & eius suffitu putent sedari tempestates, sisti flumina: serio, & verè sentiunt, qui arbitrantur virtute sacræ Eucharistiæ oblatæ in odorem suavitatis stare Ecclesiam contra tempestates & procellas, aquasque inundantes errorum, hæresum, & hæreticorum; ideoque stans cum calice & hostia in manu Ecclesia describitur & depingitur nullis tempestatibus cedens, nullis procellis succumbens.

Eu-

Eucharistia, & Carbunculus.

ISidor. *Omnium ardentium gemmarum principatum Carbunculus habet. Carbunculus autem dictus, quod sit ignitus ut carbo, cuius fulgor nec nocte vincitur. Lucet enim in tenebris, adeo ut flammas ad oculos vibret.*

Eucharistia inter cæteras Sacramentorum gemmas propter ardorem charitatis divinæ, quæ in ea est, quasi carbunculus tenet primatum & principatum. Christus Eucharisticus ignitus ut carbo est, ut adstruit Damascen. lib. 4. de Fide Orthodox. *Carbo autem simplex non est, sed unitus igni, sic panis communionis non panis simplex est, sed unitus divinitati:* Eucharistici Christi fulgor nocte non vincitur, unde & *qua nocte tradebatur, accepit panem*, de tenebris, & earum potestatibus agens victorem, & triumphatorē. Lucet in tenebris adeo, ut flammas ad oculos vibret, flammas nimirum amoris, quibus intuentes se accendit, & eorum pectora inflammat; Lampades eius *lampades ignis atque flammarum.* In cuius rei argumentum & testimonium ardent semper lampades coram venerabili Sacramento, quæ carbunculum Eucharisticum esse suis luminibus, ac flammis simul declarent.

Refert carbunculum.

1. Cor. 11. 23.

Cant. 8. 6

Eucharistia & Margarita.

MArgarita prima candidarum gemmarum, quam inde Margaritam aiunt vocatam, quod in conchiliis maris hoc genus lapidum invenitur. Inest enim in carne cochleæ calculus natus, sicut in cerebro piscis lapillus. Gignitur autem de cæleiti rore, quod certo anni tempore conchulæ hauriunt. Ex quibus margaritis quædam uniones vocantur: aptum nomen habentes, quod tantum unus nunquam duo vel plures reperiantur, Hactenus Isidor.

Eucharistia in alba & candida hostia offertur, & confertur, prima omnium gemmarum candidarum, quę & ortum suum habuit ex magno passionis mari. Pretiosa hęc gemma in carne Christi est, *Caro mea vere est cibus* statim ut *Verbum caro factum est*, apparuit in carne pretiosus hic lapis, *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Gignitur de rore cæli, ideoque Isaacus dixit ac prædixit filio suo; *Det tibi Deus de rore cæli abundantiam frumenti & vini.* Cælestis panis non aqua terrena, sed cælesti rore conficiendus atque compingendus erat, sicut sacri Evangelij tempore, & non alio conficitur, & compingitur. Inter margaritas unio est, panis Eucharisticus, unus tantum non duo vel plures in tota Ecclesia reperitur. Unum est Sacramentum Eucharisticum, unum sacrificium, *unus panis, & unum corpus*, ac proinde nō potest non esse pretiosum hoc mysterium, licet ita communicetur, si enim unus lapis una margarita pretiosa sola foret in mundo, esset necessario pretiosissima, sicut reipsa est Eucharistia, quæ & unio & margarita est. Convenit itaque cum omnibus gemmis, quoniam illarum in se continet, & confert proprietates, & quia una ipsa est, rara est, excedit summum omne pretium & æstimationem. Gemma pretiosa una est, quam in suis profanis cænis imitari volunt hæretici. Quò pertinere potest conclusio, quam facit S. Isidor. lib. 16. Orig. cap. 24. *In quibusdam gemmarum generibus vera a falsis distinguere magna difficultas est: quippe cùm inventum sit ex vero genere alterius in alia falsa transducere, ut Sardonyches, quæ trinis glutinantur gemmis, ita ut deprehendi non possint. Fingunt enim eas ex diverso genere nigro, candido,*

Assonat margaritæ.

Ioa. 6. 58.

Gen. 27. 28.

1. Cor. 10 17.

dido, minioque colore. Nam pro lapide pretiosissimo smaragdo quidam vitrum arte inficiunt, & fallit oculos sub dolo quædam falsa viriditas, quoad usque non est qui probet simulatum, & arguat sic & alia alio atque alio modo. Neque enim est sine fraude ulla vita mortalium.

Quæst. LIX.

An in Communicantibus sint proprietates florum?

Quid flores cum Eucharistia? Flores pulchri ac formosi sunt, sed statim marcescunt, statim evanescunt, unde & vanitas in eis significatur, & repræsentatur secundum assertum Jobi, qui agens de homine, inquit; *Quasi flos egreditur & conteritur.* Secundum Davidis oraculum, *Mane floreat & transeat, vespere induret & arescat*: & iuxta præconium Isaiæ, *Omnis gloria eius quasi flos agri.* Eucharistia nũquam deficit, nunquam flaccescit, semper permanet, cum sit in ea nouum & æternum testamentum, dicatque de se conditor testamenti. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quid ergo flores cum Eucharistia? quid cum hostia & sacrificio laudis? Ad laudes Dei enarrandas & decantandas invitant creaturas tres pueri, dum in fornace Babylonis salvi & incolumes forent; *Benedicite omnia opera Domini, laudate & superexaltate eum in sæcula,* & in toto illo hymno, cum de tot rebus mentio fiat, nulla de floribus agitur, cuius silentij ratio est ea, quod cum vellent laudari Deum, & exaltari in sæcula, flores qui tam cito cessant & pereunt, eos non advocant ad chorum, in quo Deus perpetuò esset honorandus & celebrandus. Eucharistia est hostia laudis divinæ, ad quam alludens modulatus est Rex David; *Tibi sacrificabo hostiam laudis.* Et quidem Ecclesia in Canone Missæ dicit esse *sacrificium laudis.* Laus perpetua est, quæ in templis & altaribus singulis diebus impenditur. Quid ergo cũ floribus Eucharistiæ est? Flores derivantur a fluo quasi fluores, quod cito fluant, & citius defluant.

Iob. 14. 2. | Matth. 28. 18. | Dan. 3. 51. | Ps. 115. 17.

Christus floridus natus, & consecratus.

Christus floridus est, unde & in Nazareth, civitate nimirum florum, concipitur & generatur, ipseque in vita & etiam in morte *Nazarenus* nuncupatur. Et quidem Ecclesiasticus ca. 50. prævidit in Simone Sacerdote, qualis esset Christus futurus, *quasi flos rosarum, in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ.* Qui floridus in se est, floridus quoque in Eucharistia est, qui dicit de se, *Pulchritudo agri mecum est* Præmiserat, *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* His sacrificijs opposuit pulchritudinem agri, quæ planè Eucharistica est; *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Hanc agri plenitudinem & simul pulchritudinem præuidit in statu suę cæcitatis Isaacus, & simul præsensit, cum dixit, *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni,* addiditque, *Det tibi Deus de rore cæli abundantiam frumenti & vini.* Satis ostendit Christus se in mundum venire, ut floridus esset, cum mense Martio, tempore verno è cælis delapsus est; *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Et hoc ipso tempore ac mense seipsum consecravit. Mensis Martius Nysan apud Hebræos erat, ut in Exod. lib. 2. declarat Rupert. & causam factæ tunc temporis oblationis in hæc assignat verba; *Nysan, verna tẽperies, cum tellus reflorescit, totusque post hiemem iuvenescit orbis, nonne sensatum hominem*

Ecc. 50. 8 | Ps. 49. 11. | Zach. 9. 17. | Gen. 27. 27. | Ioa. 6. 59.

hominem decet, quatenus spiritu mentis suæ renovatus, & fide viridis, speque lætus, & charitate floridus spiritualibus Agni paschalis intersit epulis! Portat secum Eucharistia flores, quos appetens fidelis dicit anima, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo:* iuxta quod pium suum votum Eucharisticis floribus reficitur ac recreatur. Consonat dictis Ambros. in Psalm. 118. Sermon. 14. *Bona pascua divina Sacramenta sunt. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis, carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis; carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem.*

Tanta est florum amęnitas, tanta varietas, ut qui varias terras peragrarunt, nunquam gloriari possint omnes species a se inventas, omnem varietatem a se depreheusam fuisse. Neque enim ulla in re ita naturam ludere pro compertò est, quam in hac florum varietate. Maior amænitas in sola Eucharistia est, quam sit in tota florum universitate. Tota pulchritudo humanorum ac divinorum florum in ea est, sub duabus tantum panis & vini speciebus contenta, quas qui invenerunt, ritè ac rectè possunt gloriari se quicquid in Deo & homine floridum est, reperisse. Norunt id Angeli, qui de cælis in terras veniunt, ut Eucharisticis floribus depositis apud homines fruantur: nec homines ignorant, in quorum gratiam non ludens gratia, sed serio agens condit, & componit ita nitentes flores. Neque stellę magis nitent in serena nocte, quam in amęno horto Ecclesiæ scintillantes, micantesque flores Eucharistię, ita, ut nulla ars eorum splendorem assequi ullo modo valeat. Pingere & fingere pictores possunt flores, non facere: Eucharistia divinitus solum in Ecclesia fit, apud hęreticos vero solum pingitur, & fingitur. *Florida amænitas Eucharistia.*

Florum processus diversi & ortus, dum hunc calice, hunc e vagina, alium è gemma protuberantem videmus. Item hunc morientem subito, alium subnascentem in eodem trunco facie, colore, forma ab alijs diversa. Hic nativam purpuram, ille nivem, flammam, cęlum, iste aurum & gemmas exprimit. Alius odorem afflat naribus gratissimum, auràque ætheream effundit, ut non vanè quidam Poetarum flores plerosque natos dixerint ac finxerint è succo aut sanguine Deorum. Hæc Poetarum planè fictio est, summa autem veritas est, quod florida Eucharistia proveniat ex sanguine dicentis Dei; *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Hic sanguinis flos in calice est proveniens tamquam ex vagina, & gemma pretiosæ carnis Christi. Moritur Christus in Cruce, moritur Iesus Nazarænus, totus cruentus, & eodem tempore passionis nascitur ex eadem Cruce proveniens non alius, sed idem flos idem Iesus Nazarenus, planè incruentus colore & forma sanctę hostiæ omnino diversa. Nativam purpuram refert in Cruce, in Eucharistia nivem. Utrobique flammam, cęlum aurum, & gemmas exprimit. Hic ipse nouus flos, qui gratissimum resurrectionis odorem emittit ex se, & ex se afflat dulcem ac suavem auram paradisi cęlestis. *Processus & ortus Eucharistia.* *Ioa. 6. 56.*

Florum amęnitas adeo plerosque melioris mentis tenet, ut si nouum atque rarum nasci apud se videant, velut Argum aliquem deputent, qui observet. Quin ijs ægrius est, ut flos aliquis nouus intercidat, quam amicus antiquus. Sed etiam ęmulantur, & ostentant si quid rarius nanciscantur, & haud secus quam ad Præturam aut Magistratum competitores existunt contendentes, & etiam rixantes circa hæc naturæ oblectamenta. Hortenses similes meritò exploduntur, laudantur illi, qui flores honestæ voluptati natos fovent, adspiciunt, sed non supra pretium, aut modum habent *Eucharistia pretiosa pre omnibus floribus.*

bent

bent. Cum nouus flos in Eucharistia fit, pro eius custodia & observatione unus quisque quasi Argus esse debet, totus oculatus non corpore, sed mēte, ac lumine fidei divinæ. Cave ne intercidat flos amicis omnibus & maior & melior. Hunc tamquam quid rarum post consecrationem ostendunt populo Sacerdotes, & ante sacram Synaxin dandam capientibus, ut sanctæ æmulationis affectu erga consecratam hostiam ferantur, & trahantur. Ne quid nimis in hac æmulatione esse potest, cum sit res tanta, quę prætenditur, tantus sit flos, qui ostenditur. Ne quid nimis in tam grati floris voluptate esse nequit, cum quò maior illa sit, evadit eò pulchrior & purior. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Zach. 9. 17.

Quod attinet ad florum pretium, mirum est, quod Antverpiæ pro planta una, quam vocant Imperialem, & nunc vilis flos est, data sunt sexaginta scuta aurea & nuper Tulpam, advectum ex Syria florem emere quis voluit pro mille florenis: qui habebat, vendere recusavit, sed damno suo, cum nocte subsequente subterraneus mus aut sorex bullam ipsam voraverit, & tanta spe dominum defraudaverit, fortunæ suæ vicem dolentem. Et quidem apud Belgas hic flos ita communis est & familiaris, ut componant illum in cibum. Floridus Eucharistiæ cibus, qui nobis communis & familiaris est, qui gratis nobis offertur, summo stans pretio mortis, ac passionis Christi.

Flores suum pretium, suam æstimationem habere solent, cum aperiunt sese, & suas ostendunt vetustates, & amænitates. Habet hanc Eucharistia prorogativam, ut cum sit *mysterium fidei*, & sit fides *sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*, & si non appareat, sit illa summi pretij & æstimationis, quoniam *sub diversis speciebus, signis & tantum & non rebus latent res eximia*, Non emunt flores amatores eorum emptores & mercatores, nisi merces suas prius viderint, & oculis examinaverint, & exploraverint. Nec visu nec oculis Eucharistia expendenda est, sed mente credenda. *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem.* Cum de bonitate ac pulchritudine mercium certitudo est, opus non est, curiose inspiciantur, & examinentur. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Quapropter: *Beati qui non viderunt, & crederunt.*

Zach. 9. 17.

Remedia salutis per Eucharistiam.

Floribus non solum amænitatem & speciem cum æstimatione conjunctam, sed etiam remedia pro salute ac valetudine humana dedit natura, de qua hæc Plin. lib. 22. cap. 6. *Pinxerat & remedia floribus, visuque ipso animos invitaverit etiam deliciis auxilia permiscens.* Deliciosa Eucharistia est, sed non minus salutaris, cum offeratur, & conferatur *in remissionem peccatorum.* Hæ sunt delicię, de quibus dicit Sapientia, *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, permiscet cum illis remedia, *Nunc ergo filij audite me, &c. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino.* Hauriet salutem corporalem & spiritalem, cuius gratia ad asylum venerabilis Sacramenti tam celebrantes, quam communicantes confugiunt, qui omnes in hoc flore inveniunt contra mortem ipsam remedium. Facessat hinc, quod dici solet, *Contra vim mortis non est medicamen in hortis*: est quippe hoc medicamētum in amęno horto Ecclesiæ, cum dixerit Christus; *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* Mors suas ostentat vires, cum corpus perimit, nec habet ultra quid faciat, & tantæ virtutis flos Eucharisticus est, ut omne eius perfringat robur per resurre-

Prov. 8. 38.

Ioa. 6. 59.

resurrectionem. *Pascis illic novum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis.* De flore in genere ad species eius descendit Ambros. *Carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis: carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem.* Ergo cum Ambrosio lilium, & rosam, & paucas alias species florum cum Eucharistia coniungamus, & componamus.

Eucharistia & Lilium.

Lilium Symbolum est Æconomię verbi incarnati ac consecrati. Accedit S. Ambros. in Psalm. 118. Litt. 5. vers. I. Refert, inquit *considerare, quod lilium splendore circumfusum sit, intus autem, quod habet rubeum sit; boni & ipsum odoris, eo quod caro Christi velut morali Divinitatis claritudine circumsepta cælestis habuit perfectionem gratiæ.* Hoc ipsum lilium mysticum est, quod in sacro Missæ mysterio ac ministerio offertur in odorem suavitatis.

Lilium quam sit spectabile, & quam visu dignum sit, nemo est qui ignoret, unde & idem Ambrosius lib. 3. Exam. c. 8. memor verborum Christi ait; *Considerate lilia agri, quantus sit candor in folijs, quemadmodum stipata ipsa folia ab ipso ad summum videantur assurgere, ut scyphi exprimant formam, ut auri quædam species intus effulgeat, quæ tamen vallo in circuitu floris obsepta nulli pateat iniuriæ. Si quis hunc florem decerpat, & sua solvat in folia, quæ tanti est manus artificis, quæ possit lilij speciem reformare? Qui tantus imitator naturæ, ut florem redintegrare præsumat, cui Dominus tantum testimonium dedit. Nec Salomon in omni gloria sua sic vestiebatur, sicut unum ex istis. Rex opulentissimus & sapientissimus inferior iudicatur, quam huius floris pulchritudo est.* Lilium formam exprimit sacri Calicis, & in Calice sanguis cum carne virginali Christi est, cuius candore quasi flore cincta divinitas aurea est, quæ nulli patet iniuriæ. Summus artifex Deus, qui decerptum in sacra passione lilium reformavit & redeintegravit per sanctam resurrectionem, quemadmodum in altari profitemur, cum in *memoriam passionis & resurrectionis* celebramus. *Ecce plusquã Salomon* hic cuius majoris lilij major species est & pulchritudo. *Mysticũ lilium est Eucharistia.*

Lilia cum velis navium comparat idem Ambros. lib. 3. Exam. cap. 11. *Lilia in hortis eminus nitent, vela in navibus. Hic odor, illic ventus aspirat. Quæ utilitas in folio? In navibus quanta commercia? Lilia suavitatem narium, vela hominum salutem invehunt,* Ecclesia *facta est quasi navis institoris de longe portãs panem suum.* Ecclesia velorum affectibus ducitur, quibus candidus instar liliorum panis sacræ Eucharistiæ respondet, in velis ventus Spiritus sancti aspirat, in Eucharistia fragrantia divinitatis, in lilijs suavitas, in velis commercia salutis æternæ.

Lilium rosæ nobilitate proximum est. Nec ulli florum excelsitas maior, languido semper collo, & non sufficiente capitis oneri. Hæc Plin. lib. 21. cap. 5. Apparuit Christus tamquam rosa coronata spinis in sacrificio cruento acerbæ passionis, huic autem rosæ nobilitate proximum est incruentum sacrificium, mysticum videlicet lilium, quod altius & sublimius est omnibus sacrificijs. Languido semper collo, quoniam spectaculum humanitatis, & humilitatis Christi est, & cũ sit *caput Christi Deus* major humanitate, mysterium quoque est divinitatis & majestatis, cui cedens Christus in Cruce *inclinato capite* emisit spiritum. Similes sibi vult esse celebrantes ac communicantes suos, qui languido collo celebrant, & communicant, tanto oneri Ioa. 19. 13

 ma-

majestatis ac deitatis minimè sufficientes. Ita te compone, quisquis *carpis lilium, in quo est splendor æternitatis.*

Eucharistia & Rosa.

SAnctus Ambrosi. lib. 3. Exam. cap. 11. *Surrexerat ante floribus immixta teneris, sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine fraude ulla vernabat. Postea spina sepsit gratiam floris tamquam humanæ speculum præferens vitæ, quæ suavitate perfectionis suæ finitimis curarum stimulis sæpe compungat. Vallata est enim eligantia vitæ nostræ, & quibusdam sollicitudinibus obsepta, ut tristitia adjuncta sit &c. Irrutiles igitur o homo aut splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, aut fulgore virtutis, semper tibi spina proxima est. Semper inferiora tua respice, super spinas germinas, nec prolixa gratia manet. Brevi unusquisque deterso ætatis flore marcescit.*

Rosa mystica Christus est, *Sicut flos rosarum in diebus vernis,* &, *sicut plantatio rosæ in Iericho,* nec sine spinis rosa, cum dicit de se; *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Hæc non ex sua, sed ex nostra culpa provenit. Rosa circumcincta spinis speculum est vitæ temporalis Christi, qui curarũ stimulis compunctus semper fuit nutritus in magnis curis, de quo David; *Dominus sollicitus est mei.* Vallata erat elegantia eius vitæ sollicitudinibus humanæ salutis, cuius gratia mæstus erat, nunquam in risum, sæpe in fletum prorumpens. Rutilabat splendore nobilitatis, fastigio potestatis, atque fulgore virtutis, & tamen spina proxima erat. Semper inferiora suæ humanitatis respiciebat, super spinas seminans & germinans, nec prolixa eius gratia mansit, cum ita brevi deterso iuventutis flore spinis coronatus in cruce, & in morte emarcuit. *Surrexerat ante floribus immixta teneris sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine fraude ulla vernabat.* Hæc rosa innocentiæ sacra Eucharistia est, in qua nihil patitur Christus, in qua suo sanguine rutilat, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*; dixeratque propterea Ambros. *Carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem.* Hæc rosa Eucharistica præfert in se speculum non mortalis, sed immortalis vitæ, *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Splendet in hoc Sacramento Christus nobilitate sui generis, *Sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me*: fulget fastigio potestatis & simul splẽdore virtutis; *Fecit potentiam in brachio suo, &c. Esurientes implevit bonis:* nec spina proxima est, sed omnino remota. Et gratia manet, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*; semperque manebit; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

[Margin: *Rosa mystica.* Eccl. 50. 8 Ecc. 24. 28. Ps. 31. 4. Ps. 39. 18 Ioa. 6. 56 Matt. 28. 20.]

Omnis rosa recisione atque ustione proficit. Translatione quoque ut Vitis optime, ocyssimeque provenit. Verba sunt Plinij lib. 21. cap. 4. Recisus & abscissus Christus obijt, & in ara Crucis torridus excessit, nec tamen propterea defecit, sed profecit, quoniam mystica rosa erat, in cuius profectus testimonium & argumentum sacram Eucharistiam reliquit. Quod si translatione ut vitis optimè, ocyssimeque provenit rosa, provenit & Christus translatus in statum gloriæ, Resurrectionis & Accensionis, quarum solennem memoriam agimus, dum celebramus & communicamus.

Eu-

Eucharistia & Narcissus.

NArcissus lilij genus radice carnosa, atque odora, flore purpureo; secundum Plinium Graece a stupore dicitur, nam eius odor caput aggravat. Poetae fingunt Narcissum fuisse Cephisi amnis, & Lyriopes Nymphae filium, tantae formę pręstantia, ut cum se in claro inspexerit fonte, captus suiipsius specie ac pulchritudine, qua frui non poterat, prae irrito ac frustaneo desiderio contabuerit, & in florem sui nominis commutatus sit. Qualis est inter lilia narcissus, tale & Verbum inter divinas personas. radix eius divinitatis odora in Patre est, carnosa in Matre, & in caeteris eius parentibus, cum ex divino Patre Rex sit, & etiam ex humanis parentibus, purpuram refert. Hic divini fluminis filius & sacratissimae Nymphae, *speciosus forma prae filiis hominum*, qui sanctae suae humanitatis specie captus frui illa gloriosa cupiebat, sed cum esset viator, non poterat, necesse enim erat, ut esset mortalis pro redemptione humani generis *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiam illum.* Ex hoc desiderio in Cruce cõtabuit, & de mortali factus immortalis tamquam narcissus apparuit, cum dicat, *Refloruit caro mea.* Quae refloruit in Resurrectione, floruerat in Eucharistia, ad quam etiam summo desiderio deductus est, ait enim, *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.*

Mysticus narcissus. Ps. 44. 3. Luc. 12. 50. Luc. 22. 15.

Eucharistia, & Hyacinthus.

HYacinthus est genus violae vernae, colore obscuro purpurae, duarum litterarum Graecarum a & ι. figuram referens. Quae res duplicis fabulae occasionem Poetis dedit. Nam & Hyacinthum dilectum ab Apolline, quem imprudens interfecit, in hunc florem mutatum tradunt, interjectionemque dolentis *Ai* quae ex duabus illis litteris conficitur veluti testimonium doloris, quem Apollo ex morte eius conceperat, habere inscriptam. Praeterea Aiacem in eundem florem conversum aiunt, dum impatientia praelati sibi Vlyssis seipsum interemit, duasque proximas sui nominis litteras in hoc flore mansisse impressas, unde & Ouid. 13. Metamorph. *rubefactaque sanguine tellus, Purpuream viridi genuit de cespite florem.* Christus hyacinthi instar verno tempore venit in mundum, colore quidem purpurę obscuro, quoniam cum summus Rex foret, necdum talis apparebat, Patri suo summo charus ille fuit. *Hic est filius meus dilectus*, sed proprio *filio non pepercit.* Filius autem rogavit Patrem ante mortem, ut cum omnipotens esset, de se instar hyacinthi conderet Sacramẽtum, quod & fecit. Nec solum sapiens Pater, sed & ipse sapiens Filius ponendi animam habuit potestatem, qua est usus, & in memoriam mortis suae confecit hyacinthinam Eucharistiam. Nec Pater nec Filius maesti ac tristes, sed hilares tantum hoc mysterium fabricarunt, in quo non interjectio dolentium, sed lętantium & gaudentium de morte data & accepta reperitur, Haec vis, haec virtus est venerabilis Sacramenti, ut alias mors tristis, & passio maesta in eo gratae ac iucundę reddantur, & *Ai* luctus, Crucis & cruciatus cedat in floridam, amaenam laetitiam & exultationem.

Mysticus hyacinthus. Matth. 3. 17. Rom. 8. 32.

Eucharistia & Heliotropium.

HEliotropium forma & colore refert caelestẽ solem, cuius & flos dicitur, & est, ita suum solem amans, ut ad eius motũ circumvolvatur Cum sol occiderit, nocturno tempore se movet ad partem orientalem, ut cum ille oriatur, statim ad ipsum convertatur. Sic semper mutuo

adimpletis, calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius advenit, faciem suam paruula instinctu divinæ majestatis abvertere, os labijs obviantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus,& reluctanti licet de Sacramento calicis infudit. Tūc sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguinem potus de pollutis visceribus erupit: tanta est potestas Domini, tanta majestas. Secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt, Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quę ad loquendum alienum circa se crimen non habuit ætatem. At vere ea, quæ ætate provecta, & in annis adultioribus constituta sacrificantibus latenter obrepsit, non cibum sed gladium sibi sumens, & velut quędam venena lethalia intra fauces & pectus admittens angi, & anima exæstuante concludi post modum cæpit. Et pressuram iam non persecutionis, sed delicti sui passa palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientię crimen, quę fefellerat hominem, Deum sensit ultorem. Et cum quędam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et cum alius, qui & ipse maculatus sacrificio Saacerdotibus celebrato partem cum cęteris ausus est latenter accipere, Sanctum Dei edere & contrectare non potuit, cinerem letvare se apertis manibus invenit: documento unius ostensum est Dominum recedere cum negatur: nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente mutetur. Quam multi quotidie immundis spiritibus adimplentur, quam multi usque ad insaniam mentis ex cordis dementię furore quatiuntur. Nec necesse est ire per exitus singulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delictorum pæna sit varia, quam delinquentium multitudo numerosa. Unusquisque consideret, non quid alius passus sit, sed quid pati & ipse mereatur. Nec evasisse se credat, si eū interim pæna distulerit, cū timere plus debeat, quod sibi Dei iudicis censura servavit: nec sibi quominus agant pænitenti blandiantur, qui etsi nefandis sacrificijs manus non contaminaverunt, libellis tamen conscientiam polluèrunt.

Ioannes Diaconus in vita S.Greg.lib.2. cap. 41. Matrona quædam B. Gregorio per stationes publicas Missarum solennia celebranti, solitas oblationes obtulerat. Cui post mysteria traditurus cum diceret: *Corpus Domini nostri Iesu Christi conservet animam tuam:* lasciva subrisit. Ille continuo dexteram ab eius ore convertens partem illam Dominici corporis super altare deposuit. Expletis vero Missarum solennijs, Matronam coram populo inquisivit, quam ob rem corpus Dominicum sumptura ridere præsumpserat. At illa diu musitans, tandem prorupit. Quia panem, inquiens, quem proprijs manibus me fecisse cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas. Tunc Gregorius præ incredulitate mulieris cum tota plebe in orationem se prostravit. Et post paululum surgens particulam panis, quam super altare posuerat, carnem factam reperit. Quam coram cunctis incredulę Matronæ demonstrans, ad credulitatis gratiam tam illam revocare potuit, quam totum populum confirmare curavit. Rursus itaque in orationem cum eisdem prostratus carnis frustum in panis primordia reformavit.

Cultus sacra Communionis confirmatus.

Nizephor.Callist.lib.17.Eccles.Histor.c.25. Anthimo Episcopali throno

Cultus sacræ Cõmunionis prævalet ignibus.

no in urbe Imperiali dejecto, & Mena pro ipso ab Agathone Papa electo atque consecrato, miraculum quoddam Constantinopoli, dignum quod memoretur, accidit. Consuetudo imperanti urbi a multo tempore fuit, ut cum plusculũ de partibus immaculati, divinique corporis Domini & Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi reliquum esset, Sacerdotes pueros incorruptos, ex eis qui ad præceptores in ludum litterarium eunt accerserent, qui ieiuni reliquias eas ederent. Quod quidem mihi quoque sæpe numero, cum puer admodum essem, & maximè prima ætate in sacris ædibus versari studio haberem, contigit. Tale quiddam sub Mane quoque Patriarcha evenit. Cum pueris ad id delectis puer quoque viri religione Iudæi vitro conficiendo vitam tolerantis aggregatus est. Puer is, diutius supra solitam horam moratus, domum venit, & causam tardioris reditus parentibus diligentius eum inquirentibus, quod scilicet cum alijs pueris in æde sacra divinas partes edisset, renunciavit. Pater re nova audita furore percitus, fornacem, ubi vitrum conformabat, succendit, & puerum arreptum, in eum prunis flamma suffocata candentem sub conjecit, ob factum tale iratus, quamvis filius nihil sciens admisisset. Porro mater, ubi puerum diutius non comparentem quæsivisset, & non invenisset, urbem omnem circumijt, perquam acerbè plorans, & die tertio ad officinam mariti consistens, ingenti planctu seipsam lanians, prolixiusque ingemiscens filium vocavit. Atque ille materna voce cognita responsum è furno reddidit. Tum mater ostio furni fracto, cum miraculo maximo in medijs prunis puerum stantem vidit ita prorsus incolumem, ut ne capillum quidem flamma lęserit. Et ubi causam incolumitatis quæsivit, mulierem quandam illustrem purpurea amictam stola frequentius ad eum venisse, aquam sibi infudisse, & flammam ea appropinquantem extinxisse. Cibum etiam, cum esurijsset, præbuisse, dixit. Hæc postquam Iustinianus cognovit, puerum cum matre divino regenerationis lavacro adhibuit, Deoque dicavit. Patrem autem, qui Christianorum sacra suscipere non sustinuit, veluti paricidam in ficum arborem perinde atque in crucem egit.

Panis filiorum nõ mittẽdus canibus.

Optatus Milevitanus lib. 2. contra Donatistas; inter alia nefanda Donatistarum flagitia de subversis altaribus, de stupratis castimonialibus, decõtumelia Eucharistię refert Urbanũ Formensem, & Philippum Idricensem Danatistarũ Episcoposs acrũ chrisma impiè violasse in Mauritania. Et quod vobis, inquit, leve videtur, facinus immane commissum est, ut omnia sacrosancta supra memorati episcopi vestri violarent. Iusserant Eucharistiã canibus fundi; non sine signo divini judicij. Nam ijdem canes accensi rabie ipsos dominos suos, quasi latrones sancti corporis reos, dente vindice tamquam ignotos & inimicos laniaverunt. Ampullam quoque Chrismatis per fenestram, ut frangerent jactaverunt, & cum illa projiceretur non defuit manus angelica, quæ ampullam spiritali subvectione deduceret, projecta casum sentire non potuit, Deo muniente, illęsa inter saxa consedit.

Cultus fictus punitur.

Ex Sozomeno lib. 8. Hist. Eccl. c. 5. Vir quidam è Macedoniana hæresi uxorem ejusdem opinionis habebat. Hic cum Ioannem Chrysostomum, quomodo de Deo sentiendum esset, docentem audijsset, dogma eius laudabat; & uxorem, ut secum sentiret hortabatur. Cum vero illa mágis nobiliũ fęminarum sermonibus quam illius consuetudini obtemperaret, & post frequentes admonitiones vir illius nihil effecisset, nisi, inquit, in divinis consors fueris, neque in vitæ communitate posthac eris, Mulier hoc audito

dito

audito,& consensum pollicita rem eam famulæ cuidam significat, quam sibi fidam esse iudicabat,illiusque opera ad fallendum virum utitur. Circa tempus autem mysteriorũ (sciunt initiati,quid sit,quod dico) illa quod accepit continens quasi oratura procumbit: famula astans, dat clanculum illi panem,quem secum in manu retulerat. Hic autem cum dentibus admoveretur,in lapidem congelascit.Mulier perterrefacta metuens,ne quid sibi mali propter eam rem,quæ divinitus acciderat, contingeret,ad Episcopum cursu contendit,& seipsam prodens lapidem ostendit adhuc morsus vestigia habentem,& materiam incognitam, coloremque admirabilẽ ostendentem,simulque veniam cum lachrymis petens viro suo consensuram se pollicetur. Quod si hoc cupiam incredibile videtur,lapis ille testis est,qui etiam nunc in clinodia Ecclesiæ Constantinopolitanæ asservatur.

Apud Surium in vita S. Godefredi Episcop. Ambianens. mens. Nov. Adventante Quadragesimæ sacrosancto jejunio plebs frequens advenit in ædem B. Firmini Episcopi & Martyris, eo die, quo cineres ex Patrum traditione,quæ hactenus observatur,fidelium capitibus imponuntur. Adfuit autem B. Godefridus,more suo,nudis pedibus,& cilicio indutus: inter cætera sanctę exhortationis verba ovibus interdixit esum carnium,donec Dominicæ Resurrectionis solennitas adesset,sed id multi surda aure accepere.Nam proximo die dominico abstinere carnibus noluerunt, dicentes Episcopum de corde suo fingere dura. Non id latuit Episcopum, sed tempus expectavit, quo posset opportune mulctam irrogare. Ipso igitur cænæ Dominicę die populo ad templum confluente ad impetrandam peccatorum veniam,covenit sacerdotalibus vestimẽtis indutus,habet suo more concionem,inter alia commemorat Adami inobedientiam. Tunc pergit exprobrare illis,quod nihil eius exemplo absterriti noluerint obtemperare ipsi,immo & ipsi Christo. Ergo vestra hac rebellione incidistis in pęnas contemptorum, & cum Adamo rei estis inobedientiæ. Dignos pænitentię fructus facite. Interim tam impurę transgressionis hęc mulcta esto,ut à sacrosancta Eucharistia usque ad secundam Paschatis feriam abstineatis. Obtemperarunt omnes,excipe unum,qui sub veste feminea accipiens Eucharistiam,divina eum persequente vindicta corruit; acerrimis viscerum doloribus cruciatur, spumasque cruentas ab ore eijciens, quod indignus sumpserat,cum multo sanguine,cunctis, cernentibus evomit. Resipuit sacerdotalibus monitis,& summo affectus pudore exclamat. O me infelibem,qui diu instar equi & muli per illicita diffluens quicquid animo collibutum esset,impudenter admisi. Itaque erecta cervice spreta Antistitis salutari prohibitione huc accessi,sed tandem vexatione dante intellectum auditur,reipsa iam comperi facienda esse,quæ iubet Episcopus,Christus enim per eum locutus est.

Communicandum non est contra obedientiã

SUMMARIUM SACRARVM QVÆSTIONVM CONVIVALIVM ET SELECTORVM ARGVMENTORVM.

DE SANCTO VIATICO.

Quæst. 1. *AN Christus acceperit Viaticum?*
2. *An B. Virgo acceperit Viaticum?*
3. *An Apostoli nocte cænæ Viaticum sumpserint?*
4. *An sit contra decentiam Christi venire ad ægros?*
5. *An Christus illuminet accipientem Viaticum?*
6. *An Christus Dux itineris sit accipienti Viaticum?*
7. *Qua via Christus nos ducit ad terminum vitæ?*
8. *An Christus sit Viaticum & via?*
9. *Cur per modum cibi datur Viaticum?*
10. *An post Viaticum liceat ægroto tristari?*
11. *An post sumptum Viaticum actum de vita sit?*
12. *An quis ante navigationem præmunire se debeat sacro Viatico?*
13. *An quis ante prælium debeat Viaticum accipere?*
14. *An quis ante supplicium debeat Viaticum accipere?*
15. *An sit remittendum tempus Viatici iudicio medicorum?*
16. *An æger nosse debeat sibi Viaticum dari?*
17. *An nimiæ senio laborantibus sit Communio pro Viatico?*
18. *An sit protestatio fidei facienda, cum accipitur Viaticum?*
19. *Cur sacrum Viaticum in solo pane, & non in vino datur?*
20. *An debitum moriendi maneat post acceptum Viaticum?*
21. *Quomodo conveniat bona mors, & sacrum Viaticum?*
22. *Cur idem panis viventibus, & morientibus datur?*
23. *An mors possit esse non mors cum sacro Viatico?*
24. *Qualis & quanta sit contra mortem fortitudo sacri Viatici?*
25. *Cui bono sive animæ, sive corporis serviat Viaticum post mortem?*
26. *An more militari consecraverit Christus, cum de Viatico providit?*
27. *Qualis sit extrema victoria Eucharistiæ?*
28. *Qui sint virtute Eucharistiæ laureandi?*
29. *Consonantiæ sanctæ Crucis & sacri Viatici quot & quales?*
30. *Quam sit bonum colere sacrum Viaticū.*
31. *Quis finis Solennis Convivij Sapientiæ?*
32. *Hymnus Convivalis Altaris & mensæ & Sapientiæ?*
33. *Consonantiæ Eucharistiæ & musicæ quot & quales?*
34. *Exitus acta probat?*

RE-

Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ. Proverb.9.

SACRÆ QVÆSTIONES CONVIVALES DE SANCTO VIATICO.

Quæst. I.
An Christus acceperit Viaticum?



MAGNA Dei nostri providentia fuit, ut sacrum reliquerit Viaticum migrantibus è terra in cælum, ea ipsa hora, qua de hoc mundo ad Patrem transibat. Magnus hic transitus, qui spatio unius horæ fit. Memini dixisse Alexandrum apud Curt. libr.9. *Ex Asia in Europæ terminos momento unius horæ transivi.* Dixit quod non fecit Alexander, dixit Ioannes, quod fecit Christus. *Sciens Iesus quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Hęc eadem via nostra est, hæc hora, cujus momento è terra in cęlum migramus, duce ac ductore Christo, qui nos omnes præcessit, utpote peritus viarum, dicitque propterea Patri; *Notas fecisti mihi vias vitæ.* Hic est, cuius meminit David, cum cecinit; *Exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius: & occursus eius usque ad summum eius.* Descendit è cælo viator, & in cælum ascendit, ac proinde novit iter, quod in suo fecit regressu, & docet quod nos in egressu nostro facere omnes debemus. Verumenimvero cum Christus sine ullo viatico venerit in hunc mundum, sine illo etiam ad Patrem fuisse reversum certa consequentia posset videri. Præsertim, cum, facta sui consecratione, dixerit suis, *Accipite & comedite,* nec de se ullam fecerit mentionem.

Ioa.13.1. Ps.15.11. Ps.18.6.

Alexander Alens.4.p.4.q.10.a.1. rogat an Christus suum corpus in cæna sumpserit? Respondet seipsum in Eucharistia accepisse, & probat ea Glossa in cap. 8. Levit. *Primo Sacerdos, postea filij eius sanguine ungebantur, quia Christus in cæna primo sanguinem accepit, deinde descipulis dedit.* Accedit & D. Hieronym, & habetur de Consecrat.d.2. *Ipse comedens & qui commeditur.* Christus ipse de se testatus Apostolis est. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Et ut ait Tertull. lib.4.advers. Martion. Christus de sacra Eucharistia loquebatur. Habuit causam ut diceret Paschas. lib. de corpore & sanguine Domini *Christus convivium, & conviva noster esse voluit.* Loquebatur quoque apud Isai.cap.8. cum dicebat, *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus,* & ut notat Apost. in hunc loc.2. ad Hebr. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis im-*

Accepit Christus viaticum.

imperium, id est, diabolum & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant servituti. Nostro igitur bono Christus accepit viaticum, & etiã suo, quod autem illud sit, ostendit ex D. Chrys. idem Alexander.

Concurrunt quatuor in communicatione Eucharistiæ, *deliberatio, delectatio sive rejectio, assimilatio, & unio sive incorporatio. Quantum ad duo prima, scilicet deliberationem & delectationem, communicavit Christus sese, quia plene deliberavit, & consideravit quid sumebat, & quantum erat, & quale. Præterea plenam habuit ibi delectationem: quanto enim magis cognoscebat totam virtutem mysterij, & melius dispositus erat, tanto magis delectabiliter sumpsit.* Assimilatio & unio duo exigunt extrema inter se diversa atque discrepãtia, & cum idem Christus esset consecrans & consecratus, nec sibi assimilari, nec sibi uniri potuit. Assimilatio intercedit Christo cum communicante, *Sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Intervenit etiam inter utrumque unio; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Ioa. 6. 58.

Dignum notatu est, quod cum Christus in se & apud se haberet divinitatem & gloriam, ex quibus omnis voluptas ac delectatio ortum habet, ut reficeretur ac recrearetur, recurrerit ad Eucharistiam. Christus viator erat & comprehensor, & more cæterorum viatorum voluit se gerere, sumere cum delectamento Eucharistiam, & simul ostendere ijs, qui viaticũ caperent in extremis, modum, quo possent de morte non tam tristari, quam delectari per cognitionem sacrorum mysteriorum, quorum participes in sua ægritudine fiunt.

Quæst. II.

An B. Virgo acceperit Viaticum?

Ioa. 6. 59. DE Patris divini manu accepit Maria panem, de quo scriptum est; *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Postquam de tali manu illum accepisset, *facta est quasi navis institoris de longè portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Quæ de divina manu accepit, quod dedit, ex manu humana recipere, & repetere non videbitur decens, aut æquum. Prou. 31. 14.

Viaticum Virgini datum. Recepit tamen B. Virgo, dum viveret, sacram Synaxin, & moritura Eucharisticum Viaticum, dum viveret, Virgo *panem otiosa non comedit:* dum moreretur; *Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die novissimo. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius.* Hęc Virgo Sacratissima est, quæ jacens infirma dicit, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Languet amore, petit & appetit Eucharisticos flores, de quibus agit Ambros. Serm. 14. in Psalm. 118. *Bona pascua divina sacramenta sunt. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis: carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis, carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem.* Nec dubium, quin in ipso lecto post assumptum viaticum florem, lilium, & rosam redolens dixerit Virgo, *lectulus noster floridus,* quæ vel in ipso feretro ac sepulchro cælestem exhalabat odorem, sicut Orat. 2. de Dormit. Deipar. tradidit Damascen. Tradit, quod cum sepulta iam Virgo esset, & serò venisset Thomas, cupidus videndi sanctas reliquias obtinuit, ut sanctum sepulchrum aperiretur præsentibus Apostolis. *Cum autem ea tantum invenissent, in quibus fuerat compositum sacrum corpus, & ineffabili, qui ex eis profi-*

Prou. 31. 25. Cant. 2. 5. Cant. 1. 16

riscebatur, essent odore repleti, loculum clauserunt. Virgo nouum accepit florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis, & eius vestigia in sepulchro remanserunt.

Nec dedignata est de manu Ioannis Evangelistæ vivens & moriens accipere Eucharistiam, siquidem cum esset in templo, ipsa dedit Simeoni filium, & eundem ab illo repetijt. Et cum Christus esset iam mortuus, & è cruce deponeretur a Iosepho, iterum accepit corpus, quod in ara consecratur. Noverat virgo non tantum semel, sed semper Christum se communicantibus tradere, cuius ministri sunt Sacerdotes. Quò pertinet illud Chrysost. Hom. 83. in Matth. *Non sunt humanæ virtutis opera hæc, quæ proponuntur: qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoque facit. Nos ministrorum tenemus locum, qui vero sanctificat ea & immutat, ipse est. Cum discipulis meis facio pascha. Non enim illam quidem Christus, hanc autem homo perficit: verum & hanc ipse quoque.* Ergo qui se tradidit Matri, ut de ea incarnaretur; se suis manibus dedit, ut de seipso illa sustentaretur, & eius virtute in cælum assumeretur.

Quæst. III.

An Apostoli nocte cœnæ Viaticum sumpserint?

CUm immineret Christo periculum vitę, in formam Viatici instituit Sacramentum & illud ipse accepit instruens suos, ut cum similis occasio daretur, eodem se contra mortem ipsi præmunirent. Quod & Martyres fecerunt, quemadmodum S. Cyprianus scribit Epist. 54. *Vincentibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus.* Ergo cum inter pericula versarentur Apostoli, & de eorum vita ageretur, viaticum accepisse videbuntur. Monuit eos Christus discriminis, in quo essent, cum ait, Luc. 22. *Qui habet sacculum, tollat: similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium.* Qui periculum prævenit, idem ipse Sacramento suo Apostolos præmunivit.

Noverat bene Christus, quod esset solus passurus & moriturus, & quod omnes Apostoli futuri planè essent ab omni vitæ discrimine immunes, ac proinde participes eos fecit sacrificij & communionis, nulla de viatico habita commemoratione. Noverat se dicturum, *Si me quæritis, sinite eos abire:* & suo imperio obtemperaturos eos, qui se captum essent venturi. Nullum de vita periculum, quibus Auctor vitę dicit, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Sciebat futuros esse superstites, cum quibus in hęc verba loqueretur.

Communio sacra Apostolorum. Ioan. 18. 19.

Loquebatur cum Apostolis, quos benè noverat, ex periculis illius noctis evasuros, sed benè noverat semper inter extrema vitæ discrimina victuros, ac proinde cum eis tamquam cum morituris, agebat, de sacro viatico illis prospiciens. Quo pertinet id, quod scribit Apostol. 1. Cor. 4. *Puto quod nos Deus Apostolos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus.* Ad bestias damnati martyres in publicum prodibant theatrum, & his similes toto vitæ laboriosę suę discursu Paulus, & coapostoli eius omnes erant non tam destinati vitę, quam morti, cum qua semper & indesinenter luctabantur.

Voluit tamen Christus, ut Apostoli sic sacram sumerent Cõmunionem,

ut & mortis non essent immemores, cum ante oculos suos suum præceptorem haberent, qui adhuc in flore ætatis esset mortem subiturus, & memores mortis suæ ita communicarent, quasi viaticum extremum caperẽt. Hæc optima dispositio animę communicantis est, sic Eucharistiam sumere, quasi esset illa extrema, & post illam quis esset è mundo abiturus. Quæ forsan causa & occasio fuit, ut subcineritio pane, quo refectus est Elias, cũ esset vivus & sanus, Eucharistia adumbraretur: Cinis in memoriam mortis datur, & cui datur dicit Ecclesia, *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Conjungitur cum pane mystico cinis, conjungitur memoria mortis, ne hęc desit accedenti ad communionem. Adde illud Senecę agentis de Consolat. ad Polyb. cap. 30. *Quid est novi hominem mori, cuius tota vita nihil aliud, quam ad mortem iter est*. Qui est in itinere, mortis accipit pro viatico Communionem, sicut latius inferius dicemus.

Quæst. IV.

An sit contra decentiam Christi venire ad ægros?

CONsideravit Rex David summam celsitudinem Dei, & post eius considerationem miratur, quod se demittat; ut miserum hominem invisat, *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Tunc homo non ostendit suas miserias, sicut ostendit ęgrotus, in quo statu produnt se peccata naturæ, quæ in sacco carnis humanæ continebantur. In hoc statu melius & verius licet dicere Christiano Davidi, *Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum.*

Ps. 8. 5.

Dignatio Christi in ægrotantes.

Ioa. 5. 5.

Similis sibi Christus est, qui cum esset inter nos, sordidos ac leprosos ægros nõ horrebat. Sed quærebat, ut illos recrearet & sanaret. Plena huiuscemodi hominum erat Probatica piscina, plena *cæcorum, claudorum, aridorum*, & ad hanc Christus accessit, cumque nullus esset inter eos magis sordidus & horridus, quam ille, qui triginta octo annos habebat in miseria, ad eum iacentem in grabato putrido convertit pios oculos, & obtulit sanitatem: *Vis sanus*, inquit, *fieri?* Fætebat Lazarus quatriduanus, cujus squalorem & fætorem non poterant ferre sorores, tulit Christus. Erat pijssimus medicus memorque officij sui ęgrotantes non horrebat. Nec horret invisere infirmos omnes, quibus destinata est Eucharistia. Legimus Matth ca. 22. quomodo Rex miserit servos suos, ut invitarent ad nuptias; & invitati noluerint venire ad prandium: Tunc ait seruis suis: *Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias*. In exitu viarum homines inveniuntur planè infirmi, dixitque Deus servo cap. 14. Luc. *Pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*. Hisce ęgrotis destinata Eucharistia est, quibus iam imminet exitus, ut ex hac vita discedant.

Luc. 14. 12

Confirmavit exemplo suo, quod in eodem cap. Christus docuerat & monuerat: *Cum facis prandium, aut cænam noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos & cæcos*. Quis horreat similes vel in mensa vel etiam in lecto jacẽtęs, cum Christus illos non exhorreat, sed quærat, ut illos reficiat? Clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos*. Quod si nequeant illi venire; Christus ipse venit ad eos, ut lecto affixos adjuvet ac consoletur.

Matt. 11. 28.

Ad-

Adest tamquam medicus infirmo, immo & tamquam infirmarius, qui lectum ipsum parat, & mollit. Audi DavidemPsalm. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Rogat Ambros. quis sit iste pauper & inops, & fatetur eum esse, qui propter nos egenus factus est, & adhuc eget in Eucharistia, *Quæ est ergo ista paupertas, quæ divites facit? Consideremus eam, intendamus in ipsum venerabile Sacramentum.* Hoc est viaticum, quantumque ex illo proveniat ægrotanti & pie communicanti, explicat consequenter David: *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.* Hic divinus medicus est, sollicitus infirmarius, de quo statim subjungit, *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: universum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Accedit statim oratio ægrotantis directa ad medicum & infirmarium; *Ego dixi, Domine, miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.* Hic igitur quærendus est medicus, & simul medicina præ cæteris aliis remediis, nec tamen fit, unde habet hic locum, quod ait Philo lib. de Abel & Cain: *Homines, qui nec antea quidem firmiter Servatori crediderant, ad creaturas auxilij gratia confugiunt, medicos, herbas, pharmacorum compositiones, diætam accuratam, cæteraque omnia mortalium auxilia. Quibus si quis dicat: Confugite o miseri ad illum unicum medicum morborum animæ, omissis istis, quæ a corruptibili creatura petitis falsi nominis auxiliis: rident, & cavillantur reclamantes: in crastinum ista.*

Quæst. V.

An Christus illuminet accipientem Viaticum?

MIrum est, quod cum S. Ioannes dixerit de Christo in Evangelio; *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* manserit ibi, nec ulterius progressus fuerit, ut affirmaret non solum venienti, sed etiam exeunti de mundo homini affulgere. Dixit de Christo David: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es:* dixitque postea Isaias, *Sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Cum talis lux sit, non solum venientes, sed etiam è mundo recedentes illuminat. Ioa. 1. 9. Ps. 22. 4.

Nusquam magis necessaria lux est, quam cum ingruunt mortis tenebræ pro quarum dissipatione Christus se in Eucharistia reliquit. Ea propter *in qua nocte tradebatur, accepit panem.* Quid pani cum lumine? Cyprian. Serm. de cæna Domin. *Sacramentum nos tactu sanctificat, fide illuminat:* & Chrysost. Hom. 24. in 1. ad Cor. *Ipsa mensa animæ nostræ vis est salus, lux & vita nostra.* Hinc efficitur, ut qua nocte tradebatur, ad nocturnam mortis caliginem tollendam & evertendam instituerit Sacramentum, in quo continetur lumen, de quo David; *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen:* & iterum: *Deus Dominus, & illuxit nobis.* Accedit comentarius Rabbi Ioanna, quem Tom. 4. Bibliothec. affert & refert Hieronym. a. S. Fide lib. 1. contra Iud. cap. 5. *Simile est hoc homini, qui per auxilium cujusdam lucernæ pergit ad lucem in nocte, quam quidem extinctam a vento interim accendit, & rursus eam extinguit, & ipse incendit, & hoc facit sæpe: demum ipse dicit: Quid inde tantus la-* *Lux Eucharistica* 1. Cor. 11. 23. Ps. 35. 10 Ps. 117. 27.

bor erit? Volo expectare, donec sol exeat, ad cuius lucem faciam iter meum. Hoc est, quod dicit David, Deus Dominus & illuxit nobis. Hoc ipsum est quod accidit facienti iter in cælum, ut cum alia extinguantur lumina terre, cæli & oculorum, solum illud luceat, quod splendet in Eucharistia, & illud percipiẽtes ægri dicere queant; *In lumine tuo videbimus lumen*, &, *Deus Dominus illuxit nobis.*

Ioa. 8. 12. Christus lux vera est, quæ illuminat omnem hominem venientem, & simul
Ioa. 10. 35 exeuntem de hoc mundo, cum dixerit ipse de se. *Ego sum lux mundi*: hortatusque Apostolos fuerit, *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos cõprehendant.* Eucharistica lux ad quam iter nostrum facere & simul absolvere
Ps. 26. 1. vere debemus. Beatus, qui sic abierit, & sic obierit, ut & dicere possit cum Davide: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat in me prælium, in hoc ego sperabo.* Sperabat D. Franciscus, qui postquam sacrum accepisset viaticum, dixit cum Davide Psalm. 141. *Clamavi ad te tota die: dixi, Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.*

Quæst. VI.
An Christus sit dux itineris accipienti Viaticum?

CUm in terram promissionis populum Hebræorum advocasset ex Ægypto Deus, providit de Angelo ac duce, qui interdiu, noctuque per deserti avia & invia eum dirigeret, ita tamen, ut nubes, in qua Angelus erat, de die faceret umbram, de nocte lumen, sicque per umbram & lumen visibile populus ducebatur. Nisi quis videret ducem, quî fieri potest, ut dirigi ab eo queat? Christus in hoc Sacramento nec cernitur nec videtur, sed solum creditur; Fides autem quemadmodum definit Aposto-
Heb. 11. 1. lus, est *sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*, ac proinde non potest, si creditur in Eucharistia, apparere Christus, sed latere. Quod si latet, & non apparet, quomodo dux erit? quomodo suum ducatum præstabit?

Dux morientium. Natus est Christus in Bethleem, ut secundum Matth. cap. 2. esset populi dux; *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Nascitur in domo panis dux, qui suum ducatum annexuit venerabili Sacramento, dixitque propterea
Ps. 30. 4. David, *Deduces me, & enutries me.* Totus in hac parte erat Davidicus S. Guillelm. Episcop. Bituricens. cuius meminit Sur. in Ianuario. Hic venerabilis Presul sacrum Viaticum sibi porrigi instantissimè postulavit, ut *tanto itineris duce munitus* posset securus hostium cuneos penetrare. Cum illud accepturus esset, expansis in crucis formam manibus, & oculis in cælum sublevatis, carnem Salvatoris non sine lachrymis corde contrito & humiliato manducavit. Hoc facto lætior effectus confortatur in Domino, sciens se fortissimum in illo certamine habere adiutorem, *ducem itineris*, præmij largitorem.

Nec quidem opus est, ut videatur dux, satis est ut credatur. *Beati qui non*
Ioa. 20. 29 *viderunt & crediderunt.* Carnalis ille populus non erat talis, ut spiritaliter duci posset, & idcirco necessum erat, ut per umbram, & lumen illius nubis regeretur: plebs vero Christiana, cum spiritalis sit, aliter ducitur, aliter dirigtur

rigitur, nimirum lumine fidei, quo Reges Arabiæ ducti in patriam suam reversi sunt. Cum venerunt, visibili stella regebantur, sed cum redierunt Matth. 2. 12. *Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt.* Necdum perfectè crediderant, & visibili stella indigebant, fidem perfectam habentibus necessaria pro via non erat, & idcirco disparuit stella. Quam sit necessaria fides Eucharistiæ pro exitu ex hac vita, refertur in vita S. Malachiæ. Cum quis negaret veritatem Eucharistiæ, dixit illi Malachias *Deus te fateri veritatem faciat, vel ex necessitate.* Respondit ille, *Amen*, & statimegressus morbo correptus est in egressu civitatis, nec poterat progredi nec regredi, regressus est alienis brachijs, confitetur, absolvitur, & fidelis moritur.

Quæst. VII.

Qua via Christus nos ducit ad terminum vitæ?

DUx itineris nostri Christus est, ut nos ducat ad illam felicem mortem, de qua David, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius:* & de qua Ioannes: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Ad mortem ducit natura homines per terram & aquam, per aerem & ignem. Componitur mortalis omnis ex quatuor qualitatibus humorum respondentibus quatuor elementis terræ, aquæ, aeri & igni, & cum illæ debitum modum, & temperamentum non servant, male habet homo, & ad mortem trahitur. Per terram trahitur, cum arescit, per aquam, cum liquefit, per aerem, cum extenuatur, per ignem, cum igneis febribus inflammatur & vritur. Numquid per has easdem vias ducit nos ad terminum vitę Christus, postquam viaticum sumpsimus?

Ducit plane per terram, cum terreo humore premimur & obruimur, alens nos spe futuræ resurrectionis, ut docet Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 34. *Vt panis his terrestris fovet, imbecillitatem carnis nostræ sustinens & conservans; ita & per Spiritum sanctum spiritum nostrum vivificat, & corpus ipsum à corruptione liberat.* Ducit plane per aquam, ne submergamur, sed evadamus similes Christo, nobis dissimiles, ut idem Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 14. contestatur; *Quamvis aqua naturaliter frigida sit, adventu tamen ignis suæ frigiditatis oblita æstuat. Hoc sane modo nos quamvis propter naturam carnis corruptibiles simus, participatione tamen vitæ ab imbecillitate nostra revocati, ad proprietatem illius ad vitam reformamur.* Ducit planè per aerem, cum extenuatur homo animam efflaturus, sed ut fulciat ægrotum, ita ut dicere possit. *Cum infirmor, tunc potens sum.* Ducit planè per ignem, sed ad refrigerium, cuius appetens dicebat David, *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Eventus voto respondit, *Transivimus per aquam, & ignem, & induxisti nos in refrigerium.* Cæperat hoc sentire. D. Laurentius, cum in craticula positus cursum martyrij sui conclusit agendo Deo gratias. *Gratias tibi ago Domine, quia ianuas tuas ingredi merui.* Iustus erat Laurentius, & de illo scriptum est Sapient. 4. *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Fuerunt qui contrarium existimarunt, sed turpiter errarunt, ut idem sapiens cap. 2. definit. *Dixerunt enim cogitantes apud semetipsos non rectè: Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, &* non

Via in eatium.
2. Cor. 12. 10.
Ps. 41. 2.

non est refrigerium in fine hominis. Erat Lazarus in refrigerio, ille non erat, qui petebat ab Abrahamo, ut Lazarum ad se mitteret, Luc. 16. Ut *refrigeret*, inquit, *linguam meam.*

Quæst. VIII.

An Christus sit viaticum & via?

Ioa. 14. 6. Ioa. 6. 59. CHristus via est, dicit enim ipse de se, *Ego sum via, veritas & vita:* est simul & viaticum, cum & ipse dixerit; *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Verumenimvero cum ita differant a se viaticum & via, qui fieri potest, ut Christus sit viaticũ, & via? Quod hæc affert, illud tollit. Via difficultates affert, & illas tollit viaticũ: via necessitates inducit, quibus succurrit viaticũ, cũ ita discrepent inter se, quomodo conveniunt in Christo?

Viaticum & via. Conveniunt in Christo viaticum & via, scribit enim Apostol. ad Hebr. cap. 10. *Habentes itaque fratres fiduciã in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id est, carnem suam, & Sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.* De carne velata in Eucharistia intelligit hunc locum Diuus Thomas, quæ cum detur in viaticum, nova & vivens via est, quam Christus Dominus inchoavit, & regiam fecit, per quã deinceps sancti incederẽt, quemadmodũ incesserũt Apostoli, & cęteri eorũ successores & imitatores.

Via nova est, in qua totum quantum necessarium est, invenitur ad difficultates vincendas, & necessitates superandas. Quicquid difficile & arduum in morbo est, vincitur per Eucharistiam, quæ est levamen ęgrotantium, ut per totum Sanctuarium Crucis & patientiæ ostensum est. Percurrimus ibi per omnes Crucis ægrotantium, & in singulis ostendimus nullam esse difficultatem, quę virtute sacræ Eucharistiæ non superaretur, nullam esse necessitatem, cui illa non mederetur. Medetur extremæ mortis necessitati, siquidem pro dignitate viaticum sumens non vincitur ipse a morte, sed potius illa vincitur ab ipso, more Christi dicentis, *Sicut misit me vivens pater, & ego vivo propter patrem, & qui manducat me, & ipse*
Ioa. 6. 58. *vivet propter me.* Hoc est, ut ait Cyrill. *Homo factus vivo, corpusque meum vita replevi non aliter, qui carnem meam manducat, propter me vivet: mortalem carnem assumpsi, sed quia naturaliter vita existens habito in ipsa, totam ad vitam meam reformavi: non enim sum victus interitu carnis, sed ut Deus omnem interitum superavi, sic qui manducatione carnis meæ me recipit, vivet totus ad me reformatus.* Hæc est via nova & viuens, quam nobis Christus initiauit, & Paulus Apostolus annuntiavit.

Da mihi viam, quæ quicquid necessarium est viatori præbeat & ministret, indubiè & ipsa viaticum erit. *Ego sum via*, inquit Christus, si esurias &
Ioa. 6. 56. sitias, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Si quæras requiem in via, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Si occurrit in vita hostis, habes arma. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Si mors occurrat, habes vitam. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternũ.* Hæc & alia subsidia itineris nostri in Eucharistia reperiuntur, ut & illa via sit & viaticum. Quod si desit, accidit quod refertur apud Surium mense Dec. in vita S. Ebrulphi Confessoris, cũ grassaretur pestis, unus è fratribus sublatus est sine communione cum magno Ebrulphi dolore, qui accedens ad defunctum ait, *Eheu frater cur abijsti sine com-*

communione! Ille tamquam ex somno expergefactus paululum apertis oculis, *Tu es*, inquit, *Domine*, Vir Dei respondit, *Ego sum, sed dic mihi, ubi interim fueris, & quid videris*. Et ille, *Revocasti me*, inquit, *a labore itineris, quo me cruciabat adversarius*. Et vir sanctus, Vis, *Eucharistiam accipere! Volo* respondit, cumque accepisset, pacis somno obdormivit.

Quæst. IX.

Cur per modum cibi datur viaticum?

MUltis indiget viator, ut iter suum faciat & conficiat, Eget vestibus aptis & idoneis ad iter, aliæ enim vestes conveniunt domi, aliæ foris. Indiget armis, ut se tueatur in via. Indiget equo, à quo possit commode vehi. Non itaque solum indiget pro viatico esca & cibo, cur ergo per modum cibi viaticũ subministratur? Christus viatoribus pro veste est. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est*. Christus portitor Eph. 4. 24
viatorum est, *Factus est principatus eius super humerum eius*. Christus viatorũ gladius est, *Vivus est sermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti*. Christus annona est, *Hic est panis, qui de cælo descendit*, Nec caret mysterio Ioa. 6. 59
quod non a veste, non à gladio & cęteris alijs necessarijs ad iter, sed a cibo, in cuius formam exhibetur, Viaticum desumatur.

In modum cibi Christus voluit esse viaticum, ne quid esset, quod hominem abeuntem gravaret. Accipit viator sibi necessarium cibũ, nihil sentit ponderis & oneris, quin potius cibo sustentatur & levatur. Accipit æger Eucharistiam, & post eius comestionem facilis & agilis est ad iter suũ perficiendum, more Prophetæ Eliæ, qui vel in typo Sacramenti totus alacer, totus excitatus ambulavit usque ad mortẽ Dei Horeb. Nesciebant antiqui Israelitæ mysterium, quo Deus non grave sed leve contulerat illis manna. Contulerat escam levem, ne cum essent viatores, onerarentur ac gravarẽtur, & illi tam ignari, quam ingrati locuti sunt, *Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo*. Christus illud esse viatorum voluit, quod erat levissimũ, ne quis patiatur tædium itineris & laboris. Christus, cum dixerit; *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis*, nõ tollit onus sed reficit, ut facilius viator possit incedere. Accedit Cyr. lib. 3. in Ioa. c. 34. *Cum, ut magni ponderis lapis ad hæc instabilia prematur appetitus, quasi fræno quodam ad desiderium rerum meliorum Christus nos circumducit hoc spirituali cibo*.

Levamen morientiũ · Num. 21. 5 · Matt. 11. 28.

Grave iugum & onus imposuit Deus super filios Adæ, sed hoc totũ ablatum est virtute sacræ Eucharistiæ, testante hoc ipsum Isai. c. 9. *Lætabũtur coram te, sicut lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia. Iugum enim oneris & virgam humeri eius, & sceptrum ex actoris eius superasti, sicut in die Madian*. Expendendum est, quod iugum & onus impositum a Madianitis ablatũ est Iudic. 7. per subcineritium panem, quem vidit in somnis miles verti contra castra Madiã, & illa subvertere. Hic panis est typusq; Eucharistię, quæ & iugum mortalitatis virgam & sceptrum mortis imperantis & regnantis abstulit, & aufert: confertq; quicquid necessariũ est pro itinere. Viator erat David & pręscius futurorum dicebat; *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit. Deduxit me super semitas iustitiæ*. Concludit, *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es*. Ps. 22.

Quæst. X.

An post viaticum liceat ægroto tristari?

CUm dixerit David Psalm. 82. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*: & canat etiam Ecclesia, *Ex altari tuo, Domine, Christum sumimus: in quem cor & caro nostra exultant*, omnis mæror & tristitia habere locum non debet tam in spiritu, quam in corpore laborantis & ægrotantis, cum sacro viatico reficitur. Nihilominus videmus Christum, postquam accepit viaticum, pavere, tædere, & mæstum esse, & eum lo-
Matth. 26 quentem audimus, *Tristis est anima mea usque ad mortem.*
38. Tunc temporis Christus ęgrum & infirmum egit, cum dixerit, *Spiritus*
Tristitia *quidem promptus est, caro autem infirma.* Alacer & excitatus *Dominus Iesus, in*
licita est. *qua nocte tradebatur, accepit panem*: & hic ipse paulo post mæret, & tristatur
Mat. 26. permittens infirmæ carni, quod ipsi debebatur. Novit Deus figmentum
41. nostrum, novit naturam nostram, cui attemperare se voluit, voluit cum illa infirmari, voluit mærere & dolere post sacri viatici degustationem. Eadem ipsa nocte, qua Eucharistiam instituit, & Apostolis eam distribuit, invasit illos mæror & tristitia, unde mirum non est, quod interdum viri Apostolici, qui parũ ante lętabantur, cũ viatico reficiebantur, parum post angantur & affligantur, & quidem de peccatis condonatis, ex quibus orta tristitia laudabilis ac commendabilis est, cum scribat Apost. 2. ad Cor. ca. 7. *Quæ enim secundum Deum tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.* Laborabat sæculi tristitia Antiochus, & præ mærore & dolore miserè obijt. Quod siquis innocens est, & injustè patitur tormenta & pænas, meminerit 1. Petri. cap. 2. scriptum esse; *Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste. Quæ enim est gloria, si peccantes, & collaphizati sufferti? Sed si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum: In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquẽs exemplum, ut sequamini vestigia eius.*

Cum ęger in sumptione venerabilis Sacramenti excitatur & lętatur, Christo fruitur in cænaculo: cum vero tædium & mærorem patitur, tri-
Matt. 14. statur cum Christo in horto, ubi *capit pavere, & tadere, & mæstus esse*, ubi te-
33. status est, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, ubi, *factus in agonia prolixius*
Luc. 22. *orabat*: quo major est angor, & agon, eo intentior oratio, eo ferventior de-
44. bet esse supplicatio. Talis erat oratio Davidis Regis, cum diceret, *Dormitavit anima mea præ tadio: confirma me in verbis tuis.* Dormitare est ęgrotare, dormire mori, sicut & in parabola virginum. Matt. 25. expressum est, *Dormitaverunt omnes, & dormierunt.* Præcedit ægritudo mortem, dormitatio somnum, igitur anima Davidis in statu suæ infirmitatis dormitavit præ tędio, & oravit, *Confirma me in verbis tuis.*

Quæst. XI.

An post sumptum viaticum actum de vita sit?

HIc mos est communis viatoribus humanis, ut cum iam sibi providerint de omnibus ad iter necessarijs, ad illud se accingant, & valè extremum dicant ijs, cum quibus hactenus vixerint, & egerint. Sumpsit viaticum æger, igitur ab omnibus rebus & personis se expediat, ne-

necesse est, & dicat valè ultimum humanæ vitæ, de qua actum esse arbitraturus est. Habeat præ oculis Christum, qui sacro accepto viatico & simul Apostolis dato, nihil deinceps de vivendo egit, sed de moriendo cogitavit, & certus de morte futura præscripsit & præcipit suis: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Cum ita se res habeat post acceptum iam viaticum; quid sperat æger? quid orat infirmus, ut vivat? quid pro eius vita speratur, & oratur? actum est,

Errant, qui putant esse negotium desperatum, cum venitur ad viaticũ, quod sæpe a medicis desperatos & deploratos revocat ad sanitatem. Hippocrates & Galenus diffidunt de sua arte, & bene faciunt, sed Deus artifex vitæ humanæ, nec desperat, nec desperare potest de salute danda, cum a sua voluntate dependeat, nec æger potest ab illo non sperare sanitatem, dum vivit, cum sit auctor mortis & vitę. Laudandus Ezechias est, qui cum graviter ægrotaret, & eum monuisset Isaias: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*, nihilominus oravit Deum, ut vitam eius prorogaret, & ad quindecim annos prorogata est, reddita prius sanitate per massam ficorum, quam pro remedio infirmitatis Regi applicandam instar medici Isaias imperavit. Egit Isaias medicum, cum præmonuit, *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*, & cum postea medicinam applicavit. Ezechias verò medicum desperantem audivit, & ad Deum confugit, non solum arti humanæ medicinæ diffidens sed & suæ naturæ. Diffidens utrisque inquit; *Ego dixi, in dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi.* fretus tamen Deo salutem petivit, & acquisivit. Igitur postquam acceperis viaticum, & si veniat Isaias, dicatque. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non vives*, adhuc licet postulare bonam valetudinem & vitam.

Eucharistia salutaris. *Isa. 38. 1.* *Isai. 38. 10*

Quid non liceat? Christus ipse, postquam sumpserat iam viaticum, & valere suos jusserat, venit ad hortum, & in eo Patrem oravit velut infirmus homo, ut si possibile esset, mortis hora differretur, *Pater mi si possibile est transeat a me calix iste: verumtamen non fiat, quod ego volo, sed sicut tu.* Placuit Patri, ut pro nobis moreretur, & ut moriens ita oraret, & orando ægrotantes informaret, post assumptum iam viaticum posse vitam longiorem postulari. Et quidem antiquum manna vitam non minuebat, sed augebat, nec infirmitates dabat, sed tollebat, & sic viatores illi valebant, ut non esset *in tribubus eorum infirmus*. Satis infirmus erat propheta Elias, cum sub umbra iuniperi iaceret, & peteret animæ suæ, ut moreretur, sed cum pane typo Eucharistię, refectus esset, ita convaluit, ut totus validus ac vegetus in altum montem perrexerit, & ascenderit. Hic panis infirmorum validos, & vegetos reddit ægros, & tamen cum sit præsentaneum remedium, non statim ad illud recurrunt, sed ut loquar cum Philone lib. de Abel & Cain, reclamant. *In crastinum ista, quasi ne præsentaneam quidem malorum depulsionem petituri a Deo supplices, sed quando nihil humanæ opis proficit, & vel Pæonia remedia officiunt: tum demum penitus destituti consilio nullum aliunde sperantes auxilium, infelices volentes nolentes vix sero ad Deum, qui solus servare potest, se recipiunt. Ille non ignarus parum valere, quæ extorta sunt, non omnibus pariter est facilis, sed his, in quos benè collocatur beneficium.*

Matt. 26. 38. *Ps. 104. 37*

Quæst. XII.

An quis ante navigationem debeat præmunire se sacro Viatico?

HEbræi mare rubrum transierunt, ante cuius transitum provisum de manna illis non est, cum tamen tot in eo passuri essent vitæ pericula, ac discrimina. Non erit igitur necessarium, ut qui navigaturi sunt, & maris subituri tempestates, sacro se viatico præmuniant. Nec credendum est præmunitos Hebræos viatico, quamvis domus ipsorum portæ ac liminaria tincta atque notata sanguine agni fuerint, cum occisio generalis primogenitorum ab Angelo patraretur. Si quidem *baptizati sunt in nube & mari* & ante susceptionem sacrosancti baptismi nec datur nec accipitur agnus Eucharisticus.

1. Cor. 10. 2.

Viaticum necessariũ pro navigatione periculosa

Verumenimvero cum viaticum Eucharisticum tutum sit pro periclitantibus de vita, & tot ac tanta sint pericula in mari de illa perdenda, debet is, qui ad longam se parat navigationem, sacra se Eucharistia prius reficere, præmuniendo se contra discrimina vitæ, & simul contra sæuum mare, ut in conspectu mystici Agni desæviat pelagus. Christus exemplo præivit, cui maremagnum passio crudelis fuit, dicitque propterea ipse, *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*, antequam mare illud intraret, sacrum accepit viaticum. Adumbrabat Christum Ionas, qui iactatus ingenti tempestate maris devenit in ventrem ceti, unde minimè evasisset, nisi præfigurasset eum, qui post cænam factam egressus est è cænaculo ad tolerandam passionem, in qua dicit ipse Patri; *Omnes fluctus tuos induxisti super me.* Nemo navigat, qui felix & fortunatus esse non velit, & si quis acceperit Christum, & duxerit secum, habet unde benè speret, & benè ac prosperè suam faciat navigationem. Si enim trepidanti nauclero propter exortam tempestatem dicere licuit Cæsari, *Cæsarem vehis & simul eius fortunam, & times?* magis hoc convenit Christo, qui imperat ventis & mari, ne sæviant, & si sævierint, iram & furorem suum deponant ad stuporem intuentium & dicentium: *Quis est hic? mare, & venti obediunt ei.*

Ps. 68. 3.

Isa. 87. 8.

Necdum agnus comestibilis erat, antequam populus mare sacri baptismi transisset, erat tamen passibilis, ut eius sanguis liminaribus domorũ affixus declarabat in similitudinem eius, qui passurus erat, & cuius virtute passionis erat populus baptizandus. Post baptismum rubri maris, agnus in cibum datus est, sicut & panis azymus, qui in farina solum erat, & ex ea panis confectus est, postquam Israelitæ aqua lustrati sunt. Cum azymus panis esset typicus & Eucharisticus tinctis, & lustratis aqua post baptisma, & non ante competebat. Et quidem sicut olim filij Israelis ducebant secum manna in via, Christiani etiam invia periculosa secum deducebant Eucharistiam. Quare in vita S. Laurentij Episcopi Dublimensis, quæ est apud Sur. in mense Nov. Quatuor sacerdotes cum magna turba iter faciebant, & Eucharistiam, sicut tunc moris erat, pluribus pro tuto viatico, ac securo duce itineris deferebant. Quos cum invasissent latrones, gravissimas pænas dederunt. Solus iam Pontifex Eucharistiam in itinere aliquando præfert.

Quæst.

Quæst. XIII.

An quis ante prælium debeat Viaticum accipere?

CUm Abrahamus é prælio victor regrederetur, Melchisedechus panem & vinum obtulit, quid ergo necessarium est, ut ante bellum sumatur Eucharistia, cum tota sit hostia pacifica. Quid bellum cum Agno? Et si quis amator est pacis, Agnus est Eucharisticus, quem in singulis Missis orat sacerdos, & per Sacerdotem Catholica Ecclesia; *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.*

Celebre prælium commisit Gedeon, & antequam illud committeret, præcessit revelatio panis hordeacei, qui tabernacula Madianitica destruxit, & adstruxit quanti momenti futurum esset, ut instituta aliquando Eucharistia præsumeretur, antequam certamen iniretur, in quo humana vita extremum discrimen patitur. Dirum ac durum prelium sancta Christi passio fuit, cum canat Ecclesia, *Pange lingua gloriosi prælium certaminis*, & antequam prodiret in campum, percepit viaticum monens omnes militares ut quod prius fecit ipse, ante certamen & pugnam exequerentur. Extiterunt imitatores Christi magni illi præliatores, de quo Paulus ad Heb. c. 11. *Fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Castra tyrannorum fortes Martyres superarunt, qui se prius Eucharistia communiebant. Priusquam Sampson gereret Domini prelia, prægustavit fauum mellis, præsumpsitque sacram Eucharistiam, de qua eius problema, *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, planè & sine controversia intelligitur Laudat. Theodoret. lib. 3. Hist. cap. 3. Constantium Imperatorem, qui in bello contra Magnentium ordinem dedit, ut omnes præliantes se munirent sacro viatico, reddens sui mandati rationem, nimirum semper esse finem vitæ maxime in bello, ubi undique imminet periculum. *Quod si quis*, inquit, *noverit hoc tempore amiculum illud sibi circumdare, is iam nunc dimissus domum revertatur: Nam nisi mecum initiatis in bello sociis uti non volo.* Bonsinus Decad. 2. de rebus Hungar. li. 1. refert Henric. Imperatorem prævia confessione ante prælium & sacra Eucharistia se & exercitum solitum esse communicare. *Viaticum præliantium.*

Eucharistia hostia est & victima. Hostia ab hostibus dicta est, & ante prælium cum hostibus ineundum libatur: victima autem ab eisdem victis vocata est, & fiebat postquam victroia comparata erat. Post victoriam partam redeunti ex prælio Abrahamo Melchisedechus adstitit offerens panem & vinum, insinuans Eucharistiæ victimam aliquando futurã: hanc eandem fore ad prælium hostiam fauus Sampsonis, & panis subcineritius Gedeonis prænuntiarunt. Unde fit ut & hodie in memoriam passionis hostiam, & in memoriam resurrectionis victimam in sacro altari Deo consecremus & immolemus. Ad hanc eandem formam cum quis moribundus est, subministramus illi viaticum in sacra hostia, ut in mortis articulo pugnet contra hostes fortiter & animosè, dicens cum Davide Ps. 22. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Post partam victoriam celebramus pro defunctis, & victimam immolamus.

Quæst.

Quæst. XIV.

An quis ante supplicium debeat viaticum sumere?

LEx iustitię reum addicit morti, quem sępe absolvit, & eripit lex clementię, cum nimirum trahitur ad extremum supplicium, & incurrit in oculos clementissimi sui Principis. Cum olim Rex Assuerus perfidum & perduellem Amanum ad suspendium damnasset, statim ministri eius faciem cooperuerunt, ne Principem oculis contemplaretur, & eius aspectu liberaretur. Quæ lex etiam nunc in aula sancta est. Nihil benignius, nihil clementius est Christo, cuius clementia atque benignitas in simili casu innotuit, cum nimirum apprehensa in adulterio mulier, ac proinde mortis rea non evasisset supplicium, nisi in oculos eius incidisset. Salus in aspectu Christi erat, & idcirco omnes, qui erāt ad extremos morbos damnati, sacram eius faciem affectabant intueri & contemplari pro sua liberatione, nec spes eos decipiebat, & fallebat. Accedebat quoque David, dicebatque, *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Cum tanta sit virtus
Ps. 79. 4. nostri clementissimi Principis, qui in sacra Eucharistia est, neganda videtur reis, ne præsentiam & clementiam eius implorent pro sua immunitate atque incolumitate. Si hęc non concedatur post acceptum viaticum, clementiæ Christi non parum, sed multum derogabitur: negetur igitur, ut & hoc pacto lex justitię, quæ reum pro meritis damnat, intacta illæsaque custodiatur.

Vita aeterna per Christum Christus extremum crucis supplicium passurus viatico se communivit, quomodo ergo damnatis ad mortem reis negari poterit, etsi pro meritis suis puniendis? Extat de hac re canon in Concilio Moguntino sub Habrano Episc. cap. 27. & Exemplum apud Cedren. in Phoca anno 1. & anno 1607. serenissimi Belgarum Principes hoc ipsum edicto suo sanxerunt. Puniebantur pro meritis latrones duo, in quorum consortio Christus crucifixus est. Bono & malo latroni se obtulit redemptorem, quidni pastorem, ut oves errantes pasceret, & ad caulas suas reduceret? Summa clementia Christi consistit in eo, ut ad æternam vitam perditos homines revocet, non ut temporalem ac momentaneam illis largiatur. Sempiterna vita est, ad quam bonum revocavit latronem, cum pollicitus est, *Hodie*
Luc. 23. 43. *mecum eris in paradiso*, & hæc eadem est, quam secum affert Viaticum; *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hęc a Christo petenda est, non ita
Ioa. 6. 60 temporalis, qua suo aspectu reos donare Principes solent. Hoc parum pro Christo est, quid majus expectandum est ab eo, cuius regnum æternum stat & semper stabit.

Hinc detegitur turpis error mali latronis, cum diceret Christo; *Si tu es*
Luc. 23. 39. *Christus, saluum fac temetipsum & nos*, hoc est, cum Rex ac Princeps sis, quare tuam non ostendis potentiam, ut te a morte liberes? quare non tuam declaras clementiam, ut nobis vitam concedas? Deprehendit eius errorem, ac simul reprehendit bonus reus, *Respondens autem alter increpabat eum dicēs: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Hic sapiebat, qui vitam dignam tanto Prin-

to Principe in regno ſempiterno optabat & poſtulabat. Hęc eſt, quæ pēdet ex vultu Dei, ſive ſe in cruce offerentis, ſive oblati in Euchariſtia, quæ reis, ut per mortis inflictæ ſupplicium ęternam vitam acquirant, concedenda eſt. Hæc cauſa eſt propter, quam cap. 6. Ioannis, cum Chriſtus ſacram promulgavit Euchariſtiam, meminit ſolius æternę vitæ, *Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hanc nos quoque vitam appetamus, & petamus, qui ſumus ad mortem quoque damnati.

Quæſt. XV.

An remittendum ſit tempus accipiendi Viaticum iudicio medicorum?

AGit de officio medici Eccleſiaſt. cap. 33. & propter illud eſſe honorandum ſtatuit, & ſimul audiendum in ijs, quæ pertinent ad artem medicinæ: *Honora*, inquit, *medicum propter neceſſitatē: etenim illum creavit Altiſſimus, A Deo eſt enim omnis medela, & a Rege accipiet donationē Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum collaudabitur.* Magnus hic honor eſt medici ſalutaris, qui pro officio ſuo *mitigabit dolorem & unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis.* Poſt hęc Euchariſticum agens, medicum ſpiritalem hortatur ipſe ægrum. ne deſpondeat animum, ſed oret, confiteatur, & accipiat viaticum. *Fili in tua infirmitate, ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te.* Hoc eſt primum. *Averte a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* Hoc eſt ſecundum. *Da ſuavitatem & memoriam ſimilaginis.* Hoc tertium, quod pertinet ad viaticum. Quo loco conſiderandum eſt, quod minus fidens medico corporali Eccleſiaſticus id, quod pertinet ad animam ſuſceperit ſuper ſe, & per ſe ipſe hortetur ad orationem, confeſſionem & extremam communionem, cenſens & iudicans rem tanti momenti, qualis eſt ſalus animæ non debere a vulgari medico pendere, ſed ab eo potius, cui cura de anima commiſſa eſt. Non tanta eſt ars medicinę temporalis, ut tangat animam, ſed ſolum corpus, & eius artis profeſſor poſſit aut debeat ultra ea, quæ ſunt de ſanitate corporali, progredi, atque procedere.

Chriſtus ſibi Viaticum paravit, & accepit *ſciens quia venit hora eius.* Et quidem viaticum dandum eſt his, quibus imminet hora poſtrema, de qua nemo præter Dominum Ieſum pro ſe decernere ac iudicare potuit, unde recurrere debent ægri ad medicos, ut de ſtatu morbi & ægritudinis iudicium ac ſententiam ferant. Penes illos eſt cognoſcere imminens vitæ periculum, & de illo monere, ut ſe accingant ad iter, ac proinde tempus recipiendi viaticum aſſignare ipſi debent. Nec diſſentit Eccleſiaſticus, qui cum ageret de viatico ac diceret; *Da ſuavitatem & memoriam ſimilaginis*, addit, *& impingua oblationem, & da locum medico: etenim illum Dominus creavit, & non diſcedat a te, quia opera eius ſunt neceſſaria.*

Maximè neceſſarium eſt, ut medici moneant ægrotum, ut ſuo tempore ſumat Euchariſtiam, ſignificantes, hanc etiam ad ſanitatem reſtaurandam deſervire melius & certius quam manna Iſraelitarum, cuius cauſa, *nullus erat in tribubus eorum infirmus.* Qua in parte notanda occurrit magna providentia Chriſti, ut duo Sacramenta inſtituta pro infirmis nimirum Eucha- *Medicorum iudicio ſtandū*

cha-

charistici viatici,& extremæ unctionis talia essent,ut & corporibus ęgrotantium mederentur. Sapienter ac clementer ita provisum est, ne infirmos medici deterrerent, cum viaticum & etiam extremam unctionem accipiendam esse monerent. Quæ duo Sacramenta, si corpoream sanitatem non efficerent, & a medicis iniungerentur desumenda, indubie incuterent timorem & terrorem. Ne incuteret horrorem sumentibus, carnem & sanguinem suum sub formis accidentarijs panis & vini seipsum tradidit, & idem ipse ne terreret, sed potius daret animos, ac corda morientium confirmaret, sub specie panis, qui corroborandi vim habet, se confert pro viatico & remedio vel ipsius vitæ temporalis.

Quæst. XVI.

An æger nosse debeat sibi Viaticum dari?

NE nimis apprehendat ęger morbi sui gravitatem, ac terreatur, ieiuno solet interdum suppeditari Eucharistia, qua accepta manet in ea opinione, quod sacram sumpserit communionem, non viaticum. Cum de accipiendo viatico pręceptum sit, non videtur illud implesse, cum ignoret, quid ipse communicans fecerit. Acceptio sacri viatici notionem & attentionem postulat in eo, qui illud capit, ac proinde plenis adhuc sensibus subministratur ægrotis, & non extra se positis, quemadmodum solet extrema unctio subministrari. Quod si viaticum dari possit ignaro, detur etiam posito extra se, sicut & extrema unctio ministratur.

Viaticum esse potest etiam ignotum. Sacra Eucharistia attentam exigit considerationem, monetque propterea Salomon. c. 23. Prouerb. *Quando sederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam.* Quem locum sacri Interpretes de mensa altaris accipiunt. Huic monito satisfacit ęgrotus, qui sacram accipit communionem, etsi illam per modum viatici non sumat. Nosti, quæ tibi datur pecunia nescius itineris, ad cuius sumptus & expensas destinatur, habes nihilominus in illa viaticum, quo munitus iter, quod ingrederis, facias. Novisti tibi Eucharistiā administratam, nec putasti tibi deservire pro itinere, deservit planè, cum sis in via, & pro eius subsidio, & tui pręsidio illa fungaris. Præstaret tamen, ut ægrotus sciret sibi dari viaticum, ut melius pararet se ad illud percipiendum, & cum nosset futuram esse posse extremam communionem, extremam faceret diligentiam, ut pro dignitate Christum caperet, & suum iter Deo enixius commendaret. Sed interdum dandum aliquid est humanę fragilitati.

Quamvis ægro extra se posito extrema unctio ministretur, non tamen idcirco consequens fit, ut Eucharistia debeat aut possit in eo statu subministrari. Ante perceptionem Eucharistiæ requiritur illud, quod scribit Apostolus: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*; ut quis se dignum iudicans, & non aliter communicare queat. Hoc autem iudicium penes communicantem est, non penes ministrum Eucharistiæ, & propterea scire ex ægro debet, an eo statu sit, ut possit sumere venerabile Sacramentū, si tamen non sibi constet ægrotus, ex illo constare nequit Sacerdoti, dignus vel indignus sit. Non tantum pro extrema unctione desideratur, sufficit sola præsumptio de conditione, & voluntate ægrotantis, ut illa applicetur

1. Cor. 11. 28.

cetur & detur in formam orationis & supplicationis. Orat enim Sacerdos, cum ungit ægrotum, ut indulgeat illi Deus, quicquid per sensus peccavit: oratio autem & supplicatio pro ægro usque ad extremum vitæ terminum ritè ac rectè fieri potest, & debet. Nec est opus, ut ille, pro quo oratur, sit conscius sacrarum precum, quæ pro illo fiunt.

Quæst. XVII.
An nimio senio laborantibus sit Communio pro Viatico?

SEnectus ipsa est morbus, & extrema extremo æquivalet morbo, cum Psalm. 89. dixerit David, *Anni nostri sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, amplius eorum labor & dolor.* Prẹter laborem & dolorem nihil est aliud nimio senio laborantibus, ita proximis sepulchro, ut de eorum ætate dixerit Solon Atheniens. relatus a Philone lib. de Mund. opificio. *Quisquis decimam poterit contingere metam, iam tempestivo considerit funere.* Siquis vi morbi eo pervenerit, dubium non est, quin communicando viaticum acceperit, quid ni viaticum sumat etiam senex, quem eo produxit senectus extrema?

Non habet rationem viatici sacra Communio data nimio senio laborantibus, cum pransis non impertiatur nec impertiri possit, sed ieiunis, nec quolibet tempore, sed cæteris fidelibus præsignato. Et bene provisum est, ne si loco viatici haberetur, excusarentur ab iteranda ac repetenda sacra synaxi, sicut excusari solent ij, qui diuturno morbo detinentur, & semel viaticum acceperunt. Comprehenduntur itaque senes sub eodẽ prẹcepto sacrẹ communionis, quo tenentur ij, qui tantæ non sunt ætatis. *Communio est sed nõ ultima*

Monendi sunt, qui extremam metam attigerunt, ut patienter ferant laborem & dolorem prolixis annis annexum, sint timorati, sint expectantes Dominum suum, imitatores Evangelici Simeonis, qui cum talis esset, *responsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.* Vidit Christum in templo, & *accepit eum in ulnas suas.* Qui viatico munitus, ac fretus cecinit moriturus, *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Factum est, quod canit de Simeone Ecclesia, *Senex puerum portabat, puer autem senem regebat.* Portavit senex loco viatici Christum, Christus vero rexit annosum senem, ne hora mortis impingeret, ne in portu faceret naufragium, totusque factus Davidicus diceret, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascua ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit. Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum. Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Quid umbram mortis & eius timeret mala bonus senex, qui tantum apud se habebat lumen? *Quia viderunt oculi mei salutare tuũ, &c. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Cum esset senex de vita sua temporali minimè sollicitus erat, id solum habebat præ oculis, ut sanctè moreretur. Nec petebat ullas inducias, sed statim, in ipsa hora & momento mori volebat, præferens immortalitatem morti mortalitati suæ, in cuius statu vixerat per tot annos.

Luc. 2. 26 / Luc. 2. 29 / Ps. 22. 1.

Quæst. XVIII.

An sit protestatio fidei facienda cum accipitur Viaticum?

CUm sacra Eucharistia accipitur in Communione, præcedit confessio particularis, & generalis delictorum, nec fidei protestatio præmittitur, quid ergò opus est, cum viaticum porrigitur, protestari fidem? Scimus dixisse Paulum: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem Confessio fit ad salutem.* Sed hoc ad Martyres pertinet, qui coram Regibus & tyrannis Christum verum esse Deum faterentur, proprioque sanguine tuerentur. Cum autem æger fidelis sit, & cum fidelibus agat, non videtur necessarium, ut simile testimonium proferatur.

Laudabilis confessio fidei. Et si necessarium non sit, laudabile tamen est, cum accipitur viaticum fidem Catholicam protestari, quam vel in ipso sacrificio Missæ toties profitetur Sacerdos. Et quidem, ut refert Surius mense April. de S. Maria Ægyptiaca: postulavit a Sacerdore mulier dicere symbolum, & sic vivifica mysteriorum suscipiens dona, in cælum extensis manibus ingemiscens cum lachrymis inclamavit; *Nunc dimittis Domine ancillam tuam.* Ancilla erat, quæ intellectum suum captivitatis fecerat in obsequium fidei, & huius suę conditionis certum testimonium, & simul monumentum relinquere voluit.

Quod si laudabile est mysteria fidei protestari, maximè commendabile est fateri ægrotum, se credidisse & credere Christum esse sub speciebus panis, quem pro viatico sumit. Commendatur in hac parte S. Bruno, qui viaticum sumpturus dixit, *Credo Sacramenta, quæ sancta credit & veneratur Ecclesia, & nominatim panem & vinum, quæ consecrantur in altari, post consecrationem verum esse corpus Domini nostri Iesu Christi, veram carnem & verum sanguinem, quæ & nos accipimus in remissionem nostrorum peccatorum, & in spem salutis æternæ.* Et ut refert Sur. in vita S. Thomę Aquinatis, cum interrogatus ut solet fieri, num crederet in sacro viatico verum esse Dei filium, qui nostræ causa salutis ex Virgine natus, mortuus est, & resurrexit, libera voce & cum multa devotione lachrymans dixit, *Ego planè credo, immo pro certò novi hunc esse verum Deum & hominem Iesum Christum æterni Patris, & Virginis matris filium, & quod puro corde credo, etiam labiis sincere profiteor.* Hæc planè confessio Apostolica est, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Doctor Angelicus erat, qui ita sapienter, ac devote scripsit de venerabili Eucharistia, ut dixerit illi Christus, *Bene scripsisti de me Thoma,* scripsit de illo ipso sacro viatico, quod acceperat, cuius virtute acquisivit, quam optabat ille mercedem. Rogatus a Christo quam ille vellet habere, respondit; *Non aliud nisi teipsum,* & hunc ipsum adeptus est.

Quæst. XIX.

Cur sacrum viaticum in solo pane, & non in vino datur?

ANselmus in illud. 1. ad Corint. 11. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*. in hæc verba discurrit ac commentatur. *Testamentum nouum in Christi sanguine consecuti sumus, per quod ad novam hæreditatem perveniamus, quia beneficij divini sanguis testis est, unde & ad tuitionẽ corporis & animæ nostræ Sacramenta eius percipimus, quia caro eius pro salute nostri corporis est oblata, sanguis vero pro anima nostra effusus est, ut utraque nostri substantia hæreditatem vitæ perennis accipere possit.* Cum igitur de accipienda iam hæreditate agatur in extrema infirmitate, opus est, ut utraque nostra substantia secum ferat tuitionem, corpus scilicet carnem Christi, anima sanguinem datum & acceptum in Viatico. Adhuc Anselm. *Dicitur etiam testamentum in sanguine eius, quia munit & defendit nos adversus calumnias hostis antiqui, ne cælestem nobis hæreditatem possit auferre, sicut litteræ illa, quæ vocãtur testamentum, hæredem muniunt adversus calumniatorem, ne tollat & hæreditatem.* Atqui diabolus nunquam magis calumniatur, quam in puncto mortis: contra eius ergo calumnias testamentum in sanguine portatum erit summe necessarium. Adde, quod cum quis moritur, renuntiat carni & sanguini, in cuius utriusque renuntiatione summa difficultas est, & ut illa vincatur, non solum sufficiet sumere carnem Christi, sed etiam opus erit pretiosum eius sanguinem bibere. Sic amittetur amor, quem habet æger in carnem & sanguinem suum; teste enim Nyssen. Hom. 8. in Ecclesiast. *Qui hanc carnem amat, non est amicus suæ carnis, & qui in hunc sanguinem est affectus, mundus erit à sensibili sanguine.* Hanc munditiem sanguinis totus anxius postulabat David. Psalm. 50. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Donec in corpore infirmo sanguis mundetur ac purificetur, nec dum sanum est, & medicus salutis est, qui illum expurgat. Deus autem salutis est, qui reddit puram animam a sanguinibus, qui illam inficiunt.

Nouum testamentum confirmatum est sanguine Chrsti, quem in ara crucis effudit. Huius cruenti sacrificij memoria ac commemoratio viva est hostia incruẽta, quam obtulit in mensa, & nos in altari offerimus, unde & dicit, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*, subiungitque. *Hoc facite in meam commemorationem*: neque enim esse posset sacrificium, nisi saltem mystice sanguis effunderetur. Nec communio nec viaticum subministratur per formam testamenti, nec per modum sacrificij, sed per modũ & formam alimenti, ac proinde non datur in vino, sed in pane consecrato. Verum quidem est, quod Christus Dominus, qua nocte tradendus erat, accepit panem & vinum, sed non id fecit, ut tam sumeret viaticum, quam ut consummaret & consumeret sacrificium. Hoc ipsum sacri Pontifices & Sacerdotes præstiterunt, qui ex ipso altari rapti sunt ad martyrium, postquam sanctam hostiam & calicem accepissent. Nec inde colligi potest necessarium esse sanguinem Christi, ut viaticum quis capiat.

Sacrificiũ & Sacramentum.

1. Cor. 11. 25.

Igitur, licet caro pro carne offeratur, & sanguis pro anima immoletur, & in utroque sit nostra tuitio pro hereditate cælesti comparanda nostraque defensio cõtra diaboli calũnias, non est opus, ut sub utraque specie viaticũ accipiatut, sicut neque etiam, ut caro carni & sanguis sanguini renuntient.

sacrum corporis Christi viaticum id facilè præstare potest, immo & præstat. Quo pertinet id, quod scribit Iustinian. lib. de Perfect. Monast. conversat. cap. 20. *Animæ & carnis affectio, nullo eventu, nullaque lege, nec in præsenti, nec in futuro dormitur, quin potius purius, ardentius, perfectiusque in animæ & corporis glorificatione perseverat. Proinde quia rationalis spiritus inclinatione quadam naturali, & non parum, quæ corpori utilia & delectabilia sunt, cogitare cogitur, aliquo spirituali pabulo in ipso obitu erigendus est, in quo quanto amplius fuerit occupatus, & illectus tanto minus carnalia cogitabit.*

Quæst. XX.

An debitum moriendi maneat post acceptum sacrum viaticum?

Ecc. 3. 2. Heb. 9. 27. NEmo nasci debet, debet autem natus mori, *tempus nascendi, & tempus moriendi.* Sua cuique dies stat, omnibus non certa, incerta dicta ac definita est. *Statutum est hominibus semel mori.* Creditor huius debiti est obitus & mors, cui propter peccatum obnoxij sumus omnes, (Ps. 88. 49.) *Quis est homo, qui vivit, & non videbit mortem?* Quemlibet cōvenit, urget & vexat ut quod debet, reddat, nulli parcit conditioni, nulli statui, nulli ætati, nec damnanda propterea, cum in præsenti locum habeat, quod inquit Senec. lib. 3. de Benefic. cap. 14. *Æquissima vox est, ut ius gentium præ se ferens. Redde quod debes. Hæc turpissima est in beneficio.* Antequam homo delinqueret, accepit vitam humanam summi beneficij loco, ac proinde ita creatus est, ut nemo esset, nec esse posset, qui diceret, *Redde.* Futurus ille immortalis careret omni creditore & exactore. Hunc culpa creavit, *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortē,* (Iac. 1. 15.) ex quo fit, ut vox eius æquissima sit, cum unicuique dicatur; *Redde, quod debes.* Verumenimvero, cum dixerit Christus, *Hic est panis, qui de cælo descendit, Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* (Ioa. 6. 59.) videbitur virtute accepti viatici debitum illud ablatum, ac penitus extinctum, nec iure, sed iniuria mortem petere sibi vitam dari, in quam nullam habet actionem.

Christus debitum mortis tollit. Cum præceptum sit Ioanni, *Scribe. Beati mortui, qui in Domino moriuntur,* nequaquam accipientes sacrum viaticum, & sic obeuntes in Domino è vivis abeunt, ut debitores. Miseri sunt debitores, non beati, nam ut ait Ambros. lib. de Tobia c. 21. *Debere verecundum est, non reddere verecūdius.* (Apoc. 14. 13.) Accedit Cassiodor. lib. 22. Variar. epist. 10. *Reatus quidam est esse sub debito: nec liber potest veraciter dici, qui probatur obnoxius reperiri. Prudens se ipse compellit, minus cautus est, qui urgetur ab altero.* Christus qui factus est *inter mortuos liber,* (Ps. 87. 6.) sub reatu debiti non erat, nos quoque *non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.* (Gal. 4. 31.) Hac fruentes libertate vivimus, hac libertate gaudentes confirmata per susceptionem sacræ Eucharistiæ in Domino, & cum Domino morimur, cuius veritatis authenticum testimonium nobis dari præcipitur è cælo magno scribæ, qualis est ille, cui dicitur, *Scribe. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Quantum hoc indultum ac privilegium sit, sentiunt ij, qui ita excedunt, non tam ut debitores, quam ut creditores abeunt. Moriuntur

ut

ut creditores,habentes actionem in mortem, quæ reddere debet vitam non iure,sed iniuria acceptam. Accepit a Christo vitam, sed illam statim restituit,restituet & eam, quam a suis Christianis abstulit, in quibus Ecclesiæ,immo & ipsius Christi mysticum corpus consistit. Alia sors,alia est ratio de ijs,ad quos tamquam creditor mors accedit repetendo, quod suũ est,unde & in Evangelio misero debitori dictum est. *Stulte,hac nocte repetẽt animam tuam a te.* Quę sic repetitur vita,non redditur, sed a morte ęterna retinetur, *Non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum.* Dicetur itaque morti tempore iudicij extremi, *Redde,quod debes*, & tunc illa restituet omnia de mandato eius,qui dicit, *Procedent,qui bona fecerunt in resurrectionem iudicij*: de beneficio eius,qui ait, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem,habet vitam æternam,& ego resuscitabo eum in novissimo die.* Non sic a morte suscitare posset,nisi prius eum a mortis debito liberasset suscipiendo supra se eius solutionem. Luc.12. 20. Ps.1.5. Ioa.5.29 Ioa.6.55.

Res magna semper habita ac iudicata est,quod quis alienis debitis satisfaciat. Res hæc digna Senatu Romano, de quo Dionys. Hallicarnass. lib. 5. *Cum rebellionem moliretur plebs graviter obærata, & nollet defensionem patriæ suscipere,quidam debita eorum, qui solvendo non essent, ex ærario præsolvenda iudicabant,ut & pauperum fides publica gratia servaretur, & creditoribus ab iniuria caveretur.* Hinc edoctus Tullius,ut & ipse auctor refert, de suo dabat pecuniam,ut creditoribus satisfaceret. Nam obæratos iussit dare nomina,qui fidem suam apud creditores liberare nequirent, simulque afferri sibi quantum quisque deberet: quibus recognitis mensas in foro posuit,& in omnium conspectu debitam creditoribus pecuniam enumeravit. Res magna hæc digna Magno Alexandro,de quo Curtius lib. 10. *Æs alienum exercitus de suo dissolvit, eius impensæ universa summa ad decem millia talentũm pervenit.* Res hæc magna est,sed humana, hæc autem divina est, & solo Deo digna,ut seipsum tradat in carne,tradat in Cruce,& mensa,ut concives ac commilitones suos a tanto debito, quantum mortales omnes fecimus,liberos & immunes reddat. Cuius libertatis immunitatem astruit sacrum Viaticum,& confirmat lex illa Deut.cap. 15. *Quos libertate donaveris,nequaquam vacuos abire patieris,sed dabis viaticum de gregibus, & de area,& de torculari tuo.* Adiungo commentarium Cyrilli lib. 7. de Adorat. *Liberavit nos gratis Dominus,postquam vero nos liberos fecit,id est, a peccatis absolvit,adiecit seipsum viaticum.*

Cum autem sit iam debitum solutum,quare homines moriuntur? Mors quidem post debiti solutionem non invadit homines, qui moriuntur in Christo,iure creditoris,sed more latronis,dixitque propterea Christus, *Si sciret paterfamilias,qua hora fur veniret,vigilaret utique & non sineret perfodi domum suam,& vos estote parati,quia qua hora non putatis,filius hominis veniet.* Luc.12. 39. Et quidem ipse filius hominis mortuus est inter latrones, passus mortem sibi a morte furari, restituendam tamen tertia die, quemadmodum restituta est. Nec tamen propterea ita cito alij resurgere debent,cum mystica membra eius sint, & unum Christi corpus concinnent. Postquam illud plene atque perfecte compositum sit,in resurrectionem vitæ procedet.

Quæst. XXI.

Quomodo conveniant inter se bona mors, & sacrum Viaticum?

Ps. 115.15 P*Retiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*: pretiosa quoque sacra Eucharistia est, hoc titulo honorata sæpe, & insignita in hymnis & orationibus Ecclesiasticis. Et quidem Rex David in eo ipso Psalmo, ubi cecinit, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*, modulatus est in honorem corporis & sanguinis pretiosi, *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Cum autem præmiserit, *Ego dixi in excessu meo*, quasi moriturus ipse loquitur, & moriturus de pretioso Viatico, & simul de morte sanctorum, utramque affectans felicitatem sibi, loquitur cum Deo, cui toto tempore vitæ suæ servivit: *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Quæ conveniunt in pretio & in valore, conveniunt in bonis conditionibus, quales istę sint, & qualiter interveniant in sacro viatico, ac bona morte quęrimus & disserimus.

Sententia de bona morte. Non convenit inter veteres Sapientes, quęnam esset & re & nomine bona mors. Seneca in Agamemnone, *Mori miseria non est, commori cum quo velis*. Hæc autem non potest esse mors bona, quam Theophilus apud Cedrenum, tanti fecit, tanti ęstimavit. Theophilus vitæ finem stare sibi sentiens, Theophobum calumniose delatum in carcerem obscurissimum cōpegit, iamque moribundus caput eius amputari iussit, sibique afferri, manibusque crines eius tangens, hęc ultima verba extulit, *Exinde neque ego Theophilus sum, neque tu es Theophobus.* Hæc bona mors est commori Christo accepto iam sacro Viatico, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Apoc. 14. 13.

Phocion, ut refert Plutarch. in Apotegm. postquam dãnatus fuit, cum multis alijs indicijs suam detexit magnanimitatē, tum Euippum id deplorantem, & indignè ferentem sic compellavit, *Pigetne te cum Phocionē mori?* Bene censuit mori eum, qui secum tanto viro esset obiturus. Erravit Phocio tantum sibi tribuens & arrogans. Solus ille causam habet non dolendi de sua morte, qui moritur cum Christo, cuius magnamitas apparuit in supremæ nocte cænæ, & simul Cruce, ubi bonus latro exemplo animatus rogavit, *Domine momento mei, dum veneris in regnum tuum*, responditque ei Christus *Hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23. 24.

Bona mors est homini vitæ, quæ extinguit mala, in cuius rei confirmationem affert Salust. in Catal. quod Ablobroges cum de avaritia Magistratuum querentes Senatum accusabant, interrogati ab Umbreno, quem exitum tantis malis sperarent, responderunt, miserijs suis remedium mortem se expectare. Unde & Plaut. in Rud. *Non est melius morte in malis, rebus miseru.* Non est terminus miseriarum mors ijs, qui a prima morte ad secundam veniunt, ab utraque nos liberat & eripit sacra Eucharistia, cuius solius virtute, gratia ac beneficio bona mors est homini vitæ, quæ tollit & extinguit mala. Tum locum habet, quod dixit Epitect. lib. 6. cap. 10. *Portus omnium miseriarum, ac receptus quidam est mors:* unde & Ambros. de fide Resurrect. *Mors ærumnarum, omniumque malorum perfugium est, & fida statio securitatis, ac portus quietis.* Hic portus est, ad quem appellit mulier fortis,

quæ

quæ *facta est quasi navis institoris de longè portans panem suum.* Prou. 31. 14.

M. Tull. in Catal. *Si quid obtigerit, æquo animo, paratoque moriar. Neque enim turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura consulari, nec misera sapienti.* Nec decorè, nec maturè, nec sapienter ille obijt, nec obire potest, cui Christus non assistat, & illa tria morienti attribuat. Attribuit illa tria sacrum Viaticum morienti; affert robur. *Panis cor hominis confirmet* : confert prudentiam, & Sapientiam, *Cibavit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ potavit illum.* Hic est, cui licet dicere, Si quid obtigerit, æquo animo paratoque moriar; *Si ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ps. 103. 16. Eccl. 15. 3.

Quintilian. lib. 8. c. 1. *Mors misera non est, aditus ad mortem miser.* Quæ expendens verba Lactant. lib. 3. cap. 17. ait; *Nec frustra dictum est. Mors misera non est. Aditus ad mortem est miser, hoc est, morbo tabescere, ictum perpeti, ferrum corpore excipere, ardere igne, dentibus bestiarum laniari, hæc sunt, quæ timentur, non quia mortem afferunt, sed quia dolorem magnum.* Providit Deus, ut cum aditus ad mortem miser foret, ad tollendam eius miseriam daretur sacrum Viaticum, cuius administratione nec in ingressu mortis, nec in ipsa morte esset ulla miseria, sed felicitas. Hæc est illa beatitudo, quam Ioannes annunciat, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Qui moriuntur, adhuc in aditu mortis sunt, mortui vero sunt iam in morte ipsa, & in utroque statu non miseros, sed felices ac beatos esse testatur Ioannes, cuius verba expendenda sunt, prætermissis cęteris alijs Sapientibus humanis, qui de bona morte, qua caruerunt, disseruerunt. Apoc. 14. 13.

Bona mors eorũ qui in Domino moriuntur.

Sancti Patres, & cum Patribus interpretes sacri sentiunt bonam esse mortem, quæ felix est, & eius felicitatem contentam his verbis Evangelistæ; *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, quæ ita sigillatim expendo. Qui sunt corpore beati, quatuor habent dotes gloriæ, claritatem, agilitatem, immortalitatem, & subtilitatem, quarum certum pignus sacrum Viaticũ est, siquidem cum illud accipimus, *futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Datur pignus claritatis; quæ pie ac sancte morientibus affulget. *Accedite ad eum & illuminamini.* Cũ mors instat, major accessus ad Deum fit, & eo magis sibi propinquos illuminat. Contestantur ita esse boni servi, de quibus Christus: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.* Sermo ibi de bona morte est, & in morte morituris candelę clarentes & ardentes subministrantur, ut mors eorum non obscura, sed clara iudicetur, qualis erat prudentum Virginum, quæ accensis lampadibus venienti ad nuptias sponso occurrerunt. Sacrum quoque viaticum pignus est agilitatis, quæ in ipsa morte iustorum incipit se ostendere, quatenus mole & pondere sui corporis non gravantur, quominus veniant ad eum, qui vocat, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Affert secum viaticum immortalitatem, cum dixerit Christus: *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* Confert & agilitatem, ut munitus sacro viatico dicere possit æger, *In Deo meo transgrediar murum*: Transgreditur omnia, quæ mundus, & eius princeps solent opponere & objicere morientibus. Ps. 33. 6. Luc. 12. 35 Matt. 11. 28. Ioa. 6. 59.

Ergo *beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Si mortui, quomodo moriuntur? Si moriuntur, quomodo iam mortui? Viventes quippe sunt, qui obeunt, qui iam objerunt, mori nequeunt. Qui sic iustitiæ viuunt, ut peccato mortui sint, bonam sibi parant, bonam sibi mortem componunt. De hoc Apoc. 14. 13.

Colos. 3. 3 hoc numero erant primi illi Christiani, quibus, & de quibus scribit Apostolus; *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Erat & mortuus ipse, cum diceret; *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Gal. 2. 20 Qui sic mysticè mortuus est, noverit benè mori. Christus ipse antequam iret ad mortem, mystice mortuus fuit in Eucharistia, siquidem seipsum obtulit in sacrificium, & idem ipse in hoc eodem ipso mortis bonæ formã sacramentatam reliquit. Conficitur sic Sacramentum, ut desinat panis substantia, & esse incipiat Christus in sacra hostia. Hoc autem est mori in Domino, ut desinat esse homo, & vivat in eo Christus, ut iam non moraliter solum, sed etiam supernaturaliter dicere possit, *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus*: vivit per gloriam, vivit per æternam vitam.

Quæst. XXII.

Cur idem panis viventibus, & morientibus datur?

SAnis & ægris, viventibus, & morientibus non idem competit cibus, cur ergo idem sacer panis, qui ministratur pro communione valentibus, administratur quoque in viaticum male habentibus? Et quidem Christus ipse instituit Sacramentum extremæ unctionis in gratiam solum infirmorum, quare igitur propter ipsos aliquem alium cibum non invenit, & dedit, ut singularem curam, quam erga ęgrotos haberet, ostenderet?

Conditioni vitæ humanæ respondet Eucharistia. Qualis sit vita humana declaravit sapiens fæmina Davidi, cum dixit, *Omnes morimur, & sicut aqua dilabimur:* dixit, *morimur*, nec tamen tunc David malè habebat, sed valebat, ut ostenderet sic vivere Regem, ut continuo moreretur. Rex ipse de cęteris alijs monuit. *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Non ait defore illis salutem, sed iam deesse hoc ipso quod filij hominis sint, eius videlicet, cui dictum est, Ps. 145. 3. Gen. 2. 17 *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc veritatis oraculum stare necessario debuit, nec staret, nisi eo ipso die, quo Adamus pomum gustavit, statim mori cæpisset. Non sine causa Nazianz. Orat. in laudem Cæsarij monuit. *Tale terræ ludibrium sumus, ut cum non simus, nascimur, cum nati sumus, rursus dissolvamur.* Cum igitur ea nostra sit natura, ut cum vivimus, eo ipso vivere desinamus, & moriamur, oportebat, ut non diversus sed unus & idem panis sanis & ęgris, manentibus, & ex hoc mundo exeuntibus ministraretur. Hic panis vitæ, & intellectus est, qui in mentem & intellectum revocat nostram mortalitatem, ut homo mortalis suę memor conditionis ita vivat quasi statim moriturus, ita moriatur quasi victurus semper virtute non naturæ, sed gratiæ, quæ est in sacrosancta Eucharistia. Ioa. 6. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quanti autem referat cognitio nostræ mortalitatis; vel ex hoc intelligi potest, quod indignus sit solatio sacri Viatici, qui immemor suę mortis existat. Habeo pro me S. Cyprian. li. 4. epist. 2. *Non est in morte dignus accipere solatium, qui se non cognovit esse moriturum.* Christus ipse cum sacrum dedit, & accepit viaticum, ostendit in seipso Ioa. 13. 1. quam conveniat prefata consideratio, siquidem *ante diem festum paschæ sciens Iesus quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*, fecit & cõfecit hoc mysterium suę memor mortalitatis. Huc pertinet quod libr. de somnijs notat & advertit Philo; *Princeps sacerdotum quoties rite immolaturus præscriptas victimas accedit ad altare, ante omnia cinere & aqua lustrari sacra lex iubet*

iubet, ut in sui memoriam redeat: nam & ille sapiens Abraham supplicaturus terram se ait esse & cinerem. Cum ita se res habeat, si Christianus esset Seneca, non aliter monuisset, quam monuit lib. de Provid. *Inter ipsa altaria, & solennes sacrificiorum ritus, dum optatur vita, mortem condiscite.*

Cum non alius, sed idem panis sit benè & malè habentium, providit Deus, ut etiam in sacro Baptismo nos omnes ungeremur ad mortem, quēadmodum scribit Apostolus cap. 2. ad Coloss. *Circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi consepulti & in Baptismo.* Extrema itaqne unctione ungimur morientes, morituri vero in ipso fonte baptismi, per cuius etiam aquam monet sancta mater Ecclesia de nostra mortalitate, sicut & mulier Thecuana monuit Regem Davidem, cum dixit: *Omnes morimur & sicut aqua dilabimur.* Huius eiusdem dilapsus ante communionem & viaticum monitos esse voluit Apostolos Christus, cum mittens aquam in pelvim, *capit lavare pedes discipulorum.* Ioa. 13. 5.

Quæst. XXIII.

An mors esse non possit non mors cum sacro Viatico?

Videtur sibiipsi mors adversari, si quando illa esse possit non mors, & tamen humani sapientes non solum posse, sed reipsa talem esse dixerunt, atque docuerunt. Plinius secund. lib. 2. epist. 1. *Necesse est immaturam mortem eius defleam, si tamen fas est aut flere, aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis finita, quam vita est.* Tull. lib. 5. epist. 16. *Nihil mali est in morte: in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius, quā mors dicenda sit: sin sit amissus, nulla miseria, videri debeat, qua non sentiatur.* Plato in Axiocho: *Transi non in mortem, Axioche, sed in immortalitatem, non amissionem bonorum, sed in sinceriorem eorum perceptionem. Illuc enim ex hoc solutus carcere proficisceris, ubi requieta, lataque omnia, & nulla fatiscentia senecta.*

Mors nō mors cum sacro Viatico.

Nulla mors non mors apud infideles fuit, solum illa apud fideles est, qui si non reipsa, saltem in voto, sacrum Viaticum percipiunt. Horum mors deflenda non est, nec debet vocari mors, cum eorum mortalitas magis finita, quam vita sit secundum oraculum Christi dicentis, *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Ioa. 6. 59. Nihil mali est in eorum morte, in qua dicere potest Christianus David, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascua ibi me collocabit, &c. Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecū es.* Psal. 22. 1. Corpus facit umbram, & corpus Christi efficit, ut vera mors convertatur in meram umbram, quo pacto sit mors quasi non mors; *Iustorum anima in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, &c.* Unde & cum iustus moritur, soli & non alteri convenit, quod suo Axiocho morituro dixit Plato philosophus. Soli justo competit commendatio illa animę, *Proficiscere anima Christiana de hoc mundo ad Patrem.* Transi non in mortem, sed in immortalitatem, non in amissionem bonorum, sed in sinceriorem eorum perceptionem. Nō amittitur vita, quæ offertur Christo, cum dicat Paulus. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Venit mors more furis, ut vitam furetur ac rapiat, offert

offert se Christus, cum accipitur in Viaticum, ut illam a morte absconditam seruet & custodiat, qui amittere illam nolit, Christo tradat servandã & custodiendam, fideliter in cælo reddendam. Accedit & mors, ut cum vita cætera omnia rapiat, deponat omnia apud Christum monentem, *The-*
Matt. 6 *saurizate vobis thesaurum in cælo*, & simul dicentem, *Centuplum accipiet, & vi-*
20. *tam æternam possidebit*. Sin minus *cum interierit, non sumet omnia, neque descen-*
Matt. 19. *det cum eo gloria eius:* incurretque amissionem omnium bonorum, & ex car-
29. cere mundi in barathrum inferorum descendet.
Ps. 48. 18. Novi Principem virum, qui, postquam sacro Viatico fuisset refectus, rogatusque an doleret se tot ac tanta bona in terris relinquere, respondit meliora se sperare ab eo, qui se in Viaticum dedisset. Secus accidit Henrico Anglorum Regi, qui cum esset moriturus, non accepit viaticum, sed sacram hostiam solum adoravit, nec quidem in spiritu & veritate, qui non multopost fassus est, *Iacta est alea, omnia perdidimus*. Hęc verè mors est, mors vero non mors est eius, cui post susceptionem sacri commeatus licet fa-
Phil 1. 12. teri, *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.*

Quæst. XXIV.

Qualis & quanta sit contra mortem fortitudo sacri Viatici?

NOn minus celebris, quam solennis fuit quęstio Convivalis, quæ mota est, & agitata post convivium Darij Regis lib. 3. Esdræ c. 3. Mota & agitata est a tribus nobilibus aulæ, qui post cænam in eius custodia erant. Certarunt inter se, quid in rebus esset fortius, & ut unusquisque dicto staret suo, nec illud mutaret, ad calamum venerunt; *Vnus scripsit, Forte est vinum. Alius scripsit, Fortior est Rex, Tertius scripsit, Fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas*. Si quartus accedat, & scripserit, Fortior est mors, super omnia autem prævalet sacrum Viaticum, huius ego partes sequor. Quid enim morte fortius? quid potentius sacro Viatico?

Superat omnia veritas Eucharistica

Quid fortius morte? *Neque vis Herculis effugit mortem*, ut canit in Iliad. Homerus, & Horat. 3. Od. 2. *Pavido fortique cadendum est*. Pręvalet mors vino, quod etiam si forte sit, inveniri poterunt capita, quæ illud ferre queãt, nemo autem ita validus ac robustus est, ut morti non cedat. Nec vinum tantam habet vim ac fortitudinem, ut eius vis vitari nequeat per abstinentiam, mors autem inevitabilis est, & inexcusabilis eius violentia. *Mors per omnes it*, ut dicit Senec. Epist. 95. & in natural. qq. *Mors omnes æque vocat; iratis diis, propitiisque moriendum est*. Prævalet quoque mors Regi, *æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres*. Sit Rex tantus, quantus esse
Ecc. 10. 12 voluerit, *Hodie Rex est, & cras morietur*. Nec tantum sibi spatium vitæ pro-
Isa. 38. 12. mittebat Rex Ezechias cum diceret, *De mane usque ad vesperam finies me.*
Quod si fortiores vino & Rege mulieres sunt propter suam speciem &
Prou. 31. pulchritudinem; *Fallax gratia & vana est pulchritudo*, quę ad primum mor-
30. tis non solum ictum, sed etiam aspectum dissolvitur & evanescit; *Omnis*
Isai. 40. 6 *gloria eius quasi flos agri exsiccatum est fœnum, & cecidit flos*. Post eius casum & ruinam qualis maneat, apparet satis in Iezabele, quę post mortem ita
4. Reg. 9. sibi dissimilis comparuit, ut per stuporem diceretur; *Hæc est illa Iezabel?*
31.

Hæc

Hæc quidem est, quę suæ venustatis elegantia Regem Achabum vicit, captum atque captiuum tenuit, sed illa ipsa a morte turpiter devicta, ac debellata est. Et si mors ita fortis sit, ut vincat sua virtute omnia, vinum, Regem, & mulieres, a sancta superatur Eucharistia, cum dicat Christus; *Non sicut manducaverūt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panē, vivet in æternum.* Quod si tres illi nobiles aulici stare voluerunt dicto Darij Regis pro sua controversia dirimenda, nos potius Christo assentiamus, credamusque tantam esse vim ac virtutem Eucharistiæ, ut robusta illi mors cedat. Ioa. 6. 59.

Cedant itaque vinum, Rex, & mulier morti, sed mors sacro Viatico. Cum autem supra mulierum vim ac fortitudinem dixerit esse veritatem, & hæc palmam præripuerit, non videtur ita esse fortis mors, ut prędvaleat veritati, de qua Zorobabel inquit, *Magna est terra, & excelsum est cælum: & velox cursus solis, convertit in gyro cælum in locum suum in una die. Nonne magnificus est, qui hæc facit, & veritas magna, & fortior præ omnibus! Omnis terra veritatem invocat, cælum etiam ipsum benedicit, & omnia opera moventur, & tremunt eam, & non est cum ea iniquum quicquam. Vinum iniquum, iniquus Rex, iniquæ mulieres, iniqui omnes filij hominum, & iniqua illorum opera, & non est in ipsis veritas, & in sua iniquitate peribunt, & veritas manet & invalescit in æternum & vivit & obtinet in sæcula sæculorum. Nec est apud eam accipere personas, neque differentias, sed quæ iusta sunt, facit omnibus, iustis ac malignis, & omnes benignantur in operibus eius. Et non est in iudicio eius iniquum, sed fortitudo & regnū, potestas & maiestas omnium æuorum. Benedictus Deus veritatis. Et desijt loquendo. Et omnes populi clamaverunt, & dixerunt, Magna est veritas, & prævalet.* Absit, ut mors tantæ veritati prędvaleat. Dixit de se Christus, *Ego sum veritas*, & hæc in sacra Eucharistia est, in quam cadunt omnia, quæ pro veritatis defensione dixit Zorobabel. Continet in se Deum, qui totum cælum cum sole movet & convertit diebus singulis, sed illud est maius, ut uno die toties ipse inclinet cælos, & in altaria descendat. Omnis terra iurat in veritatem hujus mysterij, & cælum ipsum illam colit ac benedicit. Cętera Sacramenta transeunt, dum conficiuntur: at Eucharistia manet post consecrationem. Non est cum ea iniquus ullus, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Manet in perpetuam Christi memoriam; *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Non accipit personas hominum, neque earum differentias; *O res mirabilis! Manducat Dominum servus pauper & humilis.* Quæ iusta sunt, facit, *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Cum Christus dixerit, *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra:* addideritque de seipso manente in sanctissimo Sacramento; *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, fortitudo eius est, Regnum, potestas, & maiestas omnium ęvorum. *Benedictus Deus veritatis* in sacro suo Viatico, quod prævalet morti. Et quidem Christus ipse, cum esset veritas, mori potuit & voluit in Cruce, non tamen voluit, ut mors ullum in se jus haberet in sacro pane. Ubi morti nullus datur, sed nec dari potest locus. *Veritas de terra orta est*, ac proinde mori potuit. *Hic est panis, qui de cælo descendit*, & idcirco non potuit mori, *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes*, clament & dicant, *Magna est veritas, & prævalet* Eucharistia.

1. Cor. 11. 28. Luc. 1. 53 Matt. 28. 19. Matt. 28 20. Ps. 84. 12. Ioa. 6. 59. Ps. 66. 5.

Quæst. XXVI.

Cui bono, sive animæ, sive corporis servit Viaticum post mortem?

Viaticum pro via est, cumque post mortem suis terminis ac locis reponantur corpus & anima, nihil est, in quo viaticum possit prodesse corpori, quod in terram suam rediјt, nec animæ, quæ profecta est in cælum.

Dum est in corpore anima, in via, non in termino est, tunc est in termino, quando divina visione fruitur, cuius cupidus & avidus dicebat David, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Non callebat hoc mysterium, cum Moyses in statu viatoris peteret à Deo: *Ostende mihi faciem tuam*: cui Deus convenienter respondit, *Non me videbit homo, & vivet*: hoc est, non vivet, quoniam desinet esse viator, eritque corpore & anima comprehensor immortalis. Ergo anima tunc desinit esse in via, cum vivere desijt. Cum autem post mortem necdum purgata est anima, sed indiget purgatione, ut sit quasi per ignem salva, inter Deum & ipsam interiacet impedimentum, quod virtute flammæ exurentis tollendum est. Anima in hoc casu suo magno bono portat secum viaticum, & in eo refrigerium contra expiatorios ardores. Hoc est illud refrigerium, quod pro animabus Purgatorij postulant Sacerdotes, cum dicunt quotidie in Sacro, *Locum refrigerij, lucis, & pacis ut indulgeas deprecamur.*

Ps. 42. 3. Exo. 33. 13.

Proficit viaticum etiam post mortem.

Per absentiam animæ a corpore corpus jacet in lecto, & in terra mortuum, ita tamen ut in eo etiam statu habeat magnum ex sacro viatico emolumentum, & ornamentum, cuius meminit D. Chrysostom. agens de Sacerdotio, associansque se cum fido teste inquit, *Quidam mihi narravit, non quidem ille ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id vidisset & audijsset, quod qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi pura conscientia fuerint participes spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus propter assumptum illud Sacramentum hinc recta ad cælum deducuntur.* Quod si mos aulicus est, ut custodes corporis etiam post mortem illud custodiant in funere, credendum quoque est Angelos etiam post mortem in funere & depositione corporum propter assumptum viaticum assistere exequijs, & simul illas cohonestare.

Adde, quod cum sacrum viaticum sit *pignus futuræ gloriæ*, etsi illam possederit anima, corpus tamen necdum illam acquisivit, ideoque manet adhuc obligatum pignus, donec corpus per resurrectionem beatitudine donetur, dicitque propterea Christus cap. 6. Ioan. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Tunc erit perfecta remuneratio & compensatio pro vita temporali, quam morientes offerimus Deo. Quo pertinet id, quod est apud Nicolaũ Cabasilam Tom. 6. Bibliothec. Patrum in Exposit. Liturg. cap. 4. *Quemadmodum Apostolis pro piscatione piscationem reddidit, pro piscatione piscium, piscationem hominum: & diviti, qui de regno interrogaverat, pro terrenis divitiis cælestes divitias pollicitus est; at contra hic, quibus vitam æternam erat daturus, dico autem vivificum suum corpus & sanguinem eis offerre iussit ea, quæ brevis & momenta-*

mentaneæ vitæ sunt, ut pro vita vitam reciperemus, pro temporali æternam, & gratia, gloriæ sit retributio, & nostri misericordia, habeat etiam aliquid iustitiæ, & impleatur illud eloquium. Ponam misericordiam meam in statere, Vitæ quidem profusio mors est in quadam imagine & pictura, resurrectio autem est vera vita. Cum ita se res habeat, magni facit Deus bonæ mortis picturam & imaginem, quam tanto pretio compensat, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Ps. 115. 5.
Sunt homines curiosi auidi picturarum & imaginum, quas quolibet emũt pretio. Deus amator eorum est, qui benè & sanctè moriuntur, & pro vitæ profusione, perpetuam tribuit resurrectionem Non sic pascuntur oculi illorum amatorum consideratione picturarum, quam Deus recreatur & delectatur, cum suos videt christianè mori. Nec ita illi componunt & adornant suas ædes curiosis imaginibus, quam Deus suam cælestem aulam splendidis animabus eorum, qui piè ac sancte sancto refectæ viatico decesserunt.

Quæst. XXVI.

An more militari consecraverit se Christus, cum de Viatico providit?

MOs militaris erat, ut cum Duces morerentur, arma sua offerrent dijs, quos colebant, unde Parthenius moriturus apud Papin. lib. 9. Thebaid. in fine.

Hæc autem prunis tela infelicia castris
Vre, vel ingrata munus suspende Dianæ.

Offerebantur præterea, cum reduces salvi & incolumes essent post militarem expeditionem, unde & Ovid. epist. 13.

Et sua det reduci vir meus arma Iovi.

Hoc ipsum argumentum gratitudinis exhibuit David, cum redux a duello Philisthæi captum gladium in tabernaculo Dei sacravit. Aiax quoque apud Homer. lib. 7. Iliad. arma adimens inquit, *Feram ad Ilium sacrum, & suspendam ad templum Apollinis.* Hinc ortum proverbium post confectum bellum, *Suspende clypeum.*

Christus more militari natus est, *Voca nomen eius, Accelera, Festina prædari.* *Christi militia.*
Vixit more militari, *Non veni pacem mittere, sed gladium,* & ante quam moreretur, consecravit carnem suam, in qua conflicturus venerat, conflixit Isai. 8. 3.
& vicit, rediens saluus & incolumis post resurrectionem, ideoque sacra Eucharistia offertur & immolatur *in memoriam passionis, resurrectionis, & ascensionis Domini nostri Iesu Christi:* salvi & incolumis è morte ad vitam, & è terra ad superos redeuntis. Ita tamen suam Patri Eucharistiam obtulit ac sacravit, ut cum opus esset, eadem armatura possemus vti, cum ire è mundo compelleremur. Quid simile factum in Davide legimus, cum enim ille gladium, quo caput gigantis abstulit, tabernaculo dedicasset, ut iret tam pransus, quam securus, pro cibo petivit panem: pro incolumitate vero gladium, quem apud Deum deposuerat. Utrumque obtinuit, cibum & gladium. Christianus quoque David, cum jussio Regis divini urget, ut exeat ex hoc mundo in cælum, petat a Sacerdote panem, ut comedat, gladiũ, ut se defendat, & saluus & incolumis in cęlum ascendat. Hunc eundem Christianum Davidem sacrum accipientem Viaticum, panem & gladium

depinximus & descripsimus in Oratorio, considerandum & imitandum. Hunc quoque ipsum sibi in exemplum & exemplar repræsentavit Augustinus, qui postquam evaserat e naufragio, assumens secundam tabulam Pęnitentiæ, & veniens ad portum discessurus iam e vita, ante se Psalmos Pænitentiæ habere voluit legendos ac recitãdos, post sacri viatici susceptionem, ut nouus David evaderet, & evasit.

Quæst. XXVII.

Qualis sit extrema victoria Eucharistiæ?

SUnt, qui velint victoriam non à vincendo, sed à vinciendo dictam esse, eo quod victi homines vincirentur. Ita Varro lib. 4. de lingua Latin. suffultus veterum testimonio, qui, quam nos victoriam vocamus *Viciam* ipsi dicebant. Apud Florum lib. 3. cap. 1. Iugurtha *victus & vinctus vidit urbem, quam venalem & quandoque perituram, si habuisset emptorem, frustra cecinerat*. Et Paulus Oros lib. 7. Hist. cap. 3. fine prælio *victum & vinctum* Radagaisum Gothorum Regem tradit. Verumenimvero cum victoria magis accedat ad victum, quam ad vinctum, inde potius deductam existimaverim cum Rosino lib. 2. Antiquitat. cap. 1. apud quem victoria depingitur virgo alite habitu, vultu liberali & blando, manu dextera protensa lauri ramulum ostentante, & alatis humeris, sicut antiqua numismata cõtestantur. Ara victoriæ statuebatur in templis, in domibus privatis, in circo, & in curia, ubi Senatus habebatur, & quò Senatus transferebatur, trãsferebatur ara victoriæ, unde apud Lamprid. in Severo, *Somniavit quis eum alis Romanæ victoriæ, quæ erat in Senatu, ad cælum vehi.*

Charitas triumphat in Eucharistia de Christo, ubi victus & vinctus est. Hæc charitatis victoria plane virginalis est, cum bene ac vere dixerit Nyssen. lib. de vita Mos: *Hunc corporis panem non aratio, non satio, non agricolarum opus fecit, terra intacta permansit, & tamen pane plena fuit, famescentes mysterium virginis hoc pane facile saturantur.* Tota quoque volucris est, cum volet in altum, & ex alto trahat & constituat Christum sub formis panis & vini. Hilari & grato vultu victoria Eucharistica est cuius aspectu recreata dicit anima; *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Victoria, quæ

Ps. 83. 3. offert lauros & laureolas virginibus, quę ortum suum ducunt ex hoc Sacramento: *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Zach. 9. 17.

Hęc victoria Eucharistica ubique est in urbibus, in pagis, in templis, & in cæteris locis, ubi Ecclesia est, & quo illa transfertur, transfertur & ara Eucharisticę victoriæ de ethnicis & hęreticis triumphantis. Nec somniũ est, sed pura veritas alis & pennis hujus sacrę victoriæ sanctorum animas ad cęlum vehi. Sic suum fecit ac confecit volatum Theochristis Lesbia, cuius meminit Sur. mens. Novemb. Cum è pixide, quæ erat in sinu Sacerdotis caro Christi perferretur, in terram cecidit, divinum donum accepit, & lamentationibus & lachrymis terram irrigans dicit; *Nunc dimittas ancillam tuam Domine. Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Quoniam remissionem peccatorum in manibus accepi. Nunc abibo, quo tua me iubet potentia.* Sic victrix, & triumphatrix ad superos evolavit.

Extrema victoria morientium in Christo.

Luc. 2. 29.

Quæst.

Quæst. XXVIII.

Quinam sint virtute Eucharistiæ laureandi?

SAnctus Isidor. lib. 18. Origin. cap. 2. affert discrimen, quod erat inter palmam & laurum apud veteres victores ac triumphatores, *Qui in conflictu vicisset, palma aurea coronabatur, quia stimulos habet, qui sine conflictu prostrasset, lauro, quia spinis caret*. Verumenimvero donari etiam lauro, qui incertamine superassent hostem, testantur Plinius lib. 15. cap. ult. & Cardan. lib. 14. de rer. variet. cap. 73. Quare autem laurus esset ornamentum triumphantis, docet Plinius, quia nimirum laurus erat *suffimentum cædis hostium & purgatio*. Cardanus aliam assignat causam, quia scilicet *importat laurus possessionem pacificam*, quæ est gloria partę victoriæ.

Christus sine conflictu & in conflictu humani generis hostem superavit. Sine conflictu quidem illum devicit ipsa nocte cænæ, cum ad pedes Apostolorum se demisit, seipsum immolavit & consecravit. Dignus propterea lauro, cuius gloria coronaretur, coronatusque Apostolos suos laurearet virtute sacrosanctæ Communionis, quod & fecit, & facit, quoties accedimus ad Eucharistiam. Debellavit in conflictu passionis hostem per crucem & spinas, quibus per ludibrium coronatus est. Meruit propterea palmam, quæ stimulos habet, & excitat commilitones suos, ut secum concertent, si palmam victoriæ velint secum adipisci. Cum autem laurus & palma indiscriminatim sint victoriæ signa, lauro & palma dignus est Christus, & utramque tam in altari, quam in Cruce decertantibus repromittit.

Laurus suffimentum, cædes hostium & purgatio est. Hic est suavitatis odor, quem ex se emittit & exhalat Eucharistia. Laurus importat possessionem pacificam, quę est gloria partæ victorię, ad quam Christus vocat per viaticum eos, qui secum è cænaculo ad crucem eunt. Hi sunt Crucifixi, hi sunt Cruciferi Christi, de quorum Crucibus & simul lauris & laureolis egimus in Sanctuario Crucis & Patientiæ. *Figura Crucis ubique invenitur apud Principes, apud subditos, apud mulieres*, sicut docuit Chrysostom. in probatione, *Quod Christus sit Deus*. Hic ipse est, qui acceptus in viaticum dicit in Horologio Græc. *Qui viam angustam perambulatis, afflictam, ô vos omnes, qui in vita crucem velut iugum baiulastis, percipite, quæ paravi vobis bravia, & cælestes coronas.*

Habent superiores, subditi & fæminæ Cruces, dum laborant & ægrotant, quarum levamen est Eucharistia, corona & laureola. Reperiuntur quoque Cruces apud Principes mundanos, subjectos quoque & feminas tam in vita, quam in morte, sed sine istis subsidijs, ex sacro dissimiles planè his, qui *in Domino moriuntur*, ut laurum in cęlo accipiant.

Corona & laureola Crucifixorum & Cruciferorum Christi.
Apoc. 14. 13.

Quæst. XXIX.

CONSONANTIÆ

Sancta Crucis, & sacri Viatici quot & quales?

SUb signo Crucis Viaticum ministratur, sub quo etiam Christus illud instituit, cum nocte cœnæ accipiens panem in sanctas ac venerabiles manus suus *benedixit* ac fregit, deditque discipulis suis. Qualis autem illa benedictio fuerit, indicant Sacerdotes, cum in benedictione panis & calicis effigiem Crucis efformant.

Dulcis Crux, dulce Viaticũ. Dura Crux mortis est, sed illam emollit Christus in Viatico, si enim solum per sacri sui corporis contactum *dulce lignum, dulce clavos* effecit, si nõ solum tangatur, sed etiam sumatur & capiatur, dulciorem & suaviorem mortem reddet. Coniungitur cum extrema Vnctione Crux, quæ sancto mollitur oleo, fortius vero ac melius sacro mollescit Viatico, quoniam fortius & potentius est remedium contra mortem.

Crux vexillum, tutamentum est Viaticum. Crux vexillum est, *Vexilla Regis prodeunt, Fulget Crucis mysterium.* Cum instat tempus mortis, instat & tempus prælij, quod sub sancto vexillo Crucis initur & geritur. Accedit sacrum Viaticum, quod est *tutamentum mentis & corporis*, ut totus homo illæsus evadat è prælio, & veniat ad premium.

Crucis & Viatici virtus. Crux est baculus pro mortis transitu. Hoc baculo Christus est usus, ut transiret de hoc mundo ad Patrem. Hunc ipsum nobis reliquit, ut eo fulti & adiuti de terra in cælum transiliremus; *Virga tua & baculus tuus ipsa me* Ps. 22. 5. *consolata sunt. Parasti in conspectu mea mensam adversus eos, qui tribulant me.* Si desint vires, non ita baculus iuvare poterit, ac proinde non solum de baculo Deus morituris providit, sed etiam de pane mystico, ut *cor hominis* Ps. 103. 16. *confirmet*. Habebant olim Hebræi baculum in manibus, cum agnum suum comedebant pro viatico, sed parum inde roboris accipiebant. Aliter accidit ijs, qui mysticum agnum sumunt, cuius virtute & gratia miros animos concipiunt, ut præter spem aliorum, & ipsorummet expectationem intrepidi sperent mortem, & cum venit, animosè cum illa confligant, & transiliant.

Crux in cælo quo nos ducit Viaticum. Crux in terris est, & simul in cœlis, in quibus *apparebit signum filij hominis.* Crux per Crucem quærenda est, cælestis per terrenam, gloriosa per laboriosam, exemplo ipsius Christi, qui post suam resurrectionem arguit ac redarguit discipulos in via dicens: *Nonne hæc oportuit pati Christum; & ita* Matt. 24. 30. *intrare in gloriam suam?* Christus in terris est: *Ecce ego vobiscum sum omnibus* Luc. 24. 26. *diebus usque ad consummationem sæculi.* Idem ipse in cœlis regnat, unde & Christus per Christum quæritur, sumitur pro Viatico, ut in cælis inveniatur. Hinc vocat adhuc & clamat, *Venite ad me omnes, qui laboratis & one-* Matt. 28. 20. *rati estis, & ego reficiam vos.*

Matt. 11. 14. Crux ut ait S. Ephrem. *Ægrotorum medicina.* Pertinet ad artem medicam *Medina Crucis & Viatici.* præscribere ægris & infirmis ea, quibus abstinere debeant, quæve sumere & capere oporteat. Cum igitur Crux sit *ægrotorum medicina*, de utroque monet ægrotantes ac laborantes, ut si sani & salui velint esse, mundo, & rebus

rebus mundanis renuntient, sacrumque accipiant Viaticum, quod sibi in vitam æternam datur, & administratur.

Resurrectio per Crucem, & Viaticum.

Crux *resurrectio mortuorum.* Constitit ita esse cum gestans Crucem in manu suscitatus est, & cum eo *multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Hanc ipsam resurrectionem ascribit Christus sacrosanctæ suæ Eucharistiæ, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitã æternam. Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Cum quis iacet æger & infirmus in lecto, si noverit se sanum & saluum evasurum è morbo, magnam habet consolationem. Magnum hoc solamen est in morbo & morte scire quod scimus, nimirum futuram aliquando resurrectionem, de qua agens Apostolus concludit, *Itaque consolamini invicem in verbis istis.* Consolatoria sunt laborantibus & ægrotantibus verba de resurrectione, cuius certa & secura sunt pignora Crux & Eucharistia: Eucharistia quidem consecrata, & data *in memoriam resurrectionis Iesu Christi Domini nostri:* Crux vero quæ & ipsa sepulta fuit, & post suam inventionem eius gloriosa resurrectio colitur & celebratur, sicut & eius Exaltatio similis planeCrucifixo, quem Deus à morte & mortuis suscitavit, & tandem in cælum exaltavit.

Tota Christi passio est Crux, cui assonat Eucharistia.

Crux Christi tota ipsius passio fuit, pro cuius universali remedio de sacro viatico provisum est. Christus egressus è cænaculo *capit pavere, & tædere, & mæstus esse,* dixitque Apostolis, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quotusquisque æger est, & pavet; recurrat ad sacrum Viaticum, dabitur *panis, ut cor hominis confirmet,* & pavorem deponat, Patitur tædium, sicut & David, cum dicebat, *Dormitavit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis:* sicut & Jobus, cum assereret; *Tædet animam meam vitæ meæ,* habet remedium in sacra Eucharistia, quæ vitæ humanæ fastidia tollit, per certam vitæ immortalis spem, & expectationem; *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quotusquisque infirmus est, tangitur & opprimitur mortali mæstitudine atque tristitia, mysticum habet vinum, dedit enim Christus tristibus sui sanguinis poculum.

Marc. 14. 33. Psl. 103. 16 Psl. 118. 20 Ioa. 6. 59.

Qualis Christus in horto talis in Viatico.

Crux Christi fuit & satis gravis, sub cuius pondere procidit ante faciẽ suam, cum Christus oravit in horto; *Pater si possibile est, transeat a me calix iste.* Tunc positus in summa agonia usque ad sanguinem sudavit, cui & Angelus affuit *confortans eum,* ut acceptaret, & toleraret calicem, quem de cælis Pater illi mittebat, quod & lubens & volens fecit. Quisquis succumbens gravitati sui morbi orat Deum pro dilatione ac prolongatione vitæ, angiturque redactus ad extrema, sciat Angelum ad se non mitti, sed Regem Angelorum ad se venire, ut beneficio sacri Viatici animetur & confortetur ad mortem ferendam ac tolerandam, quam Deus immittit.

Luc. 22. 43.

Qualis in apprehensione talis & æger.

Crux Christi fuit immanis illa comprehensio, quam fecerunt in eum hostes, cui similis æger est redactus ad eum statum, in quo verè dicere possit; *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni comprehenderunt me.* Comprehensus Christus in passione liberos suos esse voluit, monuitque propterea, *Si me quæritis, sinite hos abire.* Idem ipse captus in sacro Viatico liberum abire facit hominem a doloribus, quibus angitur, a periculis inferni, ad quæ coniectum se videt ac dolet.

Psl. 17. 5. Ioa. 18. 8.

Qualis in domo Caiphæ, talis & infirmis.

Crux Christi fuit audire apud Caipham, & Annam: *reus est mortis.* Acta est ibi mala consultatio ignorantium medicorum, quos rogavit Caiphas: *Quid vobis videtur?* & responderunt omnes, *reus est mortis.* Constitutus igitur æger in eo statu, ut tam medici quã Confessarij morti eum addicant, me-

meminerit Christi, quem accepit in Viaticum, quid simile passum esse, cum Caiphæ & Annæ sisteretur, & condemnaretur. Meminerit etiam Petri ibidem negantis, qui paulo ante in cænaculo sumpserat Eucharistiam, & promiserat Christo, *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo*: defecit tamen, & ne ipse post acceptum viaticum delinquat, aures non prebeat ancillæ, quæ caro est, nec milites timeat, nec audiat dæmones tentatores. Nihil habeat cum Petro commune in sacra passione, nisi de peccatis dolore, nihil vero cum Iuda, qui in cęnaculo solum de bonis temporalibus meditabatur. Facessat ab accipiente sacrum viaticum mundana hæc cogitatio, & prophana meditatio.

Matt. 26. 35.

Qualis in aula Herodis talis et ægrotus

Crux Christi fuit facta de se præsentatio coram Herode, contemptus, & ludibrio ibi habitus, atque per ludibrium tamquam stultus dimissus ex aula. Non absimilis Herodi mundus est, cum homines, qui in eo fuerunt & vixerunt, ponit extra se vi morbi, & ęgritudinis, in stultitiam, & insaniam actos. Parum hoc erit, si quando caro stultescat, sapiat in Christo, & per Christum anima præventa sacro Viatico.

Qualis in domo Præsidis, talis qui laborat.

Crux & cruciatus fuit in domo Præsidis Pilati dira flagellatio, spinea coronatio, iniqua ad Crucem, & mortem condemnatio. Curare, & corrigere, & emendare Christum voluit, ne moreretur, & post tam immania supplicia idem ipse morti eum addixit. Malus medicus, qui varijs ac diversis modis vexat & torquet ægrum, quem postea ipse morte afficit. Miser status hominis, quem protulit Præses dicens: *Ecce homo*. Homo, qui similis Christo est, ab ipsis suæ salutis ac valetudinis curatoribus, tortoribus & interfectoribus recolat apud se, talem se Christum accepisse, qualis & ipse est.

Ioa. 19. 5.

Qualis ductus ad Crucem: talis & qui it ad mortem.

Crux amara fuit, cum baiulans sibi signum occurrit Matri, quę patientis Christi dolores non minuit, sed auxit, cum illam contemplaretur amaritudine plenam, & oppressam. Placuit totum, quod acerbum erat, sibi assumere, ut nos haberemus sanctam matrem Ecclesiam, quæ nobis occurreret, cum iam ad mortem iremus, & nobis de temperamẽto amaræ mortis per viaticum provideret. Tunc Simon Cyrenensis datus Christo est, ut eum pro ferenda Cruce iuvaret. Felicior est æger, cui non adest Simon, sed Christus adiuvans in se & per se laborantem, ægrotantem, & e vivis abeuntem.

Qualis in lecto doloris: talis & moriturus.

Crux lectus doloris fuit, in quo positus Christus iacuit, & cui affixus ad spectaculum mundi, hominum & Angelorum totus nudus comparuit. Ascendit doloris lectum, qui affixis ad lectos ægris adest crucifixus per crucem & per viaticum, ut eorum dolores minuat & leniat, mortemque ipsam suis malis bonam reddat. Septem autem verba, quæ è lecto sui doloris locutus est, expendimus in sacri sanctuarij Appendice, & quidem in gratiam laborantium & ægrotantium, quibus artem bene moriendi depinximus.

Crux est, quam alloquitur Ecclesia; *Flecte ramos arbor alta, Et rigor lentescat ille. Quem dedit nativitas, ut supremi membra Regis leni teneas stipite.* Tenuit quidem, donec Christus mortuus esset, & ex sacro eius aperto latere profluxerunt omnia Sacramenta, & præ cæteris alijs sacra Eucharistia, quà Sacrificium, quà Sacramentum, quà Viaticum. Post hæc Mater Iesu, quæ stabat iuxta Crucem, suis virginalibus ulnis divinum filij sui cadaver è Cruce demissum excepit. Excepit in formam Crucis, quem in modum Crucis adhuc infantem gestaverat

verat, offerens pro Viatico morientium, quem obtulerat Deo in sacrificium.

Crux, Virgo & sacrum Viaticum.

SAnctus Epiphan. Hom. de Laud. Virg. *Dico illam esse cælum, thronum simul & Crucem, extendens enim sanctas ulnas Dominum portavit.* Excepit & portavit Christum viatorem, *exultavit, ut gigas ad currendam viam*, & de quo ipsa testatur, *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Excepit quoque & habuit eundem viatorem Crux, *Quare sicut colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* Et certe tamquam viator, quem latrones invaserunt, excessit, ac proinde inter duos latrones mortuus est. Nascitur in via, quemadmodum notat Sanctus Gregorius Hom. 8. in Evang. *Non in parentum domo, sed in via nascitur: ut profecto ostenderet, quia per humanitatem suam, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur.* Nascitur in via, portans secum viaticum in gratiam eorum, quos esset habiturus socios in via, & ex via translaturus eos in patriam cęlestem. Rursus Gregor. *Quid est, quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc aperte monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos ascriberet in æternitate? Quo contra de reprobis per Prophetam dicitur: Deleantur de libro viventium, & cum iustis non scribantur. Qui bene etiam in Bethleem nascitur: Bethleem quippe domus panis interpretatur. Ipse namque est, qui ait; Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi. Locus ergo, in quo Dominus nascitur, domus panis antea vocatus est, quia futurum profecto erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret.* Ps. 18. 6.

Christus natus in via sacrum secum Viaticum ferens & donans, in via quoque moritur; *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput*, unde & B. Maria, quę iuxta Crucem erat, viatores alloquebatur; *O vos omnes, qui transitis per viam, considerate & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Quam primum sacræ suæ passionis viam ingreditur, agit statim de Viatico, *Dominus quidem Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem*, &c. *Similiter & calicem*, utrumque vero & in cænaculo, & in Cruce nobis dedit in signum & testimonium nostræ liberationis, iuxta legem promulgatam Deut. cap. 15. *Quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus & de area, & de torculari tuo.* Accedit Cyrill. lib. de Adorat. *Liberavit nos gratis Dominus, postquam vero nos liberos fecit, id est, a peccatis absolvit; adiecit seipsum Viaticum, tamquam victima omnis maculæ expers concedens, ut vivificam benedictionem participaremus, sanctam dico carnem & sanguinem. Hoc existimo, quod ait lex oportere suppeditari Viaticum de ovibus & de frumento ac vino vocans ad libertatem.* Hanc libertatem respiciebat Paulus, cum diceret; *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est vita, salus & resurrectio nostra: per quem salvati & liberati sumus.* Hanc quoque attendebat Andreas, qui declarato mysterio Agni Sacramentalis coram Proconsule Ægea veniens ad Crucem de sua gaudens libertate salutavit: *Salve Crux*, Salutamus nos & Mariam: *Salve Regina, mater misericordiæ, vita, dulcedo & spes nostra salve.* Primus, qui illam hoc modo salutavit, fuit Hermannus cognomento *Contractus*, nobilissimus, Comitis Suevi filius, qui cum esset omnibus membris

Christus secum fert pro nobis sacrum Viaticum Ps. 109. 7 Thren. 1. 12. 1. Cor. 11. 28.

captus, & monachus factus summis precibus Mariam rogavit, ut sibi valetudinem impetraret. Rogata adfuit laboranti & ægrotanti, & interrogavit infirmum, utrum è duobus mallet sanus ne fieri, sed ut erat rudis & indoctus permanere; an perseverare in morbo & labore, & ornamento sacrarum scientiarum decorari. Elegit hoc ultimum, evasit mirum in modum sapiens, qui & in sua infirmitare lecto affixus auctor & inventor fuit præfatæ salutationis, qua Catholica Ecclesia utitur, & nos in gratiam laborantium & ægrotantium proposuimus, & exposuimus in 3. P. sacri Sanctuarij Crucis & Patientiæ, Crucifixorum & Cruciferorum.

Quam sit bonum colere sacrum Viaticum.

Quæst. XXX.

Sanctorum Patrum responsa per miracula.

Cultus erga sacrũ Viaticum profuit in naufragio

SAnctus Ambros. agens de obitu fratris sui Satyri; Quid igitur, ait, observantiam eius erga Dei cultum prędicem? Qui prius quam perfectioribus esset initiatus mysterijs in naufragio constitutus, cum ea, qua veheretur navis, scopuloso illisa vado, & vrgentibus hinc inde fluctibus solveretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterij exiret è vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium Sacramẽtum poposcit, non ut curiosos oculos insereret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium involuit collo, atque ita se deiecit in mare, non requirens de nave compage resoluta tabulam, cui supernatans iuvaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque his se tectum atque munitum satis credens alia auxilia non desideravit. Simul fortitudinem eius spectare licet, qui fatiscente navigio nõ quasi naufragus tabulam sumpserit, sed quasi fortis ex seipso adminiculum suæ virtutis assumpserit. Nec deseruit spes, nec fefellit opinio. Denique primus servatus ex undis, & in portum terrenæ navigationis ejectus Præsulem suum, cui se crediderat, recognovit. Ecclesiam Dei requisivit, ut ageret gratias liberatus, & mysteria æterna recognosceret, pręnunciãs nullum referendę gratiæ maius esse officium.

Cultus Sacerdoti erga sacrũ Viaticum profuit in morte.

S. Bernard. in vita S. Malachiæ. Fuit quidam clericus in Lesmor, probabilis, ut fertur, vitæ, sed fidei non ita. Is sciolus in oculis suis pręsumpsit dicens in Eucharistia esse tantummodo Sacramentum, & non rem Sacramenti; id est, solam sanctificationem & non corporis veritatem. Super quo a Malachia secretò & sæpe conventus, sed in cassum vocatus ad medium est, seorsum tamen a laicis, ut si fieri posset, sanaretur, & non confunderetur. Itaque in conventu Clericorum data facultas homini est, pro sua sententia respondendi. Cumque totis ingenij viribus, quo non mediocriter callebat, asserere, & defendere conaretur errorem, Malachia contra disputante & convincente, iudicio omnium superatus, de conventu confusus quidem exijt, sed non correctus. Dicebat autem non se ratione victum, sed Episcopi pressum auctoritate. Et tu, inquit, ô Malachia, sine causa me hodie confudisti, adversus profectò veritatem locutus, & contra tuam

tuam ipsius conscientiam. Mæstus Malachias pro homine sic indurato, sed magis fidei dolens iniuriam, timens periculum, Ecclesiam convocat, errantem publicè arguit, ut resipiscat. Suadentibus hoc ipsum Episcopis, & universo Clero, cum non acquiesceret, contumaci anathema dicunt, hæreticum protestantes. Omnes, inquit, favetis homini potius quam veritati. Ego personam non accipio, ut deseram veritatem. Ad hoc verbum stomachans Sanctus: Dominus, inquit, fateri te veritatem faciat, vel ex necessitate. Quo respondente, Amen, solvitur conventus. Tali ille inustus cauterio, fugam meditatur, infamis, atque inhonorus esse non sustinens. Et continuo sua tollens exibat, cum ecce subita correptus infirmitate sistit gradum, viribusque deficiens eodem loco iactat se fessus & anhelus. Forte incidens in id loci vagabundus insanus offendit hominem, quid ibi agat, percontatur. Respondet gravi se infirmitate teneri, & neque procedere, nec redire valentem. Et ille, infirmitas ista haud alia, inquit, quam ipsa mors est. Hoc autem non dixit a semetipso, sed pulchrè Dominus per insanum corripuit eum, qui sanus acquiescere noluit consiliis sensatorum. Et addit; Revertere domum, ego te iuvabo. Denique ipso duce revertitur in civitatem: redit ad cor, & ad misericordiam Domini. Eadem hora accitur Episcopus, agnoscitur veritas, abijcitur error, confessus reatum absolvitur, petit Viaticum, datur reconciliatio, & uno pene momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur. Ita mirantibus cunctis sub omni celeritate completus est sermo Malachiæ, & pariter Scripturæ dicentis, quia *vexatio dat intellectum auditui.* Isai. 28.19

Eusebius Cæsar. lib. 8. Ecclesiast. hist. cap. 34. Dionysius ad Fabianum scribens intexuit quandam historiam dignam memoria, dicens Serapionem quendam fuisse apud Alexandriam, unum ex his, qui lapsi sunt, eundemque sæpe deprecatum, ut susciperetur, nec tamen impetrasse. Oppressum deinde hunc ægritudine, ita ut triduo iam sine voce prorsus iaceret: paulum vero quarta die respirantem vocasse ad se filiam suam, & dixisse: Quousque me detinetis? Quæso vos, citò aliquem Presbyterum vocet, ut possim aliquando dimitti. Et cum hæc dixisset, rursum sine voce permansit. Abijt cursu puer ad Presbyterum noctis tempore: infirmabatur Presbyter, venire non potuit: tamen quia præceptum fuerat a me, ut lapsis in exitu nemo reconciliationis solatia denegaret, & maximè his, quos prius id rogasse constaret, parum Eucharistiæ puero, qui ad se venerat, dedit, quod infusum jussit seni præberi. Regredienti adhuc puero, antequam regrederetur domum, rursus Serapion respiciens: Redisti, inquit fili? Et licet Presbyter venire non potuit, tu tamen imple, quod tibi præceptum est, ut possim discedere. Cumque esset completa solennitas, velut catenis quibusdam, vinculisque diruptis lætiorem iam spiritum reddit. *Ex quo,* inquit, *constat certissimè huius boni auxilio nullum debere fraudari.* Nemo privandus, nemo defraudandus est sacro Viatico, quo finitur solenne Convivium Sapientiæ, magis propterea venerandum, magis colendum, quod differat a cæteris alijs Convivijs, quod sibi & alijs parant inimici Crucis Christi, *quorum finis interitus: quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Phil. 3.19

Cultus Serapioni erga sacrum Viaticum profuit, ut moreretur.

Quæst.

Quæst. XXXI.

Quis finis solennis Convivij Sapientiæ?

SÆpe David, & ita sæpe apposuit titulis Psalmorum. *In finem*, ut pluries quam quadragies hoc ipsum iteraverit, ac repetierit, tanti momenti est, ut quis in rebus omnibus exitum attendat, finem respiciat. Fines, in quos collimavit Sapientia, ut solenne suum convivium instruerit, & instituerit colligendi sunt ex Cōcilio Tridētino ss. 13. cap. 2, Primus finis, *Ergo Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem*, Sacramentum *hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriā faciens mirabilium suorum, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat.* Finis secundus; *Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vita illius, qui dixit, Qui manducat me, & ipse vivet propter me: & tamquam aditum, quo liberemur à culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præservemur.* Tertius finis, *Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis. Adeòque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos tamquam membra arctissima spei, fidei, & charitatis connexione astrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.* Hæc pax atque concordia decantata est à Davide, hortante propterea Ecclesia, *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, Quoniam fortavit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te:* Solenne sanè Convivium Sapientiæ, quod desinit in memoriam Redemptoris, qui ita suos amaverit, ut dixerit Ioannes, *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Verbum *in finem* est illud, quod in tot Psalmis apposuit, & affixit David, ut qualis esset futurus amor Christi erga suos prænunciaret, sæpe repeteret, sæpius iteraret. Solenne Convivium, quod finit in largitione vitæ spiritalis, & immortalis, de qua Christus, *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Solenne Convivium, quod terminatur in unitate, & unione, in summa pace & concordia Convivarum, ut sint *cor unum, & anima una*, virtute tanti mysterij, quod & pignus est futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis. Non ita desinunt, nec finiunt solennia convivia Principum & Regum, quæ in sacris litteris referuntur, quorum fines cum præfatis finibus Eucharistię, ut hæc veritas magis eluceat, conferri facile poterunt.

Triplex finis Eucharistia.

Ps. 147. 1.

Ioa. 13. 1.

Io. 10. 10.

Act. 4. 32.

Alius finis convivii Sapientiæ, alius finis cœnæ Principis Holophernis, alius finis Eucharistiæ, alius finis cœnæ Regis Balthasaris: alius finis sacræ mensæ, alius finis convivij Assueri, Absalonis, & cæterorum, *quorum finis interitus* corporalis & spiritualis. Desierunt in funestum luctum & planctum, solenne verò Sapientiæ convivium desiit in hymnum, & cantum, quemadmodum apud S. Matthæum cap. 26. legimus; *Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens; Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus, novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis: non bibam amodò de hoc genimine vitis, usq; in diem illum, cum illud bibam vobiscum*

Phil. 3. 19

novum

novum in regno Patris m i. Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti. Et nos quoque Hymnum dicamus, in quo magnalia Eucharistica referantur, nec quidem sine exemplo humano, cum lib. 4. Tuscul. quæst. scripserit Tull. *Gravissimus auctor in Originibus dixit Cato morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibias clarorum virorum laudes, atque virtutes:* & cum dixerit Arnob. lib. 4. *Scribuntur dij vestri in tricliniis cælestibus, atque in Chalcidicis aureis canitare, potare, & ad ultimum fidibus, & vocum modulatione mulceri.* Accedunt T. Livius 3. Decad. lib. 9. & Ammian. Marcell. lib. 30. Livius; *Tunc psaltria, sambusistriciæque, & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis:* Marcellinus, *Cumque apponerentur exquisita cupidia & ædes ampla neruorum articulato, perflatilique sonitu resultarent.*, Silius Italic. lib. 6. Punicor.

Cui nocturnus honos, funal a clara, sacerque
Post epulas tibicen adest.

Horat. lib. 3. Od. 2.

Tuque testudo resonare septem
Callida nervis,
Divitum mensis, & amica templis.

Quam antiquus sit mos pro mensis vocalis & instrumentalis musicæ usus probant ex Homero Scriptores ait enim lib. 8. Odyss.

Ille concitatus a Deo capit, approbavitque cantionem.

Atque etiam ante expeditionem Troianam id factitatum.

Nam in Argonautica profectione Valer. Flacc Balbus lib. 1.

Vinaque & æquoreos inter cum coniuge Divos
Æacides, pulsatque chelin post pocula Chiron.

Et lib. 3. Argonaut.

Hinc Halin, hinc rigido transcurrens demetit ense
Prothin, & insignem cithara, cantuque fluenti
Dorcea, qui dulci festis assistere mensis
Pectine, Bistonia magnum post ausus alumnum.

Procul hinc prophani cantores, procul a sacra mensa musica prophana, quam ab epulis & convivijs Romanorum exulare cupiebat Seneca, lib. de vita beat. cap. 11. & invehebatur in eos, qui in mensis lascivis cantibus oblectarentur; *Aspice, inquit, Nomentanum ac Apicium terrarum & maris (ut isti vocant, bona conquirentes, & semper mensam recognoscentes, omnium gentium animalia. Vides hos eosdem è lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum oblectantes.* Tota munda ac pura mēsa Eucharistica est, quę quærit & exigit hymnum sonis & vocibus virginalibus prolatum, & decantatum.

In voce exultationis, & confessionis
sonus epulantis. Ps. 41.

HYM-

HYMNVS CONVIVALIS

Altaris & mensæ Sapientiæ.

Lauda Sion Salvatorem,
Lauda Ducem & Pastorem
In hymnis & canticis.

Gratiarũ actio debita Deo.  ELEBRIS lex lata, ac promulgata est Deut. c. 8. *Cum comederis, & saturatus fueris, benedices Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.* Hæc lex indicta convivis singulis, ad cujus observationem excitat suam Ierusalem, & suam Sion David; *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deũ tuum Sion. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem; & adipe frumenti satiat te.* (Ps. 147. 1.) Non solum illam observavit, sed etiam servavit, & servari voluit à suis convivis Christus. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* (Ps. 21. 27.) Cœnarunt cum Christo Apostoli, pauperes cum paupere, & *hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* (Matt. 26. 30.) Igitur juxta præscriptum simul & exemplum; *Lauda Sion Salvatorem.* Nomine Iesu, nomine Salvatoris insignitus est in Cruce; *Iesus Nazarenus.* (Ioan. 19. 19.) Et hoc ipso titulo appellavit eum Paulus de sacra Eucharistia agens; *Et Dominus quidem Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem.* (1. Cor. 11. 23.)

Insignia Ducis & Pastoris. Dux est & pastor, cujus meminit David Psal. 22. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascua ibi me collocavit.* Ducit ac regit Dux: pascit & alit Pastor, cui & statim ait David, *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Dux in militia pro suo insigni virgam habet, pastor vero baculo notatur & insignitur, & Christus à virga & baculo laudabilis est, cum sit Dux simul & Pastor. Beatus qui ab illo ducitur. Quid ni beatus, cum nihil illi deficiat? *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Sola beatitas est, quæ omnem tollit & expellit indigentiam. Beatus, qui ab illo pascitur. *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem.* (Ps. 40. 1.) In quem locum Ambros. *Beatus quidem, qui compatitur pauperi, qui haurit necessitates. Sed quid sibi vult istud exordium in Domini passione?* Respondet S. Doctor; *Beatus, qui intelligit super Christi inopia & paupertate, qui propter nos pauper factus est, cum dives esset. Sed fortè dicas. Quomodo dives in paupertate Christus, quæ est ita paupertas, quæ divites facit? Intendamus in ipsum venerabile Sacramentum.* Pastor pauper ibi est, qui ovem suam quasi filiam cum filijs suis, nimirum Angelis, nutrit & alit. Nutritur & alitur *de pane ejus comedens, & de calice ejus bibens, requiescens & dormiens in sinu suo.* (2. Reg. 12. 13.) Igitur fidelis anima tanto Sacramento recreata ac simul beata in consortio beatorum Angelorum canat. *Lauda Ducem & Pastorem.*

Hymnorum usus. *In hymnis & canticis.* Post accepta beneficia mos solennis erat apud Hebræos, ut Deo hymnos & psalmos canerent, quemadmodum cecinerunt

runt in diversis choris viri & fæminæ submersum Pharaonem & ejus exercitum. Hanc laudabilem consuetudinem servaverunt postea Debbora, Iuditha, Anna, & in novo testamento præ cæteris aliis Virgo Maria, cum modulata est, *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. 1. 47. In quæ verba Ambros. *Sit in singulis Mariæ anima, ut magnificet Dominum. Sit in singulis Mariæ spiritus, ut exultet in Deo.* Cecinit Maria, *Magnificat anima mea Dominum*, canat & anima post sumptionem Sacræ Eucharistiæ, *& exultavit spiritus in Deo salutari meo.* Resonent Maria & anima in hymnis & canticis spiritualibus; *Esurientes implevit bonis*. Tanta hæc bona sunt, ut omnem superent æstimationem & excedant laudationem, sicut & ipse collator ac benefactor superior est omni glorificatione.

Quantum potes tantum aude,
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.

NOn solet esse humilis Ecclesia audax in divinis orationibus ac laudationibus, sicut apparet in venerando sacrificio Missæ. *Supplici confessione* dicit, *Sanctus, Sanctus, Sanctus:* & post factam consecrationem ait, *Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati audemus dicere: Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum.* Quæ sic timidè procedit, cur excitat ad procedendum nunc audacter in divinis laudationibus? *Quantum potes, tantum aude.* Consonant sibi artes musicæ, & militiæ, & propter consonantiam castrorum cum choris cantorum ac musicorum scriptum est de militante Ecclesia; *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Cant. 7. 1. Componuntur castra cum choris, ut quemadmodum in castris audacia interdum solet esse causa victoriæ, *audaces fortuna juvat*, interdum vero receptus & ab hoste recessus, quo Fabius Maximus rem Romanam restituit; sic etiam in choris amat Deus, ut laudes ejus audacter & animosi canantur, aliquando verò humiliter pro earum magnitudine, & eminentia sileantur. Cum audis in altari loquentem altè Sacerdotem, quantum potest, tantum audet, cum vides illum summissa voce utentem, vel silentem, recognoscit se pro dignitate tantam celebrare majestatem minimè posse.

Humilis deprecatio.

Quia major omni laude. Quo major est in castris difficultas, eò debet esse major audacia, ut vincatur & superetur, & cum summa difficultas sit in consecrato Deo dignè & ritè celebrando, summus esse debet spiritus, & animus laudatoris. Magnis animis cecinit olim Maria, *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est*, Exo. 15. 1 sed animosius & fortius modulata nova Maria est, *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1. 47. Recognovit illa Dominum sua laude majorem, cum se contrahit, dum ait, *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Seraphini, quorum meminit Isaias c. 6. duabus alis volabant, & quatuor aliis collectis, atque contractis apparebant, cum clamarent, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Isai. 6. 3. Dum volabant, Deum laudabant, cum contraherent suas alas, declarabant, *quia major omni laude* Deus erat. De mandato quoque Ecclesiæ in Præfatione Missæ componit se Sacerdos, ac se colligit in formam Seraphinorum, ut supplici confessione celebret eum, qui major est omni laude, nec laudari potest satis.

Animus divini laudatoris.

In sufficientia. *Nec laudare sufficis.* Satis mirabile est, quod cum impar & insufficiens existat conviva Christi, pro eo commendando ac celebrando moneatur, ut aggrediatur opus, quod perficiendum non est. Habes dicentem Christum. Luc. 14. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne postea quàm posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Quod si laudatio convenit cum militia, ex hac ipsa in idem argumentum affert Christus exemplum. *Aut quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se: alioquin adhuc illo loco agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt.* Ergo qui non potest laudes divinas construere, & in eis chorum ducere, videbitur contra monita Christi agere. Minimè vero. Quis melius divinas laudes construxit & composuit quam David? Et tamen ille, qui cantorum omnium duxit chorum, non abstinuit à summæ Majestatis encomiis, etsi sciret impossibile sibi esse pervenire, quò cuperet, cecinitque propterea. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Apud Deum voluntas pro facto reputatur, neque enim Deus effectum, sed affectum in suo encomiaste, cui non suppetit potentia, requirit, & ejus defectum supplet. Cadit etiam hoc loco conclusio S. Leonis Papæ Serm. 10. de Passion. Domin. *Succumbat ergò humana infirmitas gloriæ Dei, & in explicandis operibus misericordiæ ejus imparem se semper inveniat. Laboremus sensu, hæreamus ingenio, deficiamus eloquio: bonum est, ut nobis parum sit, quod etiam rectè de Domini majestate sentimus.*

Pſ. 138. 5.

Laudis thema specialis,
Panis vivus & vitalis
Hodie proponitur.

Laudata per se Eucharistia. QUid est, quod humana laus quæratur & exigatur pro tanto ac tam divino mysterio, quod Deo, & cælo ita probatum est? Huc pertinet, quod apud Plinium legi lib. 4. epist. 2. *Quamvis abundè sufficiat illi, quod est à Principe & Senatu probatus, gaudebit tamen testimonio tuo. Omnes enim qui gloria, famaq; ducuntur mirum in modum assensio & laus à minoribus etiam profecta delectat.* Sufficiebat abundè, quando, panis cælo
Luc. 2. 13. descendit, quod esset ab Angelis exaltatus, cum cecinissent, *Gloria in altissimis Deo:* & adoratus à Regibus, *procidentes adoraverunt eum.* Sed gavisus
Matt. 2. 11. est testimonio minorum nimirum pauperum, & rudium pastorum, ac proinde gaudebit testimonio tuo. Deus quippe cum gloria ducatur, mirum in modum assensione & laude minorum delectatur. Habet laudem
Ioan. 18. 36. specialem Christus in Eucharistia, cum sit extra suum regnum, *regnum, inquit, meum non est de hoc mundo.* Nam ut ait Cassiodor. lib. 10. Var. epist. 19. *Commune est cunctis in suis imperijs prædicari: sed illud est omnimodè singulare in extranea gente laudes proprias invenire.* Inveniat laudes proprias
2. Cor. 5. 6 apud nos, qui *peregrinamur à Domino*, & quibus tamquam thema specialis laudis Christus in Eucharistia, ubi gaudet vel à minima fæmina celebrari. Similis sibi est, cui ex bono ac pio affectu immissa in garophylacium pecuniola sic placuit, quid ni laus ab ipsa profecta, grata & accepta erit?

Magnus

Magnus Orator apud Græcos Demosthenes erat, erat & magnus Plinius apud Romanos, & hic de se & de illo scribit libr. 59. epist. 23. *An si Demosthenes iure lætatus est, quod illum anus Attica ita demonstravit, Ego celebritate nominis mei gaudere non debeo? Ego vero & gaudeo, & me gaudere dico.* Humanum est hoc, divinum illud, quod si se laudaverit vel una anus Christiana, lętetur & gaudeat Christus.

Panis vivus, & vitalis. Habet hoc speciale Christus, ut vitam habeat, in se, & illam cæteris largiatur. *Quod factum est in ipso, vita erat, & vita erat lux hominum.* Lux quidem lucet, & splendet in se prius, & postea ex se suum lumen & splendorem communicat. Sic quoque Christus in Eucharistia, quemadmodum dixit ipse de se; *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me;* Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, & ideo *Vivo propter Patrem:* sum & panis vitalis, & idcirco, *qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Cum panis vivus esset, adhuc vivens seipsum consecravit; & cum vitalis foret, voluit ipse mori, voluit & discipulos post sacram communionem vivere. Quapropter cum quæreretur ad mortem, tradidit se quęrentibus, quos & monuit. *Si me quæritis, sinite hos abire.* Sub hac conditione, ut abire permitterent Apostolos, seipsum tradidit hostibus. Panis vivus & vitalis, cui debent suam vitam Apostoli.

Vita largitio. *Ioa. 6. 58.* *Ioa. 18. 8.*

Hodie proponitur, cuius virtute omnes vivificemur. Dixit Pater Filio, *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* & hic ipse sub formis accidentarijs panis *hodie proponitur,* Induxit & introduxit Pater Primogenitum in orbem terræ dicens, *Et adorent eum omnes Angeli Dei,* & idem ipse consecratus introducitur, *& hodie proponitur,* semper colendus, semper adorandus: *Iesus Christus, heri & hodie,* & qui heri exponebatur Pastoribus simul & Regibus, &c. *Hodie proponitur* ijs, qui orant cælestem Patrem; *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hodie se offert & confert, qui se heri obtulit in Sacrificium Patri, & contulit in escam & cibum Apostolis.

Ps. 2. 7. Ps. 103. 4. Heb. 13. 8. Matt. 6. 11.

Quem in sacra mensa cænæ
Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.

QUid sibi vult Christus, cum pro sua Transfiguratione tres tantũ elegit Apostolos, & in sacramẽtali transsubstãtiatione placet omnes habere pręsentes? Mauult credi, quam videri, ideoque dicẽti Thomæ, *Dominus meus, & Deus meus,* respondit Christus, *Quia vidisti me Thoma, credidisti, beati, qui nõ viderunt & crediderunt.* Paucis se exposuit in statu carnis videndum in venerando Sacramento, quod *mysterium fidei* est. Itaque cum non de videndo, sed de credendo se ageret Christus in Eucharistia, opportunum tempus elegit, ut seipsum consecraret. Non elegit diem, in quo omnia patent ac cernuntur, assumpsit noctem, in qua omnia latent & occultantur. Consonant sibi nox & fides, quæ est *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Nox tegit multa, quæ non apparent, & in sacro mysterio fidei Christus non comparet, qui & in sancta passione disparuit. Res multę de nocte disparent, sed adhuc manẽt, manet

Christus mavult credi quã videri. Io. 20. 28. Heb. 11. 1.

quoque Christus in mensa, etiamsi in cruce & morte disparuerit. Apparebat consecrans seipsum Christus, qui consecratus non apparebat Apostolis, quibus se tradidit,

Mysticus Iosephus Christus. *Turba fratrum duodena.* Mysticus planè Iosephus, qui fratres suos solenni excepit cõvivio, nec Iudã proditorem à cæna & cænaculo exclusit. Qui se pro ejus salute in sacra passione immolaturus erat, noluit eum arcere à sacrosancta mensa, in qua rerum gerendarum memoria recolebatur. Cum Christus mysteria Eucharistica evulgaret. cap. 6. Ioannis egit cum *turba*, qui & *turba fratrum duodena* exhibuit se manducandum. Exhibet se turmatim & turbatim sine ullo discrimine sumendum & capiendum, sed *probet seipsum homo*, ne redarguatur, *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* (1.Cor.11. 28. Matt. 22 12.)

Errant in sole haeretici. Cur autem dicitur, *Datum non ambigitur*, cum ethnici & hæretici non solum ambigant de Eucharistica veritate; sed etiam tueantur hanc esse falsitatem? Hac in parte pejores ethnicis sunt hæretici, qui cum fateantur Christum esse verum Deum, verbis tam apertis & manifestis dicentis, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus*, adversantur & contradicunt. (Ioa. 6.56.) Hos & alios similes benè arguit ac redarguit Cyrill. Ierosolymitan. Catechesf. 4. *Cum igitur ipse de pane pronuntiaverit ac dixerit: Hoc est corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et idem ipse tam asseveranter dixerit; Hic est sanguis meus, quis unquam dubitaverit, ut dicat non esse ejus sanguinem?* (Gen.1.3.) Cum vides lucem, non dubitas dixisse Deum; *Fiat lux, & facta est lux*: & cum cernis solem, lunam, & stellas, non ambigis Deum locutum esse; (Gen.1.14) *Fiant luminaria in firmamento cæli*, nec tamen ejus verbum nec vocem avdisti. At dices, Res ipsæ per se loquuntur, nec opus est audire loquentem Deum. Nec dubitas, nec ambigis, etiam si non audieris ejus vocem quia res ipsæ loquuntur, igitur etiamsi si non videas latentem Christum in Eucharistia, debes credere fortiter ac firmiter, quod in ea existat, cum ipse de suo corpore dicat, *Hoc est corpus meum*, & de suo sanguine loquatur, *Hic est sanguis meus.* Suum esse dicit natura & conditione, qui & noster etiam est jure communicationis, & gratia sacræ Communionis.

Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda sit decora
Mentis jubilatio.

CUm præmissum antea sit, *Nec laudare sufficis*; quomodo nunc dicitur, *sit laus plena?* Cum in vase aqua redundat, ut illam capiat, insufficiens est, & tamen tunc illud plenum est. Argumentum itaq; plenitudinis est ipsa insufficientia. Plena laus de Deo est, cum eam superat Deus summus, qui est omni major laude; & hæc quoque sonora est, cum vox laudatoris exaltatur in eam planè formam, quam in verba Isaiæ cap. 13. *Exaltate vocem*, exponit S. Basilius, *Vaniloquorum vox, qui de terra loquuntur, remissior fit, & languescit, qui præ pusillanimi mærore ac timore animum dejiciente loquitur, &c. Qua igitur ratione attollitur in sublime vox? Si magno ac præstanti animo adversus turbulentas animæ affectiones cooriare, ne te sinas succumbere tentationibus, quo tempore te adoriuntur, tunc sane tuam exaltasti vocem.*

Sit

Sit jucunda, sit decora mentis jubilatio. Necdum viderant Christum Magi, & tamen *videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valdè.* Longè aliud, longè majus gaudium & exultatio fuit, cum Christum pannis involutum in maternis ulnis repererunt, & tamen nulla de eorum lætitia facta mentio in Evangelio est. Erat illa spiritus & animæ, erat decora atque jucunda mentis jubilatio, qualis pertinet ad convivam sacræ Eucharistiæ, & in qua virtus Spiritus sancti resplendet, ut notat S. Laur. Iustinian. Sermon. de Eucharistia, *Spiritus sancti*, inquit, *vis nosse testimonium? lege cap. 2. Act. sic enim habes; Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, & frangentes circa domos panem sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum: experientia igitur devotionis sanctæ, & exultatio spiritus, quæ ex Sacramenti hujusmodi perceptione gustatur, notissimum almi spiritus noscitur esse testimonium.* *Ineffabile gaudium Eucharistiæ.* Mat. 2. 10

Rectus ordo; ut præcedat laus plena atque sonora, & sequatur decora ac jucunda mentis jubilatio. Hic ipse processus Spiritus sancti, qui in suo descensu cæpit à sono; *Factus est repentè de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis*, & deinde mentes Apostolicas exhilaravit. Dixerat de Spiritu sancto Christus. *Ille me clarificabit.* Clarificavit per sonum externum, & per internum gaudium, unde & gaudet, si pro clarificanda Eucharistia, sit imprimis vox sonora, & dein jucunda jubilatio mentis. Præluxit exemplo suo Maria, quæ extollens vocem in montanis cantavit, *Magnificat anima mea Dominum:* & statim mente & spiritu hilaris cecinit. *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Sit igitur in singulis convivis Mariæ anima, ut magnifica voce Deum extollat, sit quoque Mariæ spiritus, ut in Deo exultet, & jubilet. *Semper inedia mæroris sequela est, sicut lætitia accessio saginæ*, ut ait Tertull. lib. de Iejun. cap. 7. Act. 2. 2. Io. 16. 14. Luc. 1. 47

Dies enim solennis agitur,
In qua mensa primò
Recolitur hujus institutio.

QUare dies, & non potius agitur solennis nox, siquidem; *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem?* Accedit, quod cum hic panis de cælo descendit in sancta Nativitate, sacram ejus celebritatem incipit Ecclesia de nocte agere, eo nimirum tempore, quo in mundum prodiit, oratque ad primam Missam, *Deus qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere: da quæsumus, ut cujus lucis mysteria in terra cognovimus, ejus quoque gaudiis in cælo perfruamur.* Voluit Christus nasci de nocte, ut noctem in diem verteret, voluit quoque de nocte suam condere Eucharistiam, cujus splendore nox in diem commutaretur; *Dies enim solennis agitur.* Apparet in hoc mysterio quam verum sit oraculum, *Nox sicut dies illuminabitur* & illud. *Nox illuminatio mea in deliciis meis.* Deniq; & illud: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Ad hunc diem nos vocat Rex David, *Accedite ad eum, & illuminamini:* Quem locum Iansenius intelligit de Christo splendente in Eucharistia. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.* Præ multis aliis unus fuit S. Laurentius nobilis & illustris minister sacræ Eucharistiæ, quæ & ejus Martyris noctem in diem convertit, dixitque propterea; *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* *Solennitas corporis Christi.* 1. Cor. 11. 23. Ps. 138. 12 Ps. 138. 12 Ps. 33. 6.

Memoria Christi renovata. Dies solennis est, *in qua mensa primò recolitur huius institutio.* Hoc primum est, quod mensæ Sapientiæ datur, & alteri nunquam concessum legimus. Legimus tam in sacris, quam in prophanis litteris multa celebrata esse convivia: sed quod in memoriam epuli epulum de novo fieret, nec vidimus, nec novimus. Quid speciale est in solenni Convivio Sapientiæ, ut dixerit ille, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*: hæc, inquam, hæc eadem quæ ego facio & vos facietis perpetuam mei memoriam solenniter agentes & recolentes. Recolimus quotannis nativitatem Christi, sed illa præterijt, sed & prætererunt cætera mysteria vitæ Christi, hoc tamen solum manet & manebit, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Invidiosa res est, quod pastores & Reges viderint Christum natum, res invidiosa, quod Apostoli viderint opera & miracula Verbi Dei, sed non est, cur invideamus Apostolis, quod fuerint in cænaculo, & in eodem cum Christo mensa siquidem hæc in Ecclesia perseverat, & quotidie dicit Christus, *Hoc est enim corpus meum*: quotidie ait, *Hic est enim Calix sanguinis mei*, quotidie in altari mysticæ mensæ primò potius quam secundo celebratur institutio.

Matt. 28. 20.

Celebrantur omnia Sacramenta in Eucharistia. Verumenimvero cum non solum Christus instituerit Sacramentum Eucharisticum, sed etiam cętera sex alia Sacramenta, cur hujus & non aliorum Sacramentorum institutionem recolit Ecclesia sancta? Ratio petenda est ex his, quæ docet S. Bernard. Senens cap. 3. de B. Virg. Sermon. 3. *Omnis institutio Sacramentorum ad Eucharistiam ordinatur*: & simul ex eo, quod S. Gregorius Nazianzenus Apolog. 1. *magnorum mysteriorum exemplar* esse adstruat Eucharistiam. Cum igitur omnia Sacramenta ordinentur ad venerabile Sacramentum, sub una eius celebritate cætera recoluntur: & cum sit exemplar omnium mysteriorum sub tanti mysterij solennitate reliqua celebrantur iuxta oraculum Davidis; *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* Sub una Sanctæ Mariæ festivitate sancti omnes honorantur, & sub uno S. Michaelis festo totus Chorus Angelorum colitur. Coluntur quoque & honorantur cętera Sacramenta cum Eucharistia, quæ una & sola instar omnium mysteriorum gratiæ est, sicut 2. Dissertatione ostendimus ac declaravimus. Assonat dictis S. Thom. 3. p. q. 73. a. 3. *Baptismus*, inquit, *est principium spiritualis vitæ, & ianua Sacramentorum, Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis: per sanctificationem enim omnium Sacramentorum fit præparatio ad recipiendam, vel conservandam Eucharistiam.*

Ps. 110. 5.

In hac mensa novi Regis
Nouum pascha novæ legis
Phase vetus terminat.

Rex è superis veniens. ESTÒ novum sit pascha, & nova lex sit, quomdo potest novus Rex esse, qui in tempore & æternitate ortus est ad regnandum & statim regnavit ille, qui dicit de se Psalm. 2 *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*; & cum quo loquitur David; *Regnum tuum regnum omnium sæculorum?* Nouum quid e superis est, de quo Ennod. libr. 2. Epist. 6. *Rectè hoc æstimatur venire de superis, quod inter homines nullo constat exemplo.* Nullo constat exemplo, quod talis sit Rex, ut ad eius cultum veniant

Ps. 144. 13

niant externi principes, & rogent, *ubi est qui natus est Rex Iudaeorum?* & dicat ipse de se, *Regnum meum non est de hoc mundo*; dicatque de ipso Pręses, qui illum addixit morti, *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum*, Rite ac recte nouus cēsetur è superis descendisse, qui talis habetur, etiam in sacra Eucharistia, in qua sine exemplo est, sine exemplo se immolat, & sacrificat, sine exemplo se dat, ac tradit communicandum. Matt. 2. Ioa. 18. 36 Ioa. 19. 19

Nouum pascha novae legis. Pascha denotat, & declarat transitum Domini, in quo interfecti sunt primogeniti Ægyptiorum, nouum autem pascha est, in quo Deus *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Erat & pascha immolatio agni paschalis, & ipse Dei agnus seipsum offerendo, & conferendo seipsum manducandum, nouum suum pascha condidit & constituit, nova lege amoris, de qua Ioannes cap. 13. *Ante diem festum paschae sciens Iesus, quia venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Amare est velle bonum, & qui in finem amavit suos & dilexit, quod sibi charis bonum voluit, nisi illud summum atque supremum, de quo Zach. inquit, cap 9. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* *Res noua Christum sic mori.* Rom. 8. 32.

Phase vetus terminat. Terminus Synagogae erat phase, sicut & terminus Ecclesiae sacra Eucharistia est. Magna solent esse de terminis civitatum atque regnorum litigia, & cum ageret Christus de pręfigendis terminis Eucharistiae tumultuabantur, & *litigabant Iudaei dicentes; Quomodo potest is dare nobis suam carnem ad manducandum?* Extinxit Christus lites omnes, dignus qui propterea laudetur & commendetur, *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, &c. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Ubi phase agni paschalis erat, ibi erat & Synagoga, quae immolato agno terminabatur. Ubi sacra Eucharistia est, ibi & Ecclesia reperitur. Hinc efficitur, ut cum dixerit Christus, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, idem sit futurus finis sęculi & Eucharistiae, atque idem ipse sit futurus terminus Ecclesiae. *Euchari- stia termi nus Eccle- siae.* Ioa. 6. 53. Ps. 147. 1. Matt. 28. 20.

Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas
Noctem lux eliminat.

CUi bono tanta novitas? *In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo iure, quod diu aequum visum est. Vlpian. l. 2. ff. de constitut. Princip.* Evidens utilitas erat, ut loco veterum sacrificiorum, quę peccata non tollebant, esset aliud, quod tantae virtutis esset, ut delictorum veniam impetraret, & illam conferret. Ea propter consecrans Christus calicem ait, *Hic est enim Calix sanguinis mei novi & aeterni testamenti mysterium.* Haec nova oblatio exigit, ut nova sint omnia verba, voces & opera eorum, qui accedunt ad altare ut celebrent, vel communicent. Fugat novitas vetustatem veteris hominis, quam non exverat ille, sed retinebat, cui dictum legimus, *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* *Novitas utilis.* Matt. 22. 12.

Vmbram fugat veritas. Nullum corpus sine umbra, quę illud ubicumque fuerit, comitatur, & sequitur, quocumque perrexerit, quomodo igitur potest *Corpus Christi umbram tollit.*

test fieri, ut veritas corporis Christi expellat omnem umbram? Scio veteres Ægyptiorum Reges ita pyramides suas, quæ inter septem miracula mundi numerantur, fabricasse, ut ferè nullam facerent umbram, sed illam omninò vitasse minimè potuerunt. Nec Christus vitavit, dum apud nos vixit. Legalem non naturalem umbram verus Eucharistiæ panis fugat, ita tamen, ut cum ante se veritatem habeat Eucharistia, a tergo teneat adhuc umbram legis antiquę, quæ pręcessit. Habet post se antiquum manna, habet agnum, petram, & cętera id genus, in quibus olim adumbrabatur. Hoc ipsum accidit homini, qui ambulat coram luce, in eius præsentia non apparet umbra, sed disparet, a tergo tamen manet emortua effigies & figura hominis.

Aurora Eucharistia. *Noctem lux eliminat.* Eliminat aurora noctem & Eucharistia mystica aurora est. Aurora quid nisi aurea hora? Aurea hora est, cuius meminit Ioannes cap. 13. *Ante diem festum paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius, ut transeat*
Ioa. 13. 1. *ex hoc mundo ad Patrem.* Hæc ipsa hora est, in qua seipsum consecravit in pane & vino, in quibus inveniuntur duo formosi colores pertinentes ad ornatum atque decorem auroræ. Aurora albescit & rubet, & Eucharistia albescit in hostia, rubet in Calice. Uterque color quam sit gratus, ac ac-
Cant. 5. 10 ceptus sponsæ, declarat ipsa in Canticis; *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Amant homines candorem in argento, ruborem in auro, amēt & Christum, qui & candidus & rubicundus est, ament & Eucharistiam, pulchram auroram, quæ albescit & rubet umbrosæ ac tenebrosæ noctis expultrix.
Cant. 6. 9 Aurora semper ascendit, semper assurgit, *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Multi conati sunt illam violentia, & potentia deprimere, conatu tamen irrito. Noverint auroram esse, quę deijci nequit, nata & fa-
Ps. 73. 16. bricata, ut semper ascendat & assurgat. *Tu fabricasti auroram, & solem.* Sol quidem ascendit, & descendit, aurora vero semper surgit & scandit. Sol justitiæ Christus in occasu suo summittitur, & humiliatur: Eucharistica tamen aurora tunc temporis erigitur, & exaltatur, tantum abest, ut deprimatur.

Quod in cœna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.

Gloria Eucharistiæ. Isai. 42. 8. CUm Deus sit zelator honoris sui, ac dixerit, *Gloriam meam alteri non dabo,* quare tantum mysterium, quod ipse gloriose gessit, fieri ab alijs voluit. Non est gloria super gloriam Eucharisticam, proinde Sacerdos, cum eam ultimo elevat dicit; *Per ipsum & cum ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor, & gloria.* Hęc excellentia sanctæ Ecclesiæ est, ut quam Deus nec volebat, nec audebat committere Synagogæ, audacter ac confidenter Ecclesiæ, & eius ministris concredat. Quam ego causam puto esse, cur dicat in sacro mysterio Sacerdos, *Agimus tibi gratias propter magnam gloriam tuam,* quam nobis tradidisti & commisisti.

Clarescit Sapientia in Sacramento. *Faciendum hoc expressit.* Semper expresse Christus egit de venerabili Sacramento. Cum illud euulgavit ac promulgavit, inquit, *Caro mea vere est*
Ioa. 6. 56 *cibus, & sanguis meus vere est potus.* Quid expressius, quid manifestius? Cum insti-

instituit,ac condidit Eucharisticum mysterium,ait,*Hoc est enim corpus meũ*, &,*Hic est enim Calix sanguinis mei*, quid clarius, quid lucidius? Faciendum id ipsum expressit dicens,*Hæc quotiescumque feceritis,in mei memoriam facietis* Ostendit Sapientia Patris, qualis in suo est Sacramento, *Clara est & quæ nunquam marcescit Sapientia*,nec eius memoria,cum sit perpetua,deficiet. Sap.6.13.

In sui memoriam voluit sacrari Eucharistiam. Habemus species rerum, quæ præterierunt,in memoriæ sanctuario,&quidem in ipsis speciebus res ipsæ perseverant,quarum recordari solemus. Quid simile videmus in mysterio altaris, ubi species sunt Sacramentales, & sub speciebus Christus, qui sui memoriam esse Eucharistiam voluit,& sancivit. Similitudo causa amoris est,& ut similes efficeremur vivę suæ memoriæ, Christus ad formam & similitudinem humanæ nostrę memoriæ videtur Sacramentum sic in monumentum sui fabricasse,ac reliquisse. *Species rerum iuvant memoriã.*

Docti sacris institutis
Panem vinum in salutis
Consecramus hostiam.

QUorum est iste sermo,numquid solum Sacerdotum? immo & omnium Fidelium,ad quos scribens Apostolus ait;*Vos autem genus electum,regale Sacerdotium.* Non enim solum suo nomine dicit Sacerdos in Consecratione Calicis;*Offerimus tibi calicem*,sed etiam ratione habita circumstantium,unde & consequenter dicit postea; *Memento Domine famulorum,famularumque tuarum,& omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio,pro quibus tibi offerimus : vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*.Cum Sacerdote omnes offerunt,omnes suo modo & more se habent,ut & dicere possint,*Consecramus hostiam.* Cui autem bono hæc ab omnibus oblatio & consecratio fiat,explicat statim Sacerdos,pro *spe salutis & incolumitatis suæ*. *Sacrificiũ Commune* 1.Pet.2.9.

Docti sacris institutis loco pręmij & remunerationis salus animæ est sacra Eucharistia: Nec quidem unquam ita felices, ita fortunati extiterunt,ut salvi sic esse possent. Verum quidem est,quod Alexander Pindari vatis familiæ,penatibusque jussit parci, cum Thebas caperet. Addit Plinius lib.17.cap.29.Lacedæmonios ab una ejus domo iam ante abstinuisse inscriptum hunc versum conspicatos. *Pindari poetæ tectum ne comburite.* Qui certior, eò maior salus est,quæ doctis conceditur virtute venerabilis Sacramenti,post cuius susceptionem petunt ex directione Ecclesiæ consecrantes, *Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius,ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.* Et iterum, *Da nobis quæsumus Domine vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui B. Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare.* Consecrata hostia panis & vini habet tantam vim atque virtutem,ut inter flammas & ignes illæsam &intactam servet salutem humanam. *Salus animæ Eucharistia.*

Consecramus hostiam,cur non potius victimam? Cum ibatur olim ad hostem,hostia immolabatur,cum debellatus ac superatus fuisset, victima libabatur,& cum Christus iam devicerit hostem,non tam hostia, quam victima oblata & consecrata videretur nominanda. Christus ibat in hostem & hostiã obtulit,voluitque, ut nos similes sibi essemus, dixitq; propterea; *Hostia potius quam victima.*

Hac

Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis. Novit Christus quod etiã post victoriam corpus suum, quod est Ecclesia, impetendum esset ab hostibus, & idcirco pręscripsit, ut in formam hostiæ offerretur Eucharistia, quam in suis conflictibus imploraret, & supplex clamaret Ecclesia; *O salutaris hostia, quæ cæli pandis ostium, bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium.*

Dogma datur Christianis
Quod in carnem transit panis
Et vinum in sanguinem.

CUr sacrum de Eucharistia dogma solis Christianis datur, & non etiam ethnicis atque gentilibus? *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* More pecudum gentes viventes, non sunt capaces pro sacris hisce mysterijs, de quibus ait Christus cap. 6. Ioannis, *Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt.* Soli Christiani capaces habentur & sunt, quibus sacrum baptisma ianua est ad Eucharistiam, nec ianua sine aqua, qua animæ purgantur & emundantur, cum mundis, & puris tantum detur accessus ad mysterium hoc sacrosanctum.

1. Cor. 2. 14.

Mysteriũ fidei omnibus datum

Dogma datur Christianis; quibus Christianis? Numquid solum eruditis & sapientibus? Numquid viris & non pueris? Numquid masculis, & non fæminis? Dogma datur omnibus Christianis cuiuscumque conditionis, fortis, & sexus existant, *quod in carnem transit panis & vinum in sanguinem.* Satis hoc mirabile est, quod tam alta, tamque sublimia mysteria credenda proponantur, & iniungantur rudibus etiam & ignorantibus, cum scriptum sit, *Altiora te ne quæsieris.* Dogma datur Christianis non inquirendum, nam si disquirendum esset, solis doctis & eruditis committeretur. Ne autem rudes & idiotæ cogitarent non sic altum & sublime esse, quod suæ ruditati, ac parvitati tradebatur, necesse fuit, ut magnis & parvis, doctis & indoctis eadem omnino fides conveniret.

Ecc. 3. 22

Supplemẽtum gratia.

Ps. 18. 8.

Capacitatis defectum supplet gratia, quæ comes est cælestis mandati; *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium fidele, sapientiam præstans paruulis.* Lex naturæ paruulos natos docet ut statim ab ortu suo recurrant ad ubera matris, ex quibus suum hauriant nutrimentum. Lex vero gratię sapientiam pręstat paruulis renatis ex aqua & Spiritu sancto, sanctis & immaculatis, ut sciant quod, & quale sit alimentum, quod ubere de cælo pleno offert, & confert mater Ecclesia fidelibus Christianis.

Quod non capis, quod non vides
Animosa firmat fides
Præter rerum ordinem.

Videtur & non videtur Christus.

Ps. 33. 9.

AUdio Davidem canentem, audio modulantem, *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus*, cui non videtur assonare Ecclesia, dum cantat, *Quod non capis, quod non vides animosa firmat fides.* Consonant David, & Ecclesia, cum hęc negat, ille affirmat. Negat Ecclesia captu, & obtutu humano posse percipi tantum mysterium, quod solo fidei lumine potest cognosci ac penetrari. Lumine autem fidei ita capitur, ita perspicitur,

citur, ut dixerit affirmando David, *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus*. Humanus gustus ex se angustus est, fit autem augustus virtute fidei, *Dilata os tuum, & implebo illud*. Visus humanus non penetrat arcanum tanti, tamque divini Sacramenti, fides autem tanti luminis est, ut per redundātiam illuminet oculos corporales ad Christum in altari contemplandum. Quò pertinet illud Deuteron. cap. 33. *Habitabit Israel confidenter, & solus oculus Iacob in terra frumenti & vini, calique caligabunt rore. Beatus es tu Israel, quis similis tui popule, qui salvaris in Domino?* Res piè ac religiosè invidiosa, quam scribit de se & cæteris Apostolis S. Ioannes. *Quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifestata est, & vidimus & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, & apparuit nobis: quod vidimus & audivimus annunciamus vobis, ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum filio eius Iesu Christo.* Hæc satis invidiosa est, sed jam cessat invidia, ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum manducas, factus unus de Societate Apostolica. Hanc apud nos fundavit S. Patriarcha Ignatius, & ipse tanta fide extitit preditus, ut non solum oculis mentis sed etiam corporis Christum in sacra hostia viderit, & perspexerit. Ps. 80. 11. 1. Ioa. 1. 1.

Animosa firmat fides. Cum præcinat David, *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit*, cur timidos exigit pro Eucharistia convivas, non animosos? In cuius rei confirmationem iterum canit: *Memoriam fecit mirabiliū suorum misericors, & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* Hanc habet virtutem fides, ut reddat animosos homines, monetque propterea D. Petrus, *Fratres sobrij estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus &c. circuit quem devoret, cui resistite fortes in fide*: & S. Paulus agens de magnis illis ducibus, qui bella Dei egerunt, & viderunt, inquit, *Fide fortes facti sunt in bello castra verterunt exterorum.* Sic animosa fides addit animos, ut firmiter credant ea, quæ superant captum & ingenium mortalium. Ps. 127. 1. *Cum timore communicandum.* Ps. 110. 4. 1. Pet. 5. 8.

Præter rerum ordinem. Quamvis præter rerum ordinem sit, quod fit in sacra Eucharistia, nihil in ea est, quod benè dispositum atque ordinatum non sit. *Quæ a Deo sunt, ordinata sunt*, ut scribit Apostolus agens de principibus, dominis & cæteris & superioribus, qui constituuntur a Deo in statu honorum, ac dignitatum, cum tamen ex se ad dominatum & regimen non ita apti atque habiles esse censeri possent. Nemo censeret habiles ad principatum Ecclesię viles & humiles piscatores, & tamen virtute divina ordinati sunt, ut totum mundum regant, & gubernent. Sic etiam communis panis, sic & commune vinum præter communem seriem, & ordinem rerum transeunt in corpus & sanguinē Christi. *Ordo Eucharisticus.* Rom. 13. 1.

Sub diversis speciebus
Signis tantum, & non rebus
Latent res eximiæ.

Qui se exposuit in passione, cur ita latere voluit in consecratione? Quin potius ideo latere voluit in mensa, quoniam in passione & Cruce traditurus se palam erat, ut ageretur de se pro arbitrio & voluntate crudelium inimicorum: & oportebat, ut in gratiam amicorum seipsum aliter traderet, sicut & fecit in Eucharistia, *Dominus quidem Iesus,* *Communicat se Christus amicis.* 1. Cor. 11. 23.

in

in qua nocte tradebatur, accepit panem, ut se prius suis familiaribus, quam hostibus traderet. Quod autem hoc Sacramentum institutum pro amicis sit, monet Apostolus, cum subiungit; *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Unde cum Sapientia Patris indigno dixit convivę, *Amice, quomodo*
Mat. 22. 12. *huc intrasti non habens vestem nuptialem*, amicum appellavit, ut sciret qualis esse debuisset, priusquam ingrederetur ad nuptias, quarum participes esse solum familiares suos esse voluit. Præterea latere voluit, ut spontaneæ ac
Isai. 53. 9. voluntariæ suæ passionis certum testimonium daret. *Oblatus est, quia ipse voluit*: nisi enim pati voluisset, sicut sacramentaliter se abscondit, abscondere se corporaliter potuisset, ne torqueretur, nec crucifigeretur. Voluit
Ps. 53. 8. pati, voluit mori qui dicit; *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, & super inimicos meos despexit oculus meus.* Sponte sua sacrificatur in Cruce, qui voluntariè seipsum sacrificat in Eucharistia, in qua latens immunis fit ab omni tribulatione, despicit inimicos tortores, & occisores.

Signa cælestia. Latet *sub signis tantum, & non rebus.* Habet cælum signa mensium & annorum, quorum virtutibus astronomi adscribunt, quæ in mundo fiunt, ideoque superstitiosa vetustas signorum astra coluit tamquam numina prędita divinitate. Signa sacrosancti panis & vini indicant non solum finita ac definita tempora, sed etiam regni Dei æternitatem: qui enim dicit, *Ec-*
Matt. 28. 20. *ce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: idem ipse ait, *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Sub his Sacramentalibus signis miranda
Ps. 110. 4. patrantur, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* Hæc signa divina sunt, sub quibus latet divinitas, & humanitas Salvatoris Dei colenda & adoranda, quemadmodum definit Ecclesia, & monet, *Tantum ergo Sacaamentum veneremur cernui*; Sacramētum autem non solum ex Christi corpore, & sanguine, sed etiam ex signis Sacramentalibus conditur & componitur.

Res selectæ pro sacrificio. Sub his *latent res eximiæ.* Res eximiæ omnium optimæ pro victimis & hostijs seligebantur. Si Christus in statu suæ divinitatis consideretur, summè bonus est, *Nemo bonus, nisi solus Deus*: si sumatur in œconomia suæ in-
Luc. 18. 19. carnationis seipso apparet melior, cum dixerit ipse; *Magis cum essem bonus veni ad corpus incoinquinatum.* Tunc optimus, cum hoc ipsum sacrum cor-
Sap. 8. 20. pus edendum, & comedendum nobis tradit, *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Non dilexit *in finem*, cum solum esset Deus, nec cum esset Deus & homo, sed cum omnem suam bonitatem in sacra mensa deposuit; *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum e-*
Zach. 9. 17. *lectorum, & vinum germinans virgines?* Bonus ab æterno Deus, in tempore seipso quodammodo melior, optimus vero in altaris Sacramento.

Caro cibus, sanguis potus,
Manet Christus tamen totus
Sub utraque specie.

Sacrificij ratio. CUm sub singulis speciebus Christus contineatur, quid opus erat panem simul & vinum consecrari? Consecratus panis per se sufficit ut vitam donet, cum Christus dicat, *Non sicut manducaverunt patres*
Ioa. 6. 59 *vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Scio non

non solum ex cibo, sed etiam ex potu constare omne convivium, sed cum in carne Christi sit eius pretiosus sanguis, ibi & potus est, ac proinde satis bene erit convivis, si sancto eius corpore reficiantur. Satis quidem est, & satis habent, qui sub una specie communicant, non tamen hoc sufficit ad rationem sacrificij, pro quo necessaria est realis vel mystica divisio corporis & cruoris realis in passione, mystica in consecratione, in qua caro cibus, sanguis potus est omnibus Sacerdotibus.

Caro cibus, sanguis potus. Elegit Christus panem, ut caro cibus fieret, elegit vinum, ut sanguis fieret potus; non itaque voluit, ut caro esset sub accidentibus carnis, nec sanguis sub sanguinis formis. Caro nostra secundum se mala non est, nec sanguis per se pravus est, sed utraque pars secundum accidentia passionum, & affectionum corrupta ac depravata est. Præbuit igitur nobis carnem, sed non sub accidentibus carnis, ut in carne degentes non carnem, sed potius panem sapiamus, similes Ignatio Martyri dicenti de se: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Pertinebat ad illum fructum, de quo Christus, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Erat & Laurentius caro in craticula, sed & simul in furno & fornace panis, cum diceret Datiano, *Assatum est, versa, & manduca.* Communicavit quoque suum sanguinem Christus, sed non sub sanguinis formis, ut non sanguinem redoleremus, sed essemus, qualis esse cupiebat David, cum oraret; *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ.* Qualis in voto David, talis reipsa Petrus, cui Christus, *Beatus es Simon bariona, quia caro & sanguis non revelabit te, sed Pater meus, qui in cælis est.*

Caro sagit panem — Io.12.24 — Ps. 50.16. — Mat.16.17

Manet Christus tamen totus sub utraque specie. Eadem anima est, quæ est in carne & sanguine hominis, & idem Christus est, qui manet totus sub speciebus panis & vini. Totus sicut & anima in suis partibus manet, ne quicquam plane est, quod sibi reservet & non tribuat Eucharistiæ. Totus in Cruce fuit, sed post mortem non totus in anima, nec totus in corpore fuit, nec tunc esset totus sub utraque specie panis & vini, in quibus ea omnino ratione qua Christus reipsa est, repræsentatur. Nunc Christus totus manet in remissionem peccatorum, non in vindictam & ultionem iniuriarum, quas in cruce patiens tulit. Totus est in indulgendo, qui est *multus ad ignoscendum.*

Anima est forma Eucharistiæ. — Isai.55.7.

A sumente non concisus
Non confractus, non divisus
Integer accipitur.

CHristus concisus & non concisus, confractus & non confractus, integer & non integer acceptus, non minus altum, quam verum paradoxon est. *A sumente non concisus,* & idem ipse concisus in sacra passione est. Frendebant dentibus in eum Iudæi, quorum *dentes*, ut ait David, *arma & sagittæ* erant. Concidebatur, dum verberaretur, spinis & sentibus compungeretur, & clavis in cruce affigeretur. *A sumente non concisus*: etiamsi Christus qualis fuerit in passione, ad vivum exprimatur & repræsentetur. Et licet indignè sumens tortoribus Christi existat similis, ut pote *reus corporis & sanguinis Domini,* non concidit Christum, dum illum sumit.

Sacrum Eucharistia paradoxon. — Ps. 65.5. — 1.Cor.11.27.

Non confractus, non divisus in sacra communione, qui fractus & divisus est in sancta passione, cuius viva imago & effigies est Eucharistia. *Non fregerunt eius crura* Iudæi, cum scriptum esset; *Os non comminuetis ex eo.* Hoc quidem mirum est, quod cum ita sævirent Hebræi in Verbum Dei incarnatum, verbo scripto non contravenissent. Contravenirent quidem & crura & ossa Christi fregissent, nisi Christus prius obijsset: prius autem obijt, non ut dolores effugeret, sed ut intacta & illæsa sacra scriptura servaretur. Non est confractus ossibus, sed carne per verborum, spinarum, clavorumque penetrationem. Quô pertinet oraculum Isai. cap. 22. *In die illa dicit Dominus exercituum: Auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, & frangetur & cadet, & peribit, quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.* Et quidē cū Christus *fregit panem* in cæna, futuræ per passionē fractionis, & divisionis mysterium declaravit, in quo non confractus ipse sumeretur.

Ioa. 19. 33
Exo. 12. 46.

Integer accipitur, qui tamen in morte, cuius vivam agimus & recolimus memoriam, integer non mansit. Remansit corpus in Cruce, anima verô descendit in sinum Abrahæ, nec tamen nunc propterea corpus sine anima, nec anima sine corpore sumitur, sed integer Christus accipitur, & cū per partes sacra hostia absumitur & deglutitur, singulis vicibus idem ipse integer editur, & comeditur. Quod voluit & non potuit obtinere perfidia Iudæorum, consequitur fides & religio Christianorum. Dixerunt perfidi Hebræi cap. 1. Proverb. *Deglutiamus eum sicut infernus viventem, & integrū quasi descendentem in lacum.* Non eô malitia pervenit, quô pervenit bonitas Dei, ut dignus communicator integrum accipiat Christum, sicut & illum non infernus & lacus, sed cęlum mirabiliter accendentem viuum & integrum excepit, ubi omnibus & singulis unus & idem Christus datur & communicatur. Quisquis autem indignè accedit ad mensam & altare, damnationis æternę reus de numero plane fit, & est eorum, qui ore sacrilego effutierunt, *Deglutiamus eum sicut infernus viventem, & integrum quasi descendentem in lacum.*

Sumit unus, sumunt mille,
Quantum isti, tantum ille,
Nec sumptus consumitur.

Sacrum Eucharistia paradoxon.

SAcrum quoque paradoxon, & satis mirabile hoc est, ut unum vasculū capiat tantum, quantū capiunt mille & plura vasa, numero quidē discrepantia, singula tamen ejusdē capacitatis & magnitudinis. Est etiā & mysticum paradoxon quod Christus a millenis, & millenis sumatur & non consumatur. Hoc autem miraculum incipit in sacra hostia, & perficitur in anima. Tamquam in sacro vase & calice constituitur Christus sub accidentibus, & in una hostia tantum est, quātum est in hostijs mille, & cū in una Christus sumitur, etiam in mille alijs non consumitur, cū alibi consecretur, & si non consecretur, consumi nequit, cū maneat semper in cęlo. Quo pertinet illud præclarū testimonium, quod per modū sacri paradoxi dedit de altaris sacrificio, & simul Sacramento S. Andreas Apostolus apud iudicem, & proconsulem Ægeam, *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari: cuius carnem, posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat & viuus.*

Est

Eſt & appoſitum huic eidem inſtituto, quod eſt apud Abulens. in fine tom. vltim.in Matth. Affert quinque paradoxa, quæ miſit ac propoſuit enodanda Maria Caſtellæ Regina. Hoc eſt primum. *Fuit quoddam vas clauſum,& non clauſum,paruum& non paruum,luminoſum& non luminoſum, vacuum & non vacuum. Præterea vas mundum, & non mundum.* Hæc omnia conveniunt imprimis Beatæ Virgini, quæ eſt vas admirabile, vas insigne devotionis. *Fuit vas clauſum* viro, *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* Deo autem *clauſum* non fuit; *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Vas *paruum*, cum eſſet paruula, placuit Altiſſimo: nec tamen paruum vas, ſiquidem in ſe cepit, quem cæli capere non poterant. Vas *luminoſum & non luminoſum*, cum dicat de ſe, *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem:* & ſit ipſa, *quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol.* Vas *vacuum & non vacuum*, vacuum ſemine viri, non vacuum viro, *Fæmina circumdabit virum.* Vas *mundum & non mundum*: Mater Dei vas mundum eſt, non ita mundum eſt, cum pro ſua materna pietate dignatur nominari & ſimul eſſe mater etiam peccatorum. Vas quoque fuit mundum, & non mundum, ſed non immundum in ſua immaculata conceptione. Quæ libera fuit ab omni crimine, extitit munda, non immunda: quoniã vero cadere in peccatum originale potuit, ex hac parte fuit ſimilis ſtellis cæli, quæ non ſunt liberę à caſu & ruina futura, *Stellæ cadent de cælo*: ideoque *ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius*: Convenit cum illis in periculo caſus, ſed non in ruina ſicut, oſtendimus in libro de Privilegijs Marianis, diſſentientes ab his, qui ut debitum Mariæ auferant, auferunt eam è numero creaturarum, quæ futuræ eſſent, ſi non peccaret Adamus, ita ut ſolum a Chriſto futuro eius exiſtentia penderet. Volunt, ut, Adamo non peccante, Virgo non vivat, ſed maneat in numero creaturarum poſſibilium, quæ debitum nullum contraxerunt. Mihi magis pretioſa eſt vita Mariæ, nec tanti ęſtimo carentiam debiti, quæ omni creaturæ poſſibili etiam vili, abjectæ, & contemptibili competit, ut propter eius privationem privatam vita perpetua & æterna Virginem, cui omnia debentur, velim. Quale vas admirabile Mariæ, talis & anima, quæ ſacram accipit Communionem.

Luc. 1. 34. Luc. 1. 38. Cant. 1. 4. Cant. 6. 9. Iob 25. 5. Matt. 24. 29.

Vas animæ communicantis, *clauſum & non clauſum.* Sacra communio prævenit omnem cibum, quæ & in ſilentio agitur, clauditur vas, ſed & ſimul aperitur. *Dilata os tuum, & implebo illud.* Vas *paruum & non paruum*, quod humili ore & corde ita magnum capit Dominum, quem mille & mille apprehendere poſſunt, non comprehendere. Vas *luminoſum & non luminoſum.* Ubi fides eſt, ibi obſcuritas eſt, *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*; ibi lumen eſt, cui benefacitis attendentes *tamquam lucernæ ardenti in caliginoſo loco.* Vas *vacuum, & non vacuum*, vacat ab omni culpa anima, mens *impletur gratia.* Vas *mundum & non mundum*; ut mundus ſit & non immundus, *probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*: & idem ipſe non mundum ſe reputet, ſed dicat, *Domine non ſum dignus*, qui & caſui & ruinæ eſt ita obnoxius.

Pſ. 80. 11. 1. Cor. 11. 28.

Sumunt boni, sunt mali,
Sorte tamen inæquali
Vita vel interitus.

Bonitas Christi in Eucharistia. QUæ est ista bonitas Dei ? Deus *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos*, nec tamen in communicatione solis & pluviæ ullum esse discrimen voluit, cur igitur cum boni & mali sumunt Eucharistiam, ita inter se differre placuit, ut bonis vita Matt. 5. 45. concederetur, morte mali afficerentur? Bonus Deus, qui *solem suum oriri facit super bonos & malos:* sed non omnibus prodest sol, cæcutientibus ac visu laborantibus nocet. Bonus Deus, qui *pluit super iustos & iniustos*, sed non omnibus proficit terris, cultis proficit, incultis officit. Bonus Deus & seipso melior, cum solem justitiæ mundo dedit, dedit & pluvias, cuius desiderio clamabant Patriarchæ & Vates; *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*, & tamen hic sol, & hæc pluvia cæle- Isai. 45. 8. stis nihil Herodi, nihil Iudæis profuit, profuit Magis & Gentibus. Et quidem tantum abfuit, ut bonus non esset Deus, quin potius esset nobis melior, sicut ipse testatur; *Magis cum essem bonus, veni ad corpus inco-* Sap. 8. 20. *inquinatum.*

Sumunt boni, sumunt mali, sacrum hoc corpus immaculatum & incoinquinatum, ut major eius bonitas innotescat. Non est avara sui, nec suæ excellentiæ bonitas, cuius eximia laus in communicatione sita, & collocata est, unde & lux statim in puncto creationis suæ ab ipso creatore commendata est, *Vidit lucem, quod esset bona.* Bona Eucharistia est, *Quid* Zach. 9. 17. *enim bonum eius, quid pulchrum eius, nisi frumentorum electorum* ? Quo major eius communicatio, eo major eius bonitas, *Sumunt boni, sumunt mali.* Et quidem si bonis solis exhiberetur, & non etiam pravis daretur, videretur Christus in gratiam bonorum, & non malorum passus & crucifixus esse, cum veneranda Eucharistia viva memoria mortis ac passionis eius bonis tantummodo concederetur; malis autem negaretur. Negatur nemini, singulis & omnibus datur & communicatur, *Sumunt boni, sumunt mali.*

Sorte tamen inæquali, vita vel interitus. Magnum est oraculum Christi, *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium* Ioa. 3. 14. *hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Extulit Moyses æneum serpentem, ut a venenatis serpentibus læsi & infecti exaltatum ejus simulacrum intuentes curarentur & sanarentur. Erat hæc imago Christi patientis & morientis, in quem passum, & simul consecratum apposite cadit paradoxon missum & propositum sapientissimo Abulensi per Mariam Castellæ Reginam loco iam allegato. *Fuit positus serpens, qui iacuit & non iacuit, qui movebatur & non movebatur, qui audiebat, & non audiebat, qui vidit & nunquam videt.* Fuit positus in Cruce Christus, *iacuit* in morte, *non iacuit* in Eucharistia, *movebatur* in passione, & *non movebatur* in consecratione. Audiebat malè & mala in homine & nomine, cum pateretur. sed *non audiebat* malè nec mala in Eucharistia. Vidit, dum vixit, vidit dolorem & infirmitatem, quam *nunquam videt* sub accidentibus panis & vini.

Quod

Quod si verum est assertum Theologorum multorum Christum corporis oculis non uti prout in Eucharistia, in ea quoque corporaliter *nunquam videt*, videt autem oculis sanctæ animæ, ac lumine suæ divinitatis. Mysticus itaque serpens in cruce suspicientibus & se colentibus vitam contulit, secus facientibus aliter contingit, cum miserè perierint. Hæc quoque dispar ratio, hæc sors & conditio est eorum, qui digni communicant, & participant de altari & mensa mystica.

Mors est malis, vita bonis,
Vide paris sumptionis
Quam sit dispar exitus.

QUis crederet tantam esse posse malitiam peccati, ut vitam tantam in mortem veteret? *Mors est malis.* Primus ille cibus, qui necem humano generi attulit, erat fructus arboris scientiæ boni & mali: at sacra Eucharistia est fructus sanctæ Crucis, quod lignum vitæ est, & cum ex arbore vitæ proveniat, & sit vitalis, ita malitia ascendit, ut vitam convertat in mortem, & excidium indignè communicantis. Non itaque sic grave primum illud fuit, quam hoc sacrilegium est. Differunt inter se sicut arbor scientiæ, & arbor vitæ, sicut fructus utriusque arboris discrepant. Habent sua incrementa culpæ, ut sub Adamo magna, sub Mose majora, sub Christo maxima censeri debeant. *Diversitas communicantium.*

Vide paris sumptionis, quam sit dispar exitus. Pendent ex una sumptione & pari actione mors & vita communicantis, cum sacra Communio in ipsa consistat manducatione: dixit enim Christus; *Qui manducat me & ipse vivet propter me:* & rursum. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quam sit vitale pro dignitate communicare, vel ex hoc perspici potest; ut statim in ipsa sumptione sine ulla temporis mora vitam tribuat Eucharistia. Sacramentum planè mirabile, in quo Christus, more suo, animas vita donat. Ad hanc prolationem: *Adolescens tibi dico, surge,* & ad hanc vocem, *Lazare veni foras,* uterque mortuus revixit. Vivit & qui communicat, unde & orat. *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.* Quam sit exitiale indignè accipere sacram Synaxin, patet ex ipsa sumptione, cum sine ullo intervallo anima moriatur. Dixerat Deus Adamo, *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Signatur pro morte dies, hic autem sumptionis hora, instans, & momentum assignatur, ut indignè comedens emoriatur. *Ioa. 6. 59.* *Luc. 7. 14.* *Ioan. 11. 34.* *Gen. 2. 17.*

Dispar exitus hic est, cujus disparitas non ita nunc cōparet, comparebit, cū boni & mali homines ex hoc mundo transmigrabunt. *Deus noster Deus salvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.* Ipse sibi; & suis exitum fecit post institutionem mirabilis Sacramenti, quatenus à Deo exiens ad Deum redijt, & transiens ex mundo migravit ad Patrem: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Miseri sunt, qui per abusum tanti mysterij evadunt similes Iudæ, qui à se deficiens & degenerans rapacis accipitris instar se gessit, exijt, & excessit. Accedit August. lib. 4. contra Manich. *Panis hominem alit, accipitrem necat.* *Ps. 67. 21.* *Apoc. 14. 13.*

Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, sed memento
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.

Consonantia fractionis panis cum passione Christi. SAcramentum non videtur subjacere posse fractioni, cum constet ex corpore & sanguine Christi, quæ nec minui nec frangi queunt. Quomodo autem ita dicatur, statim exponitur. *Signi tantum fit fractura.* Fracto igitur signo, ne vacilles, sed firmiter crede, tantum esse in singulis partibus sacræ hostiæ, quantum in tota illa erat, cum integra foret. Nec dubium quin hoc ipsum consonantiam habeat cum eo, quod fuit in passione Christi. Christus dum pateretur, lacerabatur & disrumpebatur, & semper integro animo, integris sensibus fuit, quæ mentis & cordis integritas recolitur tunc in hostia, cum illa dividitur, nec tamen Christus ullam divisionem patitur. Hanc animi integritatem præ se tulit Christus adhuc in cænaculo, cum in prævigilio passionis panem fregit pro certo argumento constantiæ tam præsentis, quam futuræ in Cruce, cui affixus stans & constans non minus animosè, quam gloriosè vitam absolvit.

Cum frangitur hostia, dividitur, & ejus divisio respondet sacro mysterio, quod in puncto mortis Christi patratum est. Cum moreretur, separata est a corpore anima, ita tamen, ut tota divinitas Verbi, quæ erat in toto composito, remaneret tam in corpore, quam in anima, sicut & nunc post præfatam hostiæ sectionem adest totus in singulis partibus Christus. Divinum hoc Sacramentum est, in quo ita respondent humanis divina, sic cum divinis humana conveniunt.

Martyrium resplendet in Eucharistia. Resplendebat mysterium sacrosanctæ hujus fractionis etiam in sanctis Martyribus, qui muniti sacra Eucharistia, dum cæderentur & lacerarentur, integri semper remanserunt. Resplendet quoque in his, qui fracti laboribus perfecto corde & animo in eorum tolerantia perstiterunt. Fractus laboribus & ærumnis Paulus erat, & tenax suæ constantiæ afferebat, *Quis nos separabit a charitate Christi?* Rom. 8. 35.

Nulla rei fit scissura
Signi tantum fit fractura,
Qua nec status nec statura
Signati minuitur.

Caro Christi similis chirotheca. PUngitur & scinditur Christus in circumcisione, rumpitur & frangitur in passione, cur non etiam in sacra hostia post consecrationem, ut magis ad vivum, qui passus est, & quod passus est, exprimeretur? Fuit in Christo caro qualis chirotheca in manu, ut hæc, & annulus qui in ea gestatur, melius & pulchrius appareant, scindi chirotheca solet. Caro quoque Christi puncta est, ut per eam anima, & spiritus divinitatis lucerent & effulgerent, nulla in eis facta diminutione. Hoc ipsum cernimus in ipso

ipso altaris mysterio, ubi scissa & fracta hostia, *nulla rei fit scissura, signi tantũ fit fractura*, Quod apparet exterius, instar chirotecæ est, quæ dum pungitur & scinditur, Christus ibidem latens integer & illæsus perseverans suam ostendit elegantiam, & ex se splendorem maiorem divinitatis emittit.

Qua nec status, nec statura signati minuitur. Circa statum id occurrit, quod à stando dictus sit. Numquid stat Christus in Eucharistia? Christus *recumbens cum fratribus* visus in cæna est, stans in Cruce, iacens in sepulchro, sedens ad dexteram Patris, cur igitur de statu, & non potius de discubitu mentio fit? Quamvis Christus recumbens in cæna, stans in Cruce, iacens in sepulchro, & sedens etiam a dextris Dei, repræsentetur in altari, & in eo totidem modis esse dici queat, convenientius stare affirmaverim, iuxta illud, *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Qui stat in Cruce, stat in hostia offerens se quotidie Patri in remissionem peccatorum. *Christus in altari stat.* Cant. 2.9

Circa staturam illud occurrit, quod cum arti pingendi liceat in parva tabula magnum efformare gigantem, cur non etiam in minima hostiæ particula corde & ore credamus eum esse, de quo David. *Exultavit ut gigas ad currendam viam?* Et quidem proceræ staturę vir magnitudinem sui corporis in speculo exiguo, & eius etiam minimis frustis repręsentatam videt, ergone quis ambigat posse a Deo fieri, & iam factum, quod non est sine exemplo artis, & naturæ. *Magnus gigas in parva tabula.* Ps. 18. 6.

Ecce panis Angelorum,
Factus cibus viatorum,
Vere panis filiorum,
Non mittendus canibus.

VArro in libello inscripto. *Nescis quid vesper serus vehat*, tradit numerum convivarum esse oportere a numero Gratiarum & progredi ad Musarum, id est, proficisci a tribus, & consistere in novem, ut cum paucissimi convivę sint, non pauciores sint, quam tres, cum plurimi, non plures quam novem. In mensa divinę Sapientiæ tres prius solum personæ & illæ divinæ fuerunt, accesserunt in tempore novem Chori Angelorum, quorum panis communis efficitur filijs, quid ni canibus?

Venit ad Christum mulier Chananæa, *& adoravit eum dicens. Domine adiuva me. Qui respõdens ait, Non est bonũ sumere panem filiorũ & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum: Tunc respondens Iesus ait. O mulier magna est fides tua, Fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.* Definita igitur res est, ut & canibus panem filiorum participare liceat, cum illum participaverint mater Chananæa & eius filia. Quomodo ergo contra decretum nunc dicitur, & sancitur. *Verè panis filiorum. Non mittendus canibus?* Sunt boni & mali canes, boni, *lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Hi lambunt vulnera & sanguinem Christi. Sunt & mali, qui rebus mundanis inhiant, *Famem patientur, ut canes, & circuibunt civitatem.* Hi nunquam saturantur, famem patiuntur semper indigni cælesti pabulo. *Canum differentia.* Ps. 67. 24. Ps. 58. 7.

Boni certè canes custodiunt domos, & comitantur dominos, & qui domos luteas, in quibus degunt & vivunt, servant & custodiunt: nec non vesti- *Boni canes.*

veſtigiis inhærent Chriſti, indubiè ſunt commendabiles, cum pertineant ad claſſem & menſam Angelorum, qui in cuſtodia animarum ſunt, & ſuo ſemper inhærent Domino: *Ecce panis Angelorum factus cibus viatorum.* Non ita felix fuit Junior Tobias, qui ſocium & comitem Angelum Raphaëlem habuit: nec enim Raphaël de inviſibili cibo quo paſcebatur & alebatur, quicquam Tobiæ dedit. Habebat ſanctus Patriarcha catulum aſſeclam & cuſtodem, quem de menſa ſua aluit, & cui Angelus favit. Mali quidem canes non ad Angelos, ſed ad dæmones pertinent, qui vel in ipſo cælo contra ſuum Dominum conſpirarunt.

Boni canes non rapiunt, non furantur cibum, ſperant & expectant de manu Domini nutriri ac ſuſtentari, *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorũ in tempore opportuno.* Hæc laudabilis cõditio humanorum canum eſt, juxta quam primi communicantes de manu Domini ſacram Euchariſtiam acceperunt, non illam rapuerunt. *Dominus quidem Ieſus, in qua nocte tradebatur accepit panem,* dixitque convivis ſuis; *Accipite & manducate ex hoc omnes:* omnes qui & filij Dei eſtis orantes, *Pater noſter qui es in cælis, &c. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Omnes Filij Dei erant præter unum Iudam, qui *fur erat, & loculos habebat*, imitator malorum canum, qui furtis & rapinis inhiant. *Verè panis filiorum, non mittendus canibus.*

Pſ. 144. 15

1. Cor. 11. 23.

Matt. 6. 9.

Ioa. 12. 6.

In figuris præſignatur,
Cum Iſaac immolatur,
Agnus paſcha deputatur,
Datur manna Patribus.

Muta Synagoga.

CUr in figuris Euchariſtia præſignatur? Agebat olim in ſuis ſacrificijs ad inſtar perſonæ mutæ Synagoga: cum enim ſacrificaret, nihil per verba operabatur. Diſſimilis planè Eccleſiæ, quæ omnia Sacramenta per verba conficit & perficit, ſacramque altaris hoſtiam ſermonibus conſecratorijs operatur & immolat. Hæc mutorum conditio eſt, ut per ſigna & nutus ſe declarent, cum verbis ſe nequeant exponere. Muta igitur Synagoga per formas & figuras præſignabat, qualis eſſet futurus verus Iſaacus, qui eſt Chriſtus. *Cum Iſaac immolatur:* Iſaac non cruento ſed incruento ſacrificio oblatum novimus, novimus & arietem poſt Iſaaci oblationem incruentam fuiſſe cruentam victimam; unde & prius Chriſtus *cum Iſaac immolatur* in cænaculo, qui & poſtea ſicut ovis in cruce occiſus eſt.

Sacrum paradoxõ.

Agnus Paſcha deputatur. Huic eidem Euchariſtico agno accommodat Abulenſ. paradoxõ, quod declarandum miſit ad ſe Maria Regina. *Fuit quidam agnus tonſus & non tonſus, agnus verberatus & non verberatus: agnus, qui clamabat & non clamabat: agnus, qui patiebatur & non patiebatur: agnus, qui mortuus eſt & non mortuus eſt.* Chriſtus tonſus in cruce, non tonſus in Euchariſtia, verberatus in paſſione, non verberatus in conſecratione: clamabat in horto & ligno, non clamabat in Sacramento: patiebatur in carne, non patiebatur in pane: mortuus eſt incarnatus, nõn eſt mortuus conſecratus.

Datur manna patribus, de quibus Chriſtus, *Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem vivet in æternum:* Su-

Supervivunt patribus antiquis filij, mortuis patribus nunquam morituri filij virtute sacræ Eucharistiæ, quæ patribus promissa est, sed data filijs, quorum meminit David Psal. 44. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram.* Quoniam verò hic panis est filiorum, dixit Christus Chananeæ. *Non est bonum sumere panem, & mittere panibus:* canitque propterea Ecclesia; *Verè panis filiorum, non mittendus canibus.* Cum Christus sit filius Dei naturalis, agit in hoc mysterio causam ejus, qui sibi similis divina adoptione est: *Sicut misit me,* inquit, *vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Matt. 15. 16. Ioa. 6. 58.

Bone Pastor, panis vere
Iesu nostri miserere,
Tu nos pasce, nos tuere
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.

Bonus hic pastor est, qui dicit de se: *Ego sum pastor bonus.* Unde hoc constat? *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis;* dedit & suam Christus in cruce, cujus veritatis & simul bonitatis pastoralis testimonium est sacrificium altaris iuxta præscriptum; *Hæc quotiescumq; feceritis, in mei memoriam facietis.* Hic ipse in altari immolatus & sacrificatus nunc invocatur, & imploratur, *Bone pastor panis vere, Iesu nostri miserere.* Accedit sacrificio Sacramentum, accedit communio, quæ postulatur, cum dicitur. *Testimonium boni pastoris.* Ioan. 10. 11.

Tu nos pasce, Elegit Deus Davidem, ut pasceret Israelem, qui ministerio suorum Angelorum cibaverat populum suum discurrentem per desertum ut autem sacra suos enutriret Eucharistia, præstitit ipse per se, & ipse per sacerdotes nos sustentat, ut & orare possimus; *Tu nos pasce.* Pascit ovem suam de eodem pane cum ipso comedentem, & de eodem calice secum potum sumentem, & post susceptum sacrum viaticum in sinu tam boni pastoris securè dormientem & requiescentem. *Pastus animarum.*

Nos tuere. Tu nos bona fac videre in terra viventium. Pauper ille, cujus meminit Nathan propheta in parabola proposita Davidi, potuit ita diligere ovem ut eam tamquam filiam pane suo & potu reficeret, non tamen potuit illam defendere, quominus veniret in potestatem ejus, qui illam interemit. Christus verò ita nos pascit, ut sacro muniat viatico, ne moriamur, sed transferamur in regionem vivorum, ubi æternum vivamus; *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Hoc ipsum est, quod postulamus, *Tu nos bona fac videre in terra viventium.* Videbimus ibi bona detecta, quæ nunc tecta sunt oculis nostris, & necdum visa homines reddunt beatos; *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Beati, qui non videntes, sed credentes dicunt, *Dominus meus, & Deus meus,* cum celebrant & communicant memores beatæ passionis, gloriç ac triumphantis resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, qui bono nostro posuit tenebras latibulum suum, & latere voluit sub formis accidentarijs panis & vini. *Patrocinium.* Ioa. 6. 60 Ioa. 20. 29

Tu

Tu qui cuncta scis & vales,
Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
Cohæredes & sodales
Fac sanctorum civium. Amen. Alleluia.

Apoc. 5. 5 SImilis Christus leoni, qui & *leo de tribu Iuda* nominatur, Et quidem talis est, qualis depingitur apud citatum Abulensem in paradoxo misso, & dato a Maria Castellæ Regina; *Fuit unus leo, qui videbatur & non videbatur, qui audiebatur & non audiebatur, qui tenebatur & non tenebatur, qui cognoscebatur, & erat incognitus.* Fremebat contra mortem Christus instar leonis; *Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.* Hic leo in cruce videbatur, non videbatur in mensa, audiebatur in horto, non audiebatur in hostia, tenebatur in apprehensione, non tenebatur in consecratione: cognoscebatur, dum crucifigeretur, & erat incognitus, dum consecraretur. Leo valet oculis, Christus mente, *Tu qui cuncta scis, & vales.* Habet hoc Leo ut 1. Cor. 13. 4. febri laboret, laboravit & Christus, qui *ex infirmitate* mortuus est, valuit tamen semper, valet & valebit in altaris Sacramento.

Qui nos pascis hic mortales, Tuos ibi commensales, Cohæredes & sodales fac sanctorum civium. Assimilatur Christus aquilæ, est enim iuxta Moysis oraculum, Deut. 32 11. *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos & super eos volitans.* Cadit in hanc celebre paradoxon, quod ultimo loco dedit Regina Castellæ Maria, & memorat Abulensis; *Fuit aquila quæ volavit & non volavit, venit* Sacrum paradoxū. *ad locum, a quo nunquam recessit, quæ quievit, & non quievit, quæ renovabatur, & nunquam renovabatur, quæ gaudebat & non gaudebat, quæ honorabatur, & non honorabatur.* Volavit cum Christus descendit in terras, & non volavit, quia mansit in sinu Patris: quievit in Cruce & sepulchro, sed non quievit mortuus & sepultus in Eucharistia: renovabatur dum resurgeret, sed nunquã renovabatur in Sacramento, ubi nunquam nec necari, nec suscitari poterat: gaudebat in consecratione, non gaudebat in passione, honorabatur in mensa, non honorabatur in Cruce. Hęc aquila avolavit in cęlum, quæ & mansit, ut nos de se alat, & pascat, secumque nos in cælum evehat, ubi & eius simus commensales, cohæredes, & sodales sanctorum civium.

Alleluia. Desinit in Alleluia Hymnus Convivalis sacrę Eucharistiæ. Decantata laus Dei *alleluia* est, & idcirco David, toties in suis Psalmis, ubi Deum laudat, & celebrat, pro eorum titulis, & inscriptionibus *Alleluia* Ps. 150. posuit, & in ultimo Psalmo, *Laudate Dominum in sanctis eius* cæpit & desijt *in alleluia, Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.* Ad exemplum tanti Vatis composuit convivalem suum Hymnum Ecclesia, & simul conclusit. Ad utriusque imitationem dicat nouus, dicat Christianus David; *Eructabunt labia mea hymnum cum docueris me iustificationes tuas.* Ambros. in commentar. Ps. 118. 172. *Eructat hymnum qui potest dicere, Bonus enim odor Christi sumus Deo. Et bene eructat, qui plurima & suavia præcepta Domini gustaverit. Eructat hymnum, qui* Hymnus Eucharisticus. *eructaverit Verbum Dei. Denique David ante eructavit & verbum bonum, hic eructat hymnum. Bonum enim panem gustavit, qui de cælo descendit. Bonum panem, quem si quis manducaverit, non morietur in æternum.* Claudit denique suum commentarium, *Qui cantat Dei gloriam, hymnũ Domino cor eius eructat.*

Dixe-

Dixerat Christus, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, & hęc sacra memoria, quæ infixa cordibus omnium Eucharistici Hymni compositi in laudem & gloriam Dei prodierunt. Quapropter aptari commodè possunt huic eidem instituto verba Philon. lib. de Plantat. Noë: *Ne totus quidem mundus ad templum & honorem Dei suffecerit, sed præstat eam laudibus, hymnisque colere, non decantatis voce sonora, & tinnula, verum modulatis in animo puro, quem solus Deus aspicit. Fertur certe antiqua fabula a sapientibus viris ad posteros per manus tradita, quæ ad nostras quoque avidissimas descendi aures pervenit. Est autem talis. Olim cum totum mundum Opifex absolveret, quendam e prophetis rogavit, Numquid desideraret nondum creatum sive in terra & aqua, sive in sublimi aere, sive in cæli extremo ambitu. Respondit ille esse quidem perfecta, & plena ubique omnia, unum tamen se requirere laudatorem horum sermonem, qui in rebus omnibus vel quod minimum obscurissimumque videtur, non tam laudet, quam enarret. Ipsam enim enarrationem operum Dei laudem esse sufficientissimam, nullo egentem auctario, quando ipsa infucata veritas sit pro laude cumulatissima. Hoc responsum patri universorum placuisse fertur, nec multò post exortum genus canorum & musicam ex una divinarum potentiarum, virgine memoria, quam Mnemosynem quidam vocant detorto nomine.*

Te decet hymnus Deus in Sion.

Quàm deceat hymnus Deum incarnatum & consecratum, vel ex hoc intelligi potest, quod sacrum eius corpus habeat mirabilem cum musico concentu, & hymno consonantiam. Hoc quidem ipsum præcinit David Psalm. 39. quemadmodum exposuit Eusebius Cæsariens. lib. 1. de Demonstrat. Evangel. cap. 10. *Hoc*, inquit, *prophetarum præcipuus David, qui quod futurum erat, spiritu suo divino præviderat, vaticinatus est, ubi ait, Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi, & exaudivit precem meam, & sustulit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro. Quod porro sit hoc nouum canticum, declarat deinceps, ubi ait: Sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi, &c. Sic planè docens pro antiquis sacrificiis & holocaustis Christi adventum per assumptionem humani corporis, eiusque corpus perfectũ Deo oblatum esse, ipsumque hoc Ecclesiæ suæ nunciat cum gaudiis tanquam ingens mysterium, quod prophetica voce in capite libri propositum, expressumque sit. Quum ergo huius sacrificij memoriam signis quibusdam in mensa celebrandam, corporisque item illius, salutarisque sanguinis, ut novi Testamenti institutum habet, acceperimus, rursus a Propheta David instruimur ad dicendum: Parasti in conspectu meo mensam, &c.* Quod si Galeno postquam per viginti libros disseruisset de harmonia corporis humani, dicere licuit, *Videor mihi dixisse hymnum in laudem Dei*, melius id nobis videri potest, qui egimus de sancto corpore Christi, in quo tanta concordia est, & consonantia cum musica, ut quos hæc habet effectus, eosdem producat & habeat Eucharistia. Assumptum, si placet, probemus & confirmemus.

CON-

CONSONANTIÆ

Eucharistiæ, & musicæ, quot, & quales?

Vtraque cælestis. MUsica cælestis est, siquidem ut refert Maxim, Dissertat. 21. ex testimonio Pythagoræ *cælum modulationem edit. Non quod ut lyra pulsetur, aut infletur ut tibia, sed quod circuitu suo divina illa, musicaque quæ in eo sunt corpora, congruo aptoque cælestem quã dam excitent armoniam. Cujus quidem elegantiam Dij sentiunt, nos vero non item, vel quod tanta sit eius excellentia, vel quod tanta sit nostra imbecillitas.* Eucharistia planè cælestis est. *Hic est panis, qui de cælo descendit.* Edit more cæli suam modulationem continens in se divinum, musicumque corpus Christi, quod congruo aptoque cum Angelis & hominibus, quorum cibus est modo, & motu disponatur & componatur. Hanc elegantiam nemo satis novit præter Deum, tum propter eius excellentiam, tum propter humanam, & etiam angelicam imbecillitatem præ rei tantæ altitudine, & sublimitate.

Vtraque affectus componit. Musica, ut idem Maximus adstruit, *Affectibus præest, ut si qui nimium se efferant, & exultent, eos demulceat: si qui remissi nimium, eos exacuat denuo, excitetque. Hæc est, quæ facillimè luctum levat, facillimè iram cohibet, optime cupiditates temperat, dolores mitigat, animos solatur, adversam sublevat fortunam.* Eucharistia eisdem omnino præest affectibus. Temperat animos, ne nimium se efferant, ne nimis exultent. Panis paruulorum est, *Si quis est parvulus, veniat ad me, et insipientibus locuta est. Venite: comedite panem meum.* Non est cibus se efferentium, sed eorum, qui de se humiliter præsumentes euadunt similes dicenti Davidi. *Domine non est exaltatum cor meum, nec elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, nec in mirabilibus super me,* Digna pæna se efferentis est, ut pane lacteo infantium & paruulorum privetur, unde & humilis David concludit, *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam; Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.* Facessat a cænaculo Christi præsumptio, & quidem facessere illam jussit, cum *facta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse maior.* Huic contentiosæ elationi, quæ in cænaculo habita est, adhibuit Christus remedium Eucharistię, quę præest etiam affectioni nimiæ exultationis. Vinum nimis hilares reddere solet homines, & ut constet quale sit, illud quod offertur in altari, prius temperatur aqua, ut non abscurè innuatur & insinuetur hanc habere vim, quod offert Sapientia vinum, ut ortam ex vino lætitiam temperet, & moderetur. Hoc ipsum affirmat & confirmat Sacerdos declarans aquæ cum vino mixtione coli *incarnati verbi mysterium,* quod & recolitur in Missa corporis Christi, quemadmodum in Præfatione contestamur, & protestamur. Mysterium Verbi incarnati esse temperamentum deliciarum humanarum vaticinatus est Ieremias cap. 31. *Revertere Virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas. Vsque quo deliciis dissolveris filia vaga? Quia creavit Dominus nouum super terram. Fæmina circumdabit virum.* Mysterium Verbi incarnati & etiam consecrati nimiam aufert delectationem cum sit temperatum vinum, de quo Sapientia. *Bibite vinum, quod miscui vobis.* Hoc remissos exacuit & excitat. Hoc facillime luctum levat, facillime iram cohibet, optimè cupidates temperat, dolores mitigat, animos solatur, adversam sublevat fortunam. Hæc omnia more suo vinum materiale agit, quid ni potentius

Luc. 21. 24.

Prou. 9. 5.

tius & melius mixtum & mysticum sacræ Eucharistiæ vinum? Hoc cordis excitamentum, levamen luctus, refrenatio iræ, cupiditatum attemperatio, mitigatio doloris, solamen animarũ, adversæque fortunæ tolerãtia.

Musica apud eundem Max. *Optima in sacrificiis comes, in epulis convictrix, imperatrix in bello. Hæc maxime in festis reficit, in mysteriis afflat homines.* Eucharistia optima comes in sacrificijs Martyrum, cum dixerit Cyprianus epist. 54. *Vincentibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus, & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamur.* Eucharistia convivatrix in epulis est, *Pinguis est panis Christi, & præbebit delicias regibus*, & cum dicat de se Sapientia; *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, consecrari voluit, ut suas cum filiis hominum haberet delicias. Eucharistia imperatrix in bello est; *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt, Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me*, Virga & baculus insignia sunt militaris Imperatoris, & ubi Eucharistia est, ibi & imperium Principis militiæ nostræ est. Eucharistia maximè in Festis reficit propter usum & frequentiam sacrarum communionum, quæ est apud populum Christianum, cum dies festivi aguntur & celebrantur. Eucharistia in mysterijs afflat homines, & afflati exclamant, *O quam suavis est Domine spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demõstrares, pane suavissimo de cælo præstito esurientes reples bonis.* Hoc ipso spiritu afflatus Petrus, cũ alij Christum desererent prędicantem de Eucharistia, & insuper rogantem Apostolos, *Numquid & vos vultis abire?* respondit, *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Hoc etiam spiritu afflatur Ecclesia, cum dicit. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*. Afflat animas Eucharistia, siquidem agens de illa Christus inquit, *verba, quæ ego locutus vobis, spiritus & vita sunt.*

Vtraque similiter agit. — Prov. 7. 31. — Psl. 22. 5. — Ioa. 6. 68 — Cant. 1. 3

Musica, eodem auctore, & relatore & sententia Leonidis, *optima est pacis administra, optima Reip. socia, optima puerorum nutrix.* Administra quoque pacis est Eucharistia, siquidem tota est hostia pacifica, *Hic est panis qui de cælo descendit*, & cũ descendit Angeli cecinerunt, *Gloria in altissimis Deo & in terra pax hominibus.* Hic est agnus Dei, a quo pax in Sacro petitur; *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacẽ.* Eucharistia optima Reipublicę Christianę socia, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad cõsummationem sæculi.* Comes individua Ecclesiæ, sine qua nunquam Ecclesia est, nec esse potest. Optima puerorum nutrix, ad cuius ubera vocat infantes Apostolus Petrus. *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.* Optima puerorum nutrix, apud quam inveniunt panem, quem antiquitus quærebant & non inveniebant, *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.*

Vtraque optima. — Ioa. 6. 59. — Luc. 2. 14. — Matt. 28. 20. — 1. Pet. 2. 2.

Musica instar medicinæ est apud Platon. in Conviv. *Quemadmodũ*, inquit, *medicina concordiam humoribus, ita vocibus musica consonantiam tribuens, amorẽ consensumque mutuum gignit.* Eucharistia similis medicinæ est, cum *in remissionem peccatorum* conficiatur & offeratur. Hæc amorẽ gignit, quem in ipsa institutione Christus ostendit, *in finem dilexit eos*, & quẽ suis Apostolis post sacram communionem commendavit, & mandavit, *Hæc mãdo vobis, ut diligatis invicẽ.* Hæc mutuum generat consensum inter Deum & hominẽ. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinẽ, in me manet, & ego in illo:* inter hominem & angelos; *Panem Angelorũ manducat homo*, inter spiritũ & carnẽ; *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum viuũ.* Hæc vis sacramentalis matrimonij est, ut virum & uxorem benè consentientes reddat, & si alias diversis dissentiant moribus, & humoribus. *Sacramentum hoc magnũ est*, datum

Vtraque medetur. — Ioa. 13. 1. — Ioa. 15. 17 — Ioa. 6. 57. — Psl. 77. 25. — Psl. 83. 3. — Eph. 5. 32.

in remediū concupiſcentiæ, & quamvis ita magnū ſit, poſtulat & impetrat opem & ſubſidium ab Euchariſtia, quæ in ſancti matrimonij celebratione
Ioan. 2. 1. novis nuptis adminiſtratur. *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ*, in quibus & aqua verſa eſt in vinū, ne in illis primis nuptijs deeſſet ſaltē in typo & imagine Euchariſtia, quę nubentium animos fortius firmaret, & conformaret.

Vtraque ſimiliter approbatur. Muſica nec iudicatur, nec dijudicatur ab omnibus, ut idem ipſe Plato teſtatur. *Voluptate*, inquit, *muſica dijudicanda, non tamen quorumlibet hominum, ſed optimorum iudicio & eruditorum, præcipue vero viri virtute & diſciplina præſtantis.* Conſonantia ſacræ Euchariſtiæ cognoſcitur volup-
Pſ. 33. 9. tate, *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Unde & canit Eccleſia, *Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias regibus.* Quæ autem ſit harmonia Euchariſtica non eſt quorumlibet hominum diſcernere; *Probet autem*
1. Cor. 11. 28. *ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Optimorum & eruditorum res eſt, præcipuè vero viri virtute & diſciplina præſtantis de illa ſententiam ferre, qualis eſt Petrus, qui Chriſto reſpondit, *Ad quem ibi-*
Ioa. 6. 69. *mus? verba vitæ æternæ habes:* qualis erat Andreas, qui coram Ægea Proconſule de myſtici Agni conſecratione, & immolatione diſſeruit; qualis quoque erat Angelicus Doctor, cui Chriſtus aſſeruit, *Benè ſcripſiſti de me Thoma.* Malè ſcripſit Lutherus, peius Calvinus, malus unus, peior alter,
1. Cor. 2. 14. uterque *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei.*

Vtraque Muſas amat. Muſica ſuas nymphas, ſuas & muſas virgines habet, habet & Euchariſtia, *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Habet virgines, habet muſas canentes hym-
Zach. 9. 17. num, *Pange lingua glorioſi Corporis myſterium,* quarum chorum claudit una inſtar omnium Virgo Maria canens gloriam Deo propter ſanctam Euchariſtiam, in qua divinæ Muſæ habent materiam excellentiorem pro ſuis hymnis, quam pro ſuis cantibus humanæ Muſæ ſortitę fuerunt. Refert earum partes Girald. in Hiſt. Deor. Syntagm. 7. Prima omnium Muſarum Vrania canebat ſublimia. Nihil Euchariſtia ſublimius, cum dicat Chriſtus, *Sicut miſit me vivens Pater & ego vivo propter Patrem, & qui*
Ioa. 6. 58. *manducat me, & ipſe vivet propter me.* Cantabat Erato amabilia; quid cha-
Ioa. 6. 57. rius, quid amabilius Euchariſtia? *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Thalia glorioſa euecta cygno canebat glorioſas congratulationes, & acclamationes. Chriſto & Euchariſtiæ
Ioa. 6. 69. acclamavit Petrus cum dixit, *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Euterpe modulabatur, quæ grata atque iucunda erant: nihil gratius,
Pſ. 33. 9. nihil iucundius Euchariſtia, *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Melpomene quæ abdita & profunda erant, ſuo carmine proſequebatur. Euchariſtia profundum myſterium fidei, in quo totus latet Deus; *Verè*
Iſai. 45. 15. *tu es Deus abſconditus.* Antiqua Polymnia heroica geſta decantat, & quicquid heroicè Chriſtus egit & geſſit, una continet Euchariſtia; *Me-*
Pſ. 110. 4. *moriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Terpſichore cantu ſuo artes & artifices celebrabat. Ars artium eſt ars amoris, quæ ſplendet in Euchariſtia, cuius artifex eſt
Ioa. 13. 1. ille, de quo Ioannes, *Ante diem feſtum paſchæ ſciens Ieſus, quia venit hora eius, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Clio, dum viget & floret, bonam effert laudibus fortunam; non poteſt eſſe melior, nec fortunatior felicitas, quam ut in ſacra Euchariſtia pignus futuræ gloriæ nobis detur: *Qui man-*

manducat hunc panem, vivet in æternum: hunc panem Christus dicit, quia semper & ubique est idem, in quo locum non habet mala fortuna, pendens a mutatione humanæ prosperitatis. Calliope suis commendat carminibus vetustatem & elegantiam oris & linguæ, *sapiens in verbis suis producit se*, producit se & Christus, cum ait, *Hoc est enim corpus meum*, &, *Hic est calix sanguinis mei*. Pulchrè de rebus loquitur Christus, pulchrius de se, pulcherrimè cum loquitur de se & simul seipsum in consecratione; *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines!* Hæ sacræ Musæ, hæ musicæ Virgines sunt. *Valles abundabunt frumento, clamabunt, etenim hymnum dicent*. Dicunt hymnum convivalem, *Pange lingua gloriosi, Corporis mysterium*, quem in sacro Oratorio cecinerunt. Dicunt & nunc & cantant hymnum, *Lauda Sion Salvatorem, lauda ducem & pastorem, in hymnis & canticis*. Ioa. 6. 55 Zach. 9. 17. Ps. 64. 24

Psalle spiritu Sapientiæ, spiritu intellectus, spiritu cõsilij, spiritu fortitudinis, spiritu sciẽtię, spiritu pietatis, spiritu timoris Domini, ut pro dignitate sumas Eucharistiam septem eisdem donis sanctificatam, cum quibus & non aliter esse frequentem sacram Communionem satis ostensum est in fine sacri Oratorij. Psalle mente, quia sacer hic *panis vitæ & intellectus est*. Psalle corde, quale autem cor esse debeat expressit in corde suo David, & expressum nobis tradidit in libro Psalmorum, & quod ille suis verbis exposuit, nos in Appendice sacri ejusdem Oratorij figuratum, & delineatum sacri voti instar, religionis & simul imitationis ergo ibidem applendimus. Psalle lingua, quoniam *hostia vociferationis* est. Psalle lingua & calamo, *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, Cane musicis instrumentis, cõvivalis enim musica non solum vocibus, sed etiam musicis instrumentis agitur & habetur. *Septem spiritus sancti dona.* Ecc. 15. 3 Ps. 26. 6. Ps. 44. 2.

Memoria Iosiæ, in compositionem odoris facta opus pigmentarij, in omni ore quasi mel indulcabitur, & ut musica in convivio vini.

Eccl. 49. 1.

MYsticus noster Iosias Christus est, qui monet & præcipit, ut in eius recordationem solenne agamus Convivium. *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, & primus omnium, ut memoriã sui celebrem redderet, *hymno dicto* egressus est ad crucem & passionem, ut ex cruce citharam faceret, cantaret & etiam incantaret serpentem, & nos ab eius morsu, atque veneno sanaret. Consentit Augustin. Homil. 4. in Apoc. *Cithara est chorda in ligno extensa, & significat carnem Christi passioni coniunctam*. Accedit & Chrysostom. Sermon. de Laude Dei. *Christi Iesu Domini nostri, & Crucis virtus nostra sunt carmina, quæ non solum draconem è latebris educent, in ignemque impingent, verum ut si qua nobis inhæserint ulcera, sanabunt*. Reddit dulcem & suavem sui memoriam Christus, & ut sit *quasi musica in convivio vini*. Hymno suo adjungit instrumentum sanctæ Crucis, præcentor omnium suorum Crucifixorum & Cruciferorum, quos suo ordine in Sanctuario Crucis & Patiẽtiæ descripsimus, per tres choros illos distribuentes cum Crucibus suorum imprimis mar- *Mysticus Iosias Christus.* Mach. 26. 30. *Præcentor omnium Crucifixorum & Cruciferorum Christus.*

martyriorum, dein laborum & morborum, quorum levamen est sacra Eucharistia. *Figura Crucis*, ut ait ibid. Chrysostom. *ubique invenitur apud Principes, apud subditos apud mulieres*, Invenitur apud Principes, & superiores Crucifixos & Cruciferos in 1. Parte. sacri Sanctuarij in secunda. vero Part. apud subditas & tandem apud mulieres in Part. tertia. Superiores & subditi cum suis crucibus duos constituunt choros, quos Rex gloriosus Christus crucifixus ducit: chorum autem qui est crucifixorum ac cruciferarum mulierum ducit stans iuxta crucem Virgo Maria, gloriosa

Ps. 149. 5. Regina. *Exultabunt sancti in gloria.* In quem locum Hieronym. *In qua gloria? Exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo. In qua gloria? Necdum enim erat spiritus datus, quia Iesus necdum erat glorificatus, hoc est, non erat Crucifixus. Exultabunt sancti in gloria. Hoc ergo dico: exultabunt sancti in Cruce: Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Ecce voce Apostoli prophetia completa est.* Hæc est gloria Crucifixis atque Cruciferis. Iterum Hieronymus; *Verè non gloria est, ubi est aurum, ubi est argentum, ubi gemmæ, ubi vestimenta sunt serica.* Dixit itaque David, *Exultabunt sancti in gloria*, hoc est, in cruce, & subjunxit, *Exaltationes Dei in gutture eorum.* Conjunxit cum musicis eorum vocibus sanctæ Crucis instrumentum, & conclusit, *Gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Apud Plutarch. lib. de Audition. Rex Dionysius cum citharædo cuidam præclara cum approbatione cantanti magna quædam dona promisisset, deinde nihil dedit, persolvisse se iam gratiam ei dicens, quo quanto tempore canens delectasset, tanto etiam ipse fuisset oblectatus. Non sic Dominus solvit, non sic Deus persolvit musicis suis, qui sibi in crucibus & citharis complacentibus offert & confert tantam remunera-

Gal. 6. 14 tionē, ut qui dixit, & scripsit. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini no-*

Rom. 8. 18 *stri Iesu Christi*; fassus sit, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Audi Sapientiam Patris clamantem, audi

Matt. 11. 28. invitantem Crucifixos & Cruciferos suos. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Discite a me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris: Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

CONCLVSIO.

PRoficiat igitur sacrum hoc Sapientiæ Convivium Christianis convivis, proficiat ferentibus Crucem Christi: prosit sacrificium, Communio & sacrum Viaticum levamen laborantium & ægrotantium Cruciferis Regis gloriosi pertinentibus ad *Sanctuarium Crucis & patientiæ.* Oppositis planè Cruciferis mundi, quorum meminit sacra scriptura sine ullo prorsus levamine suas Cruces portantibus, & a choro Christi & Sanctorum exulantibus, nam ut ait Hieronym. in Psalm. 149. *Vbi dissensio est, ubi invidia, ibi chorus non est.* Cum autem opposita iuxta se posita, magis elucescant, placet pro conclusione dictorum & scriptorum opponere mundanas cruces crucibus Sanctuarij eodem ordine, quo ibi delineantur, & in præsentia indicantur.

CON-

De Crucibus & Cruciferis mundi oppositis Crucibus & Cruciferis convivis Sapientiæ Patris ex facris literis.

Figura Crucis ubique invenitur apud Principes, apud subditos, apud mulieres.

SUperior, qui non patitur superiorem & semper cupit regnare & imperare, refert in se Herodem, qui audito nomine novi Regis turbatus est, & illusus a Magis, & delusus a suis crucem mundanam passus miserè perijt. Dissimilis planè glorioso Regi, qui *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*, per crucem obedientiæ triumphavit fol. 7. & triumphare docuit. Vide fanctuar. fol. 8. & seq. *Cruces graves Superiorũ mundanorum, leves Sanctorũ virtute sacra Eucharistia.*

Superior, qui seipsum effert & extollit, totus est Herodianus, non Christianus. Herodes in thronum altum evectus, & acclamatus, dum loqueretur, *Voces Dei, & non hominis*, totam sibi usurpans gloriam consumptus vermibus perijt in cruce mundana. Differt hæc à cruce Petri, qui cum esset Princeps omnium Apostolorum, moritur inverso capite, ut illud attollat. *Qui se humiliat, exaltabitur*. 17. & seq. Matt. 2. Phil. 2. 8. Act. 12. 21 Mat. 23. 12

Superior, qui se totum consecrat mundo & nihil cogitat, nisi de temporalibus bonis, totusque mundanus dicit *Anima mea habes multa bona in annos plurimos, Comede, bibe & epulare*, rapietur ad mortem, & simul ad crucem eius, cui dictum est, *Stulte hac nocte repetent animam tuam a te*. Repetitur anima malè mundo tradita, sed Deo benè oblata expetitur & quæritur, & invenitur in cruce Andreæ. 27. & seq. Luc. 12. 16.

Superior, qui dura pati nescit, sed quærit in omnibus carnis blanditias, & delicias, socius est divitis epulonis, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Male habuit in novissimo, & *sepultus est in inferno*. Lapidatus Philippus Apostolus passus in cruce dura in cælum advolat; Sic itur astra. 35. & seq. Luc. 16. 22.

Superior, qui totus intentus est spoliationi subditorum, alter Roboam est: Et quidem Roboam, dum spoliat, & ipse bonis corporis & animæ spoliatus est. *Qui prædaris, nonne ipse prædaberis?* Christus exinanivit semetipsum cui similis Bartholomæus exui se usque ad pellem passus est, ut vestibus se gloriosis indueret. 43. & seq. 3. Reg. 12 Isai. 33. 1.

Superior, qui in senectute sua improbus est, & senes pravos, iniquos Susannæ iudices imitatur, incidet in malam crucem, quam malorum dierum inveterati incurrerunt damnati a puero Daniele. Bonos senes expectat crux Simeonis Episcopi, & simul præmium. 53. & seq. Dan. 13.

Superior, *qui non est tentatus, quid scit?* Sapiens Iobus, qui tentatus est, tres autem eius familiares insipientes planè fuerunt, qui pressi difficultate oneri succubuerunt. Emersit post tentationem sapiens Jobus, sicut & divinus Dionysius typus & imago scientiæ laborum, & felicitatis Sanctorum. 61. & seq. Ecc. 35. 9

Superior, qui in suo ponficatu & principatu assumit honorem, onus vero in humeros Christi abijcit, refert Caipham principem sacerdotum

qui zelat pro loco ac regno ad se pertinente, & abijciens onus in Christū ait, *Oportet ut unus moriatur homo pro populo.* Mortuus est ille in cruce mundana non Christiana, quam Christus invenit sibi & S. Pontifici Sixto, sacrisque utriusque imitatoribus onera in honoribus, non honores in oneribus quærentibus. 71. & seq.

Ioa. 11. 50

Dan. 4. Superior, qui hominem se esse obliviscitur, indignus est, ut æstimetur homo, sed cum foris & cum bestiis computetur. Hoc opprobrium passus est Nabuchodonosor Rex, planè differens a Machario Patriarcha, & ejus imitatoribus, in quorum memoria fixa mortalitas vitæ humanæ est. 81. & seq.

3. Reg. 11 Superior, qui suo indulget genio, similis esse vult Salomoni, qui in ipsis deliciis invenit spiritus afflictionem, & propterea mortalis vitæ brevitate punitus est. Nestorios vivit annos cum Nestore, qui voluptatibus carnis renuntiat. 89. & seq.

Superior, qui ardet amore carnali, vritur & consumitur sicut & olim urebatur & consumebatur Ammon, qui perditè amavit sororem, & se perdidit. Flamma divini amoris splendet, non urit nec consumit, ut apparet in S. Episcopo Astio. 97. & seq.

2. Reg. 13

Superior, qui non vitat, nec tollit scandala, sed facit, meminerit Heli & filiorum & simul acerbæ crucis quam passi sunt. *Væ mundo a scandalis, necesse est, ut veniant scandala, væ autem homini illi, per quem scandalum venit.* Qui scandalum facit, illud patietur, & hoc vitari oportet etiam difficultate, & labore exemplo S. Petri Damasceni. 107. & seq.

1. Reg. 4.
Matt. 18. 7.

Superiores sui proprij nominis & æstimationis Zelatores, nec curant suorum animas, imitantur Pharisæos, quos non semel, sed sæpe in Evangelio Christus redarguit, & damnat ad miserrimam omnium mortem, *In peccato vestro moriemini.* Zelus prophanus malus. *Dura sicut infernus æmulatio;* zelus autem bonus est animarum, quo Clemens & Socij præditi erant. 117. & seq.

Ioa. 8. 24.
Cant. 8. 6.

2. Reg. 18 Superiores, qui in transitu mundi hujus rebus mundanis adhærent & inhærent, conveniunt cum Absalone mundano, qui dum transiret, visus est è quercu pendulus. Alius est transitus Liborati Abbatis & Sociorum ac simul imitatorum. 125. & seq.

2. Mach. 13. Superior, qui in rerum adversitate cadit animo & permittit se ab ea vinci ac superari, assimilatur Regi Antiocho, & simul Achitopheli, qui desperati objerunt. Magna res est cum Paphnutio Abbate Superiorem in laboribus & adversitatibus gloriari atque triumphare. 135. & seq.

2. Reg. 17

Figura Crucis ubique invenitur apud Principes, apud subditos, apud mulieres.

Cruces graves subditorum mundanorum, leves Sanctorum virtute sacra Eucharistia.

Luc. 23. SUbditus pænas sibi justè inflictas malè ferens, socius est mali latronis in vita, & etiam morte per crucem eius decedens, alia est crux Boni Latronis, alia mors. Vide Sanctuarium, fol. 151. & seq.

Subditi, qui calumniantur, imitantur calumniatorem Semei, qui habuit exitum

exitum infelicem. Felix David, qui novit pati calumniam, felices & Petri & Pauli Discipuli. 161. & seq.

Subditus, qui servit mundo, quemadmodum dapifer servivit Pharaoni, ab illo malam habebit gratiam, & simul crucem diversam a sorte & cruce Vitalis. 171. & seq.

Subditus, qui agitur timore humano, erit sicut Pilatus Præses, qui territus illa voce; *Non est amicus Cæsaris*, & Christũ & seipsum perdidit. Differt ab illo Agricola timens Deum magno cum lucro decedens. 179. & seq. Ioa. 19. 12

Subditus ingratis serviens dominis nihil proficiet, sicut nihil profecit David apud Saulem, cuius defectum Deus supplevit, supplevit quoque in Cosma & Damiano qui ingratis servierunt. 189. & seq. 1. Reg. 26.

Subditus, qui capitur voluptate, captum Amalecitam, Regem Agab mollem & pinguem æmulatur, ut & dicat in extremis, quod dixit ille; *Siccine separat amara mors?* Differt a vita & morte Vincentij. 197. & seq. 1. Reg. 15. 31.

Subditus, qui instar araneæ se eviscerat propter res mundanas accedit ad Iudam, & similiter decedet cum eo, de quo scriptum legimus, *diffusa sunt omnia viscera eius*. Fidelis qui se eviscerat propter Deum æmulus Alexandri. 207. & seq. Act. 1. 18.

Subditus, qui mundano adhæret capiti, ut ab illo regatur, erit velut seruus Amalecitæ, qui desertus a domino mansit infirmus in via. Non deseritur seruus a Deo, qui illum regit, sicut & rexit Theodorum. 215. & seq. 1. Reg. 39.

Subditus, qui servit militiæ mundanæ non inveniet arborem, cuius umbra protegatur, sed Crucem ex qua suspendatur more Absalonis, sed non militis Theodori. 225. & seq. 2. Reg. 81

Subditi, qui in malo persistunt, sunt similes Magis Pharaonis, qui cum ipso perierunt dissimiles Marco & Marciano ac Socijs, qui fuerunt in bono constantes. 235. & seq. Exo. 14.

Subditi, qui humanæ vitæ fallacia seducuntur, sunt similes ei, qui deceptus, & simul captus dicit in Evangelio, *Anima mea habes multa bona in annos plurimos*. Dixit & vixit, obijt & perijt dissimilis planè exercitui decẽ millium Crucifixorum. 245. & seq. Luc. 12. 19.

Subditus, qui viam salutis non sequitur, sed potius suæ ęternæ damnationis, adhærebit dicentibus, *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis*. Non perditionis, sed salvationis animæ via cum Lycarione sectanda est, 255. & seq. Sap. 5. 7.

Subditus, qui non exvit habitus carnis & mundi pravos, erit tamquam villicus iniquitatis, qui cum esset versipellis innixus dolis mundanis damnatus est, longè alius fuit Lucellianus. 263. & seq. Luc. 16.

Subditus quem torquet aliena iniquitas, sed illum recreat, memor sit illorum militum annuentium iniquitati Regis Achabi, cælesti igne pereuntiũ, qui peccato alieno vexatur, imitatur Sanctũ Venantiũ. 271. & seq. 4. Reg. 1.

Subditus, qui candorem vitæ commaculat, assimilabitur ijs, de quibus dixit dolens Ieremias, *amplexati sunt stercora*, dissimiles per omnia Timoni Diacono in vita & morte. 279. & seq. Thre. 45.

Subditus, qui facit contra iustitiam, pænas luet cum fratribus S. Iosephi, sed qui patitur propter iustitiam felix & faustus est. 287. & seq. Gen. 44.

Subditus qui incentor malorum est, imitator est Doeg Idumæi, cum quo loquitur David, *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* & cui pernitiem certam vaticinatur & minatur, multum discrepat ab illo Pionius, l. 295. & seq. Ps. 51. 3.

Subditus qui laborat in rebus mundanis fine fructu & cum tormento, unus eſt de operarijs iniquitatis damnandis in ultimo iudicio, in quo perpetuus labor Apollonij remunerabitur. 298. & ſeq.

Exod. 14. Subditus non ſolum iniquo domino ſerviens, ſed etiam eius iniquitati dabit pænas cum ſervis Pharaonis, ſed qui ſubiacet iniuſto domino cultor tamen eſt iuſtitiæ, alter Theodulus eſt. 311. & ſeq.

Exod. 2. Subditus, qui undique divexatur & ſervit mundo, ſocius eſt in pæna & labore filiorum Iſraelis miſere ſervientium & laborantium in Ægypto, aliter accidit ijs, qui undique affliguntur propter Chriſtum. 321. & ſeq.

Subditus vitæ mundanæ & prophanæ male olens etiam ſibi unus eſt de eorum numero, qui apud Ezechielem ca. 8. applicant ramum ad nares, ut tetrum odorem ſuorum morum ferant, ſubditus bonæ ac religioſæ vitæ balſamum redolet. 331. & ſeq.

Gen. 25. Subditi qui incultis moribus ſunt, referunt Eſau, eius iacturis & pænis obnoxij, prętſtat, ut quis ſe ſubmittat culturę Sanctorum cum Theophimo & Thalo excultis & ornatis propter Sanctæ Crucis paſſionem. 341. & ſeq.

Luc. 16. Subditi qui non curant ſuam animam, ſed corpori ſuo indulgent, divitem epulonem uſque ad inferos ſequuntur, curanda anima eſt, ſi vis ſalvari cum Leontio atque Carpophoro. 349. & ſeq.

Iob. 21. 13. Subditi, qui ducunt in bonis dies ſuos, citò citò *in puncto ad inferna deſcendunt*, ut filij Heli deſcenderunt: qui vero ferunt crucem, feſtinant ad aſtra cum Sotico & Socijs, 359. & ſeq.

Gen. 49. Subditi qui in malum ſecum conveniunt, ſunt ſicut Simeon & Levi, quibus malè ceſſit commune conſilium: fratres, qui in bonum conſpirant, ſunt ſicut Claudius, Aſterius & Neon. 369. & ſeq.

2. Reg. 18 Subditi qui pendent a mundo, ſimiles ſunt Abſaloni; qui pendent a Deo & cælo, S. Diomedi & Socijs adhærent. 377. & ſeq.

Eſth. 7. Subditus, qui mundo triumphat, & ab illo deſeritur fit alter Aman in triumpho, & in Cruce, qui Chriſto ſeruit, in Cruce ab ipſo non derelinquitur. 387. & ſeq.

Ioa. 11. Subditus, qui ſuis attendit commodis, non ſaluti animæ, imitatur conſiliarios, qui de Regno ſuo ac loco erant ſolliciti, & ſua & ſe pariter perdiderunt, ſanctior & glorioſior de ſeipſo attentio Philemonis. 395. & ſeq.

Subditi, qui exleges ſunt, filij ſunt Belial, quales erant Opni & Phinees cæſi miſerè à Philiſthæis, cultores legis Dei iuſtificantur & glorificantur. 403. & ſeq.

2. Reg. 18 Subditi qui affectant ſui poſt mortem relinquere monimentum; meminerint Abſalonis, qui poſt conditum mauſolæum ſub congerie lapidum ſepultus eſt. Sancti incogniti latent mundum, patent Deo. 413. & ſeq.

Num 11. Subditi concupiſcentiis mundanis dediti vincuntur atque capiuntur a mundo, & ſicut filij Iſraelis in deſerto poſt ſuas concupiſcentias perierunt, & ipſi peribunt: præſtat cum martyribus reſiſtere mundanis concupiſcentijs. 423. & ſeq.

1. Reg. 25 Subditus qui ſævit ac furit in fratres, eſt alter Nabal Carmelus in culpa & pæna, ſed qui patitur furias humanas propter Chriſtum, alter Marinus eſt in paſſione & remuneratione. 431. & ſeq.

Gen. 34. Subditi qui more humano & mundano ferunt in bonis læſionem & circumciſionem, aſſimilantur Sichimitis, qui propter ſuum laſciuum principem

cipem voluerunt se circumcidi, sed qui propter Christum circumciduntur, sunt de Societate Iesu. 439. & seq.

Subditus immemor suæ nativitatis & fragilitatis non cogitat se esse hominem, & perijt instar Herodis, qui oblitus est se esse hominem. Qui se mortalem, novit similis est Hioramo. 449. Act. 12.

Subditus, qui in mundo navigat, & agitur ventis mundanis, peribit cum Ægyptijs in mari, Socij vero Iesu optatum portum capient. 457. & seq. Exod. 14.

Subditus, qui mores sequitur hæreticorum, pertinet ad zizaniam suo tempore comburendam: qui adhæret Christo & eius Ecclesiæ, fidelis minister est. 465. & seq. Luc. 13.

Subditus qui repulsam dat, patietur, passus est illam Aman, qui repulit Mardochæum, ne ab Assuero Rege audiretur. Qui non auditur a Rege, auditur a Deo. 475. & seq. Esth. 7.

Subditus qui adhuc puer assurgere in malum incipit, similis est Antiocho, qui radix mali fuit, & malus ipse in radice. Qui assurgit & resurgit in bonum, refert puerum Simonem. 485. & seq. 1. Mal. 1.

Subditus qui adhuc puer servire incipit sui corporis affectibus, facit quod faciebat Ismael, alius ab Ismaele Guillielmus. 493. & seq. Gen. 17.

Subditus qui adhuc puer malitiæ se dat & tradit, alter est Esau, qui cultor est innocentiæ, mysticus Hugo est. 501. & seq. Gen. 25.

Subditus qui adhuc ducitur ambitione, novit petere & petendo more humano agere, ac prænsare manus, puer Absalō est, alius est puer Richardus, qui Deum orat, & in cælum levat manus 509. & seq. 2. Reg. 15

Subditus, qui adhuc puer a mundo fertur more maiorum est Archelaus filius mundani Herodis & ipse mundanus. Qui se componit, ne feratur a mundo ferens ipse Christū in se, alter Christophorus est. 517. & seq. Matt. 2.

Figura Crucis ubique invenitur apud Principes, apud subditos, apud mulieres.

Cruces graves mulierum mundanarum, leves sanctarum.

MUlier quæ cum mater sit, absque compassione est, patiente ipsius prole, imitatur Synagogam, de qua scriptum est in Threnis, *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos, filiæ populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Mater quę cum prole sua patitur, tota Mariana est. Vide Sanctuarium, fol. 531. & seq. Gen. 34. Thre. 4. 3

Mater quæ charæ prolis iacturam patitur in servitio Principis huius mundi, de numero earum matrum est, quæ immolaverunt filios & filias suas dæmonijs, & non Deo, cui charam suam prolem vivam & mortuam dedicavit Theoclia. 139. & seq.

Virgo, quæ amittit statum suæ virginitatis, refert Dinam, quæ illum conservat refert Febroniam. 547. & seq.

Virgo Dina invaditur & se perdit, Blandina impetitur, & triumphat. 555. & seq.

Virgo Dina rapitur, & corrumpitur, Eulalia Virgo disrumpitur, & manet incorrupta. 563. & seq.

Virgo Dina sollicitanti suam pudicitiam malo suo acquievit, Iulia bono suo restitit. 571. & seq.

Virgo Dina malè audiit & audiet, bene audit, & audiet Benedicta. 579. & seq.

Virgo Dina ut videret & videretur egressa est. Voluit videri & haberi inter filias Sichimitas formosissima, & deformata est vitio suo; Wilgephortis vero deformata est virtute sua, 587. & seq.

Virgines quæ nec de Deo cogitant, nec Deo serviunt, filiæ Babylonis sunt, & cum illa ruunt: quæ Deum contemplantur, & ipsi famulantur, sunt Maria & Martha. 595. & seq.

Virgines fatuę distractæ rebus mundanis tamquam filiæ Ammonitarum, quæ 2. Reg. 12. sectæ sunt serris, censeri debent dissimiles planè Tarbulæ & sociarum, quæ per serras transierunt, & integræ Deo manserunt. 603. & seq.

3. Reg. 29. Mulier coniugata, quæ se & suum perdit virum, altera Iezabel est, quæ & se & suum lucratur virum, Maura Christiana est. 615. & seq.

4. Reg. 26 Mulier vidua quæ in delicijs est mortua est, qualis erat Athalia, quæ vidua est aspirat in cælum cum Magdalena digna filia Dei & patris viduarum. 623. & seq.

Quales cruces mundanorum, tales & eorum mensæ. Harum meminit David Psalm. 68. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum & in retributiones, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva:* ut nimirum gravati & simul oppressi onere procedere in cælum nequeant. Quales sunt Sanctorum Cruces, tale & convivium, *O sacrum cõvivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Sacrum Sapientię convivium, in

Luc. 9. 23 quo Christus sumitur, Christus qui vocat ad Crucem, *Si quis vult venire post me; abneget semetipsum, tollat Crucem suam, & sequatur me.* Christus, qui offert & confert levamen Crucis, laboris, & oneris; *Venite ad me omnes, qui*

Matt. 11. 28. *laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris, iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* O sacrum convivium, in quo *recolitur memoria passionis eius,* qui labores nostros tulit, & simul dolores, ut & in laboribus nostris & morbis sacra eius Crux, & Eucharistia afferrent consolationem, & dicere posset Christianus David, *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Para-*

Ps. 22. 5. *sti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* O sacrum convivium, in quo *mens impletur gratia,* sicut & impleta est mens filij prodigi Luc. cap. 15. Postquam ille graves mundi cruces expertus fuerat, & simul mensam & epulum insipientiæ gustaverat, resipiscens recurrit ad patrem, qui præcepit famulis, *Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est.* Accedit Ambros. *Stola amictus est sapientiæ, quo nuda corporis Apostoli tegunt, quo se unusquisque convolvat. Et ideo stolas accipiunt, ut corporis infirmitatem sapientiæ spiritalis virtute convestiant. De Sapientia enim dictum est, Lavabit in vino stolam suam. Ergo stola spiritale indumentum, & vestimentum est nuptiale. Annulus quid est aliud, nisi sinceræ fidei signaculum, & expressio veritatis: Calceamentum autem prædicatio Evangelij est, & ideo accepit sapientiam primam. Occiditur & vitulus saginatus, ut carnem Domini spiritali opimam virtute per gratiam Sacramenti mysteriorum consortio restitutus*

tutus epuletur. Hic conviva Sapientiæ futuræ glorię pignus accipiens, hoc Solenne convivium, quod cum celebri musica actum & celebratum est. Siquidem filius senior ex agro domum reversus *audivit Symphoniam & chorum* collaudantem clementiam divini Patris, resipiscentiam novi convivæ, & simul mysteria sacrosancta cęlestis mensæ Sapientię, summi sui amoris, & charitatis præclara & evidentia argumenta exhibentem & opus suum consummantis. *Sic faber ferrarius sedens iuxta incudem, & considerans opus ferri, vapor ignis uret carnes eius, & in calore fornacis concertatur. Vox mallei innovat aurem eius, & contra similitudinem vasis oculus eius. Cor suum dabit in consummationem operum, & vigilia sua ornabit in perfectionem.* Hugo Card. *Prædicator diligenter animum suum applicabit in consummationem, ut consummet opera sua: & vigilia sua ornabit in perfectionem suam, & aliorum.* Quorum causa monet Ecclesiasticus ministrum verbi & doctrinæ: *Sapientiam scriba in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu sapientiam percipiet, quia sapientia replebitur. Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo, stimulo boves agitat, & conversatur in operibus eorum, & enarratio in filijs taurorum: Cor suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia eius in sagina vaccarum:* hoc est ut ait Hugo, *in impinguatione lascivientium animarum. Ad hoc enim debet vigilare prædicator, ut animæ macilentæ saginentur, & impinguentur pinguedine charitatis.* Eccl. 38. 29. *Attende tibi, & doctrinæ.*

Sic faber & architectus, qui noctem tamquam diem transigit, qui sculpsit signacula sculptilia, & assiduitas eius variat picturam: Cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus. Tunc, inquit Hugo, cor suum dabit in similitudinem picturę, *cum virtutes, quas depingit in subditis prædicando, habet in corde suo, & opus suum, id est, instructionem subditorum, & Sacramentorum dispensationem perficit.* Et nos perficimus artem benè vivendi & moriendi, quam prius in Oratorio & Sanctuario depinximus, & in libris de sacris Privilegijs Marianis, & de divinis Solennibus descripsimus, & nunc agentes de Solenni Convivio Sapientię finem damus. Apud Plutarch. in Convivio septem Sapientum, Solonis hæc sententia est: *Uniuscuiusque artis & facultatis tam divinæ, quam humanæ opus esse id potius, quod ab ea efficitur, quam quo id conficit, & finem, quam quæ ad finem pertinent.* Quæ causa est propter quam præstat cæteris Sacramentis sancta Eucharistia, cum sit omnium eorum finis. Præstat etiam reliquis actibus amoris & charitatis Christi, siquidem cum se sacramentaliter Apostolis tradidit, ut scribit Ioan. cap. 13. *In finem dilexit eos.* Quod si verum & certum est, quod ait Bernard. agens de diligendo Deo *ars artium est ars amoris*, divinæ artis & facultatis amandi id opus præcipuum ac principale est, quod tunc a Sapientia Patris effectum est, & præ cęteris alijs, in quibus apparet, & resplendet amor hic amandi finis. Fines varios sibi statuerunt, & præfixerunt veteres Imperatores, ut refert Iulianus in Cæsaribus. Finem statuit Alexander omnia vincere, Cæsar primas inter homines obtinere, Octavianus pulchrè imperium administrare, Marcus Deos imitari, Constantinus, cum multa paraverit, multa suis, & amicorum voluptatibus inservientem largiri. Cedant principes & Reges omnes dilectionis Regi ac Deo, qui in finem dilexit homines, ut amando omnia vinceret, & vicit, primas inter omnes creaturas obtineret, & obtinuit, pulchrè suam Ecclesiam administraret, & administravit, ęternum suum Patrem imitaretur, & imitatus est, cum multa parasset, amicorum suorum voluptatibus satisfaceret, sicut & in suo Convivio satisfecit largiendo, quod voluit

&po-

& potuit. *Non plus ultra*, quam seipsum largiri potuit, & seipsum largitus
1. Tim. 3. 15. est, nec periculum est, ut in Ecclesia, quæ est *columna, & firmamentum veritatis* præfigi queat, *Plus ultra.* Plus ultra esse nequit in bonitate & ele-
Zach. 9. 17. gantia. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Plus ultra esse non potest in largitate, &
Luc. 1. 53 elargitione, cum dixerit Mater; *Esurientes implevit bonis*; & de uno quoque conviva testetur Pater; *Frumento & vino stabilivi eum; & tibi post hæc,*
Gen. 27. 37. *fili mi, ultra quid faciam?* Itaque *Non plus ultra*, ultra tantum Sacramentum est, splendidum convivium solis justitiæ, qui latet nunc in nubilo, ubi *sicut*
Ps. 138. 12 *tenebræ eius, ita & lumen eius* resplendentis simul tota sua claritate in cælo,
Isai. 60. 20. in quo *non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.*

F I N I S.



INDEX PRIMVS,

TITVLORVM GENERALIVM, ET PARTICVLARIVM.

Numerus paginam signat.

DE SACRIS NOMINIBVS SOLENNIS

CONVIVII

CONDITI ET EDITI PER SAPIENTIAM PATRIS.

DISSERTATIO I.

De Solenni Conuiuio, Sacrificio, Sacramento, & Viatico Condito & edito per Sapientiam Patris.

DISSERTATIO II.

Sacra-

INDEX

Sacrarum quæstionum Convivalium de sacrificio, Communione & Viatico cum hymno sanctæ Ecclesiæ, altaris & mensæ, *Lauda Sion Salvatorem, Lauda Ducem & Pastorem.*

DISSERT. III.

Quæstiones Prohemiales.

De sancto Eucharistiæ sacrificio Quæstiones Convivales.

Sacræ Quæstiones Convivales de sacra Communione.

non

Sacræ Quæstiones Convivales de sancto Viatico.

INDEX SECVNDVS SACRORVM LOCORVM VETERIS, ET NOVI TESTAMENTI,

Numerus paginam signat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ps.

qui

sum

INDEX TERTIVS,

PRO

CONCIONIBVS

FESTALIBVS TOTIVS ANNI

Numerus paginam signat.

Pro Concionibus de Solennitatibus divinis.

Pro Incarnatione, & Nativitate Domini.

Pro circumcisione Domini.

Pro Epiphania Regum.

Pro transfiguratione Domini.

Pro resurrectione Domini.

Cogno-

Pro Ascensione Domini.

Pro adventu Spiritus sancti.

Pro sanctissima Trinitate.

Pro Solennitate venerabilis Sacramenti.

Feria 5. Hebdomadæ Sanctæ.

Pro Octavis Solennibus corporis Christi.

Octava Variæ.

Pro Feſto Sanctæ Crucis.

Pro Solennitatibus Marianis.

Pro Immaculata Conceptione.

Pro Nativitate Virginis.

Con-

INDEX QVARTVS
RERVM.

Numerus paginam indicat.

Christus

FA-

INDEX RERVM.

Mel.

Mel.

Mensa.

Memoria.

Missa.

Mulier.

NARCISSUS.

Nugæ.

OBLIVIO.

Ordo.

Osculum.

POENITENTIA.

Panis.

Passio Christi.

Petrus & Ioannes

Philosophia

QUÆSTIONES.

RESURRECTIO.

Rosa.

SACRAMENTUM.

Sa-

Nova

FINIS.

INDEX SVMMARIVS APPENDICIS

Num.pag. indicat.

INDEX ANTIQVORVM ORACVLORVM,

QVÆ SVNT IN APPENDICE.

Num. pag. indicat.

Ex Libro Genes.

Ex Exodo.

Ex

INDEX ORACVLORVM

INDEX MIRACVLORVM,

GLORIOSI CORPORIS CHRISTI, quæ hodie extant.

B

Digitized by Google